















[redacted]

D. MAGNI AUSONII

BURDIGALENSIS

OPERA OMNIA.

VOL. II.



[redacted]

D. MAGNI AUSONII

BURDIGALENSIS

OPERA OMNIA

EX EDITIONE BIPONTINA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN SECUNDUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1823.

[redacted]

Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti,

tria pocula, vel multiplicet tria ter, ut conficiat cubum ex impari ternario numero

NOTÆ

quæ facile solvi non possit. Cujus quidem legis meminisse eum oportet, qui Griphum Ausonii volet intelligere, ne Scaligerum imitatus, ordinem requirat in iis quæ ordinem excludunt.

* Plura de Gripho si velis, consule Athen. lib. x. cap. 17. Ceterum Ausonii Griphum allegat Divus Ambrosius apud Alucinum Epistola ad Lugdunenses Fratres, annotante Desposio. In eo Edyllio reconditam et velo ænigmatum summotam doctrinam agnoscit Jos. Scaliger Epistola 199. Andrææ Schotto observat. lib. II. cap. 34. elegans et acutum dicitur Poëmation. De hoc et apud Minoem habentur versus illi non inficeti: 'Ter lege ter doctum lepido sub carmine ludum, Lector. Inhumana sed procul invidia. Ter pure lecto recreaberis ipse libello. Ter lege, ter doctus; ter tibi gratus erit. Jam si me audieris, facito licet ante periclum: Ter lege, ter lecto, ter quoque doctus eris.'

Griphus] Γρῖφος et Γρῖπος *Griphus* seu *Gripus*, proprie Rete piscatorium est, δίκτυον, ut exponit Suidas. Est etiam, ut ait ille, δύσκολος καὶ συμπεπλεγμένος λόγος, ὁ ἔχων πάθος ἐν ἑαυτῷ μὴ φαινόμενον. 'Difficilis et implicatus sermo, habens in se sensum non apparentem.' Hoc posteriori significatu, qui metaphoricus est, hic accipitur. Hujusmodi enigmata seu sermones obscuros Latini, teste Gellio lib. XII. cap. 6. 'scirpos' olim appellarunt. Super mensa ut plurimum inter potandum proponi solita erant ejusmodi ænigmata, pœna in eum qui non solveret proposita grandioris poculi exsiccandi.

1 *Ter bibe, vel, &c.*] Horat. Ode 19. lib. III. jam citata: 'Tribus aut novem Miscentur cyathis pocula commodis.' Mystica lex de qua loquitur, Græcula lex est, ἢ τρία πῖνε, ἢ μὴ τέτταρα, 'vel tria bibe, vel non quatuor;' scilicet, si tria pocula superes, ad novem usque pergendum. Ad hanc legem respicit Petron. cum ait: 'Excusare cœpit moram: quod amica se non dimisisset, tribus nisi potionibus e lege siccatis.

* *Ter bibe*] Auctor Minos, in appendice Apologetica pro Ausonii Gripho, totum illud argumentum Joanni Vassorio Theologo minime probatum fuisse, vel propter initium Carminis ludicrum, quasi de bibendo ad numerum præciperetur. At vero Poëta auspicatus a ludicris, statim ad penitiora omnium fere disciplinarum penetralia lectorem deducit.

* *Totiens ternos*] Supple scyphos. Docet Plinius Hist. lib. XXVIII. Demetrium condidisse volumen de quaternario numero, et quare quaternarii cyathi sextariive non essent potandi.

* *Sic mystica lex est*] Vel ter bibe, vel novies. Ter, inquit Acron ad Horat. Od. 19. lib. III. propter Gratias quæ lætitiam dabant, novies propter Musas. Similiter Varro convivarum numerum debere a Gratiarum incipere numero, et progredi ad Musarum numerum censuit. Nil necesse est cum Minoë per 'mysticam legem,' aliud arcanum intelligere, quod quasi sanctum atque religiosum aliquo tegatur involucro. Longe petita quæ addit, Poëtam alludere ad numeros Pythagoricos, etsi non ignoro ternarium numerum a Pythagoræis crebro usurpatum, adhibitum quoque a Veteribus in sacris sæpissime.

Imparibus novies ternis contexere cœbum.
Juris idem tribus est, quod ter tribus, omnia in istis.
Forma hominis cœpti, plenique exactio partus,
Quique novem novies fati tenet ultima finis.

multiplicato novies. Tria tantundem possunt quantum ter tria. Cuncta in istis comprehenduntur. Figura hominis inchoati, et expulsio fœtus maturi, et spatium novies novem annorum quod terminat vitam humanam. Tres sunt fratres generati

4 '*Omnia in istis*] Castigandum, *omnis in istis Forma hominis cœpit.* Nam plane vetus liber, quo usus sum habebat: *cœpit:* non ut vulgo *cœpti.*' Scaliger. Vid. inf. et Not. Var.—6 'Ita leges, non ut hodie ex correctione Fr.

NOTÆ

3 *Imparibus novies ternis, &c.*] Revera ex novem in tria ductis fit secundus cubicus numerus 27. cum primus sit 8. est quippe apud Arithmeticos numerus quadratus qui ex aliquo numero in seipsum ducto oritur, ut 4. ex 2. per 2. multiplicatis. 9. ex 3. in 3. ductis, &c. Cubicus autem numerus est, qui ex numero quadrato, et radice ejus invicem multiplicatis exsurgit, ut 8. ex 4. in 2. et 27. ex 9. in 3. ductis. Miror autem unde Scaligero videri potuerit Ausonius existimasse numerum 9. esse cubum. Neque enim quicquam in toto hoc poëmatio occurrit quo hoc invicte probare possit.

Cœbum] Antique pro *Cubum*, sic [redacted]

quia licet inde oriantur tres numeri, scilicet tria, novem, et viginti septem, inter se distincti specie, duorum tamen posteriorum radix est ternarius. Rursus si novem ducas in tria, vel sumas novies terna, habebis viginti septem, numerum scilicet cubicum, cujus radix est idem ternarius numerus.

* 4 *Juris idem tribus est quod ter tribus*] Ternario et novenario eadem inest potestas. Martianus Capella lib. VII. cum Triadis perfectionem dicit, hanc inter alias rationem assignat, quod perfectos gignit Senarium ac Novenarium.

Omnia in istis, &c.] Reponit Scaliger: *omnis in istis forma hominis cœpit.* [redacted]

Tres Ope progeniti fratres, tres ordine partæ,
Vesta, Ceres, et Juno, secus muliebre, sorores.
Inde trisulca Jovis sunt fulmina: Cerberus inde:

ex Rhea, tres eorum sorores muliebris sexus consequenter genitæ sunt, scilicet Vesta, Ceres, et Juno. Ex eodem numero sunt trifida fulmina Jovis, ex eodem

Silvii: *Quemque novem.*' Scaliger.—7 *Parcæ* Vulg. Vetus liber: *partu.*—8 Sic et Mss. Codices habent; antea, vel *sexus* legebatur, vel *decus.*—17 Sca-

NOTÆ

gesimum primum, qui ex ter tribus, sive novem per novem ductis oritur, vitæ humanæ terminum ponit. Sed verius Isidorus: 'Sexta ætas est senectus, quæ nullo annorum tempore finitur.' Vide plura apud Censor. de die natali cap. 14. quod est, de annis climactericis.

7 *Ope*] Et Saturno. Jupiter scilicet, Neptunus, et Pluto, cum sororibus quas mox enumerat. Idem scribit Diodorus Bibliothecæ lib. v. ubi Cretica explicat.

Tres ordine partæ, &c.] Ovidius in Fastis. 'Ex Ope Junonem memorant, Cereremque creatam Semine Saturni, tertia Vesta fuit.'

8 *Secus muliebre*] Sexus muliebris. Sic 'virile secus' apud Sallustium.

* *Secus muliebre*] In quibusdam vulgatis habetur *Decus*, et *Sexus* apud Sylvium qui ex Prisciano tradit apud veteres Latinos *Sexus* in neutro reperiri. At vero cum Mss. retinendum *Secus*, quod apud Plautum ac Sallustium, eodem quo hic sensu, legitur. Nec enim, si leges *Sexus*, ratio metri constabit, ut et in Epigram. LXX. 'Corrupit totum qui puerile secus.'

9 *Inde trisulca Jovis, &c.*] Servius ad hunc Virg. versum Eclog. VIII. 'Numero Deus impare gaudet, aut quemcumque superorum' inquit 'juxta Pythagoreos, qui ternarium numerum perfectum summo Deo assignant, a quo initium, et medium, et finis est; aut revera Hecaten dicit; cujus triplex potestas esse perhibetur. Unde est: 'tria virginis ora Dianæ.' Quamvis omnium prope Deorum potestas triplici signo ostendatur: ut Jovis trifidum fulmen, Neptuni tridens, Plutonis canis triceps. Apollo idem Sol, idem Liber. Vel quod omnia ternario numero continentur; ut Parcæ, Furiæ; Hercules etiam trinoctio conceptus; Musæ ternæ.'

* *Trisulca Jovis sunt fulmina*] Quæ huc ex Servio post Tollium affert Interpres noster, nihil ad rem. Quin et operam male perdere ceteri fere Interpretes mihi videntur, dum inquirunt cur fulmina Jovi potissimum tribuantur, cujus ratio patet cuivis attendenti. Nos potius edocere debuissent cur fulmina illa dicantur 'trisulca,' non solum Ausonio, sed et Varroni apud Nonium VI. 2. Ovidio Amor. II. 5. vers. 52. Senecæ in Hercule Œtæo, &c. Sunt qui contendant sic appellari a tribus, quæ Hist. lib. II. cap. 51. Plinius recenset, fulminum generibus. 'Ipsorum,' inquit, 'plura genera traduntur, Quæ sicca veniunt, non adurunt, sed dissipant. Quæ humida, non urunt, sed infuscant. Tertium est, quod clarum vocant, mirificæ maxime naturæ, quo dolia exhauriuntur, intactis operimentis, nulloque alio vestigio relicto.' Plerique censent vocari

Inde tridens: triplexque Helenes cum fratribus ovum.
Ter nova Nestoreos implevit purpura fusos:
Et totiens terno cornix vivacior ævo.
Quam novies terni glomerantem sæcula tractus
Vincunt æripedes ter terno Nestore cervi:
Tres quorum ætates superat Phœbeius oscen,

Cerberus triceps, ex eodem tridens, furca Neptuni: et tergeminum ovum Helenæ et fratrum ejus. Nova lana purpurea implevit ter fusos vitæ Nestoris, et cornix superat vivendo toties tria sæcula. Quam cervi æripedes superarent tribus terni Nestoris ætatibus, etiam si viveret per circuitum novies trium sæculorum; quorum cervorum tres ætates avis Phœbi prætergreditur, quam avem vetus avis Indica

NOTÆ

'trisulca,' quod Jupiter, Neptunus, Pluto, quanquam diversis regionibus, communem habeant potestatem. His aut illis fortasse accederem, aliudve quippiam proponerem, nisi Barthius ad III. Stat. Sylv. p. 89. moneret 'quadrisulca' etiam dicta fuisse. Verum quacumque de causa appellata sint 'trisulca,' sic vocata fuisse constat: quod arbitror satis esse ad hujus ænigmatis enodationem.

10 *Triplexque Helenes cum fratribus ovum*] Epig. LVI. quod de iisdem est. 'Istos, tergemino nasci quos cernis ab ovo.' Sunt tamen qui dicant duo ova fuisse, ex quorum uno Castor et Helena, ex altero Pollux et Clytæmnestra nati sint.

quæ sequuntur ex fabulosa Hesiodi ætatum supputatione sunt, de qua Plinius Nat. Hist. lib. VII. cap. 48. 'Hesiodus, qui primus aliqua de hoc prodidit, fabulose (ut reor) multa de hominum ævo referens, cornici novem nostras attribuit ætates, quadruplum ejus cervis, id triplicatum corvis. Et reliqua fabulosius in Phœnice ac Nymphis.' Ex hac supputatione Nestor vixerit annos CCC. circiter, seu sæcula III. Cornix vivat sæcula IX. Cervus XXXVI. Corvus sæcula CVIII. Phœnix, juxta nostrum auctorem, sæcula DCCCCLXXII. quæ omnia quam fabulosa sint nemo non videt. Eadem repetita infra ex Hesiodo vide-

[redacted]

Quem novies senior Gangeticus anteit ales,
Ales cinnameo radiatus tempora nido.

novies superat; avis, inquam, illa quæ reparat ætatem suam in nido et cinnamo

liger legendum monet: *nimbo*. Vid. inf. Vulgatam lectionem tuetur [Ale-

NOTÆ

avis sacra. 'Oscen,' vocalis, quasi ore canens. Corvos autem vocales esse tradit Macrobius lib. Saturnal. II. ubi narrat corvum a quodam edoctum Cæsari Augusto dixisse: AVE CÆSAR IMPERATOR. 'Oscen' in auguriis dicitur avis illa quæ garritu aut voce facit auspicium.

16 *Gangeticus...ales*] Phœnix circa Gangem Indiæ fluvium versans. Ultra Indiam ipsam in locis inaccessis habitare eum fingit Claudian. Epig. L. de Phœnice.

* *Gangeticus anteit ales*] Si fides Ausonio, plusquam novem sæcula viveret Phœnix, qui juxta Ovid. Metam. lib. XV. ubi complevit vitæ quinque sæcula, finit ævum in odoribus. At vero, ut omittam quod Plinius lib. XIII. cap. 4. scribit Phœnicem dictum esse ab arbore, non arborem ab avi; totam de Phœnice fabulam Andræas Schottus his momentis refellit. 1°. Quod illam qui narrant, minime sibi constent. 2°. Quod nemo sit qui profiteatur verum Phœnicem a se visum. 3°. Quod Deus in illis Jobi, in quibus majestatem suam atque potentiam ex naturæ operibus commendat, hoc non fuisset omissurus quod tam admirandum foret. 4°. Denique, quod nec S. Paulus de Resurrectione mortuorum agens I. Corinth. cap. 15. rationem tam obviam reliquisset intactam, apud Corinthios maxime quibus notissimum erat quicquid hac de ave jactatur. Ipsum consule Heptaëm. Diatrib. 13. et Donati Marcelli Dissertatiunculam de eadem avi ad lib. VI. Annal. Tacit. cap. 28. Totum igitur de Phœnice commentum symbolicum est. Sane apud Horum Phœnix Solis symbolum est.

17 *Cinnameo radiatus tempora nido*] Phrasis sensu carens, nisi sic intelligas: 'ales radiatus tempora' auri fulgore circa colla micante (ut ait Plinius) 'in nido suo Cinnameo.' Neque enim *radiatus nido* dici potest. Mendum subesse putat Scaliger, et pro *nido* reponit *nimbo*, quod interpretatur: Sparsione quadam rubri fulgoris, quo collum Phœnicis, et caput velut asperum est. Cuperus lib. II. Observ. cap. 16. eodem modo reponit, sed nimbum intelligit lucem illam divinam, qua Deorum capita solent cingi, quamque cum reliquis honoribus adulatores Imperatoribus suis tribuerunt. Tollius suspicabatur legendum esse *Cyaneo*, hoc est, cæruleo *nimbo*, inductus Eustathii Antiocheni verbis in Hexaëmero, ubi de Phœnice loquens ait, auro et purpura ipsius alas distinctas esse, caput autem ejus circulo seu corona Cyanea nativa cingi. Ego, si conjecturam quoque nostram afferre licet, existimaverim mendum, si quod sit, esse in voce *radiatus* pro qua legerim libens *redivivus*, vel *reparatus*, vel *reparans sua tempora*, &c. Hoc est, in nido e cinnamis aggestis composito et radiis solaribus incenso, ad novam vitam renascens. Alcimus Avitus: 'Hic quæ donari mentitur fama Sabæis Cinnama nascuntur, vivax quæ

Tergemina est Hecate, tria virginis ora Dianæ:
Tres Charites: tria Fata: triplex vox: trina elementa.

structo. Hecate triformis est, tres sunt vultus Virginis Dianæ. Tres Gratiæ sunt. Tres Parcæ. Vox triplex. Triq Elementa. Tres Sirenes in Sicilia,

---

ander in Tabulam Marmoream, nec non Salmasius ad Solinum.—19 Alii libri:

NOTÆ

colligit ales, Natali cum fine perit, nidoque perusto, Succedens sibi quæsita de morte resurgit.' Claudian. de Phœnice: 'Arentes tepidis de collibus eligit herbas, Et cumulum texens pretiosa fronde Sabæum, Componit bustumque sibi, partumque futurum.' Hunc postremum sensum exposui in Interpretatione.

* *Radiatus tempora nido*] Non placet emendatio Interpretis nostri, pro *radiatus* reponentis *reparatus* vel *redivivus*. Neque enim puto sic Poëtam locutum fuisse; immo contendo sic loqui non potuisse, Griphum scribentem, cujus prima lex, ut in Proœmio diximus, obscuritas quædam et recondita eruditio. Quid vero magis tritum quam Phœnicem e cineribus suis reparari? Igitur, quam respuit, Scaligeri et Cuperi lectio, pro *nido* [redacted]

apice inferiore, altero emicante apice. Certe *nimbum* Ausonius quoque circa Phœnicis tempora seu caput ipsum ponit. 'Radiatus tempora nimbo.'

18 *Tergemina est Hecate, &c.*] Lib. IV. Æneid. 'Tergeminamque Hecaten, tria Virginis ora Dianæ.' Vide de hoc Cælium Rhodiginum, et Servium ad superiorem versum Æneidos.

* *Tergemina est Hecate*] Apollinis soror, triplici nomine, in cœlo Luna, in terris Diana, in Inferis Proserpina appellata: at præterea Hecate. Ergo nomine quadruplici, non triplici. Immo Hecate nomen non fuit, sed cognomen, inde additum quod centum polleret virtutibus, aut centum placaretur victimis. Hæc diserte Ruæus ad lib. Æneid. IV. v. 511.

* *Tria virginis ora Dianæ*] Post Maronem Poëta noster per 'Hecaten' et [redacted]

[redacted]

Tres in Trinacria Siredones; omnia terna:

quæ habent omnia triplicia, sunt enim tres aves, tres semideæ, tres semivirgines:

---

terna elementa.—20 'Memini in veteri libro me illum versum ita legere: *Tres in Trinacria Siredones: omina trina.* Ergo quas alii *Sirenes*, ipse *Siredones* vocat. Et vera est illa lectio. Alioqui inconcinna erat. Dictæ enim sine dubio *Siredones* quasi σειρανηδόνες. Amplector etiam: *omina trina.*' Scaliger. Vid. inf. *Sirenides* omnino scribendum monet Vossius. *Omnia terna*

NOTÆ

dem similitudinem temporis referas. Nam, quod in fuso perfectum est, præteriti temporis habet speciem: et quod torquetur in digitis, momenti præsentis indicat spatia: et quod nondum ex colo tractum est, subactumque cura digitorum, id futuri et consequentis sæculi posteriora videtur ostendere.' Nomina Parcarum fuerunt Atropos, Lachesis, et Clotho.

* *Tria Fata*] Tria Stoicorum principia, de quibus in primo de placitis Plutarchus, Jovem nimirum, Naturam, et Fatum videtur Minos intelligere. Etsi cum Sylvio vult quoque referri posse ad Fata Trojana quæ dicebantur tribus inesse, Palladio scilicet, Rhesi equis, et Laomedontis sepulcro; quod mihi non displicet, utpote haud minus reconditum.

Triplex vox] Acuta, gravis, et media.

Trina elementa] Ex eorum Philosophorum placitis, qui ignem negabant esse quartum Elementum, et tria tantum admittebant, Terram, Aquam, et Aërem. Nostra ætate Cartesius tria tantum admisit elementa, sed alia a vulgatis.

* *Trina elementa*] Quæ ut referret ad ternarium ex Lucretii sententia dixit trina: 'Principio maria ac terras cœlumque tuere, Quorum naturam triplicem, tria corpora Memmi, Tres species tam dissimiles, tria talia texta Una dies dabit exitio,' &c.

20 *Siredones*] Sic Scaliger ex veteri codice. Vinetus *Sirenes*, Vossius *Sirenides*, et intelligit scopulos, sive petras quas inhabitaverunt Sirenes, auctore Servio. Assentior Scaligero veteris libri lectionem retinenti. Quid probibet, Σειρηδόνας dici pro Σειρῆνας, sive illud simpliciter formetur, ut a κλέος κλεηδὼν, ab ἄνθος ἀνθηδὼν, &c. Sive, ut vult Scaliger, dicantur Σειρηδόνες quasi σειρανηδόνες.

* *Tres in Trinacria Siredones*] Sirenes, et Celedones, Κηληδόνες: qua voce putat Jacob. Delechamp. Pindarum intellexisse Sirenas. Athenæus tamen lib. VII. easdem cum Sirenibus non facit, sed eodem modo quo illæ canentes. Eustathius Iliad. II. nescire se fatetur utrum epithetice hoc verbum usurparit, an vero alia quædam ᾠδικὰ δαιμόνια intellexerit; potuit certe Ausonius ita Sirenes nominare. Hæc Desposius. Servius ad quintum Æneid. tradit Sirenes secundum fabulam tres in parte virgines fuisse, tres volucres, Acheloi fluminis et Calliopes Musæ filias, et primo juxta Pelorum, deinde in Capreis insula habitasse; harum unam voce, alteram tibiis, alteram lyra canere. Secundum veritatem meretrices fuisse, et quoniam transeuntes ad egestatem ducebant, inferre naufragia fictas fuisse. Tres numerari dicit Fulgentius in Mythol. propter triplicem voluptatis illecebram, quæ cantu, aut visu, aut consuetudine homines allicit. Ceterum

Tres volucres, tres semideæ, tres semipuellæ:
Ter tribus ad palmam jussæ certare Camœnis,
Ore, manu, flatu: buxo, fide, voce canentes.
Tres sophiæ partes: tria Punica bella: trimestres
Annorum cœlique vices: noctisque per umbram
Tergemini vigiles: ter clara instantis Eoi

jussæ sunt contendere pro victoria cum ter tribus Musis, cantantes ore, manu, spiritu: tibia buxea, chorda, et voce. Tres sunt partes Philosophiæ. Tria bella Carthaginensia. Tempestates anni et mutationes cœli sunt singulæ trium mensium: et tres vigiles excubant in singulis vigiliis noctis: excubitor cujus tarditate

NOTÆ

Raphaël Fabrettus de Aquæ ductibus p. 107. observat Deas illas quæ plures colebantur, terno ut plurimum numero fuisse. Sic Sirenes, Furias, Harpyias, Hesperides, Stymphalides, Gratias, immo etiam Sibyllas. At tamen eundem numerum Veteres non usque secuti sunt, ut jam vidimus ubi de Gratiis.

Omnia terna] Nequaquam in sententiam vado Scaligeri legentis hic: *omina trina*, et intelligentis triplex ominandi genus ex sternutatione, supercilii palpitatione, seu salissatione, et aurium tinnitu. Docta quidem sunt quæ hic affert, sed nequaquam apposita huic loco. Manifestum est enim nihil aliud velle hic Ausonium,

[redacted]

22 *Ter tribus, &c.*] Pausanias in Bœoticis, et Stephanus de Urbibus in verbo ἄπτερα memorant Sirenas a Junone impulsas, inter oppidum Cretæ Ἄπτερα et mare, in loco, cui Μουσεῖον postea nomen fuit, cum Musis de cantu contendisse, Musasque, cum vicissent, evellisse victis Sirenibus alas, et ex eis sibi coronas fecisse, et ab illa pennarum amissione, quam Sirenes passæ sunt, oppido factum nomen Ἄπτερα. Ipsæ vero Sirenes doloris impatientia in mare sese præcipites dederunt, et ex illo maris factæ sunt incolæ.

23 *Ore, manu, &c.*] Singula sic compone: 'ore,' voce; 'manu,' fide; 'flatu,' buxo, hoc est, tibia buxea.

[redacted]

[redacted]

Signa canit serus depreuso Marte satelles.

deprehensus est Mars in adulterio, ter manifeste significat cantu adventare dilucu-

defendit Tollius.—27 *Depenso* legit Scaliger ex vet. cod.—31 Vetus cod.

NOTÆ

cubet per horam. Tres enim erant in unaquaque vigilia horæ.

* *Noctisque per umbram Tergemini vigiles*] Locus admodum salebrosus. Certe nemo quem noverim hactenus rem tetigit. Vinetus et Scaliger explicant: cum sint quatuor vigiliæ, in singulis ternos vigiles fuisse, quemque pro sua hora excubasse. At ex Vegetio lib. III. cap. 8. quatuor virorum vigilias extitisse, et singulos vigiles tribus horis excubasse constat. Hoc, lib. V. Dial. 9. de Militia Romana, vidit Lipsius, qui ut se expediat, aliter legendum suspicatur, mutatque nulla auctoritate nixus *tergemini* in *tergeminam*. 'Umbra,' inquit, 'tergemina, non ipsi vigiles, id est, horæ ternæ in vigiliis, quod clarum.' Sed cum ipse fateatur audacius paulo dictum; quanquam eo se negat offendi; ac præterea nusquam occurrat lectio quam proponit, alia demum opus est interpretatione. Puto igitur Ausonium in animo habuisse excubias tres apud Quæstorem seu ad ejus tutelam fieri solitas, ut patet ex his Polybii lib. VI. Γίνονται δὲ ὡς ἐπίπαν τρεῖς φυλακαὶ παρὰ τὸν ταμίαν, &c. Immo arbitror eum respexisse veterum Græcorum morem, quos noctem in tres partes duntaxat secuisse plurima innuunt Homeri ac Theocriti loca; vel Hebræorum, quos constat noctem in tres vigilias partitos fuisse antiquitus, quarum primam vocabant 'initium vigiliarum;' alteram 'mediam;' tertiam denique 'vigiliam matutinam:' donec ipsi quoque, at Romanis duntaxat temporibus, quatuor vigilias constituerent.

Ter clara instantis Eoi] Parrhasius, et post eum Silvius Ambianas, et Vinetus de Gallo Gallinaceo intelligunt, ex Luciano fabulam narrante in 'Somnio seu Gallo:' ad quam fabulam respexisse hic Ausonium nequaquam dubito: quicquid in contrarium afferat Scaliger, (qui *depenso* pro *depreuso* legit, et de diluculi significatione a buccinatore facta interpretatur,) aut Mariang. Accurs. qui Corvum mavult quam Gallum, eo quod, ut ipse ait, Corvus ter salutet Auroram, (quod probat loco Sidonii ad Domitium,) nec legerit a quoquam traditum Gallos ter matutino cantu Solem adventantem salutare. Non legerat scilicet illud Theocriti Idyll. XXIV. Ὄρνιθες τρίτον ἄρτι τὸν ἔσχατον ὄρθρον ἄειδον. 'Galli tertium jam ultimum diluculum canebant.' Sed operæ pretium est fabulam ex Luciano referre. Adolescentulus quidam fuit Ἀλεκτρυὼν, id est Gallus nomine, Marti adamatus, quem is, cum Venerem adiret, quoniam Solem potissimum metuebat, ne si e sublimi conspexisset, Vulcano se proderet, excubias agere ad ostium jubebat, ut ejus indicio certior fieret quando emergeret Sol. Cum autem aliquando somno oppressus egregius ille excubitor stationem deseruisset, Sol secure dormientes deprehendit Martem et Venerem, ac Vulcano indicavit, qui reti ferreo circumdatos ceteris Diis exhibuit deridendos. Qua ex contumelia dolens Mars, somniculosum suum satellitem in avem cognominem mutavit iisdem armis, ut in capite pro galea cristam obti-

Et qui conceptus triplicatæ vespere noctis,
Jussa quater ternis affixit opima tropæis.
Et Lyrici vates numero sunt Mnemosynarum,
Tres solas quondam tenuit quas dextera Phœbi:

lum. Et ille qui conceptus est per umbras noctis triplicatæ, appendit quater tribus tropæis spolia opima quæ jussus erat petere. Et poëtæ Lyrici sunt totidem, quot Musæ, quas Phœbi manus olim habuit tantum tres, sed Cithæron dedicavit

NOTÆ

neret. Qua de causa Galli, quo se Marti purgent, cum jam nihil opus est, simul atque Solem exorientem senserunt, multo ante vociferantur, atque illius exortum prænuntiant. Hæc legere est apud Lucianum. Quæ quam apposita sint ad hunc Ausonii locum, nemo erit, qui non videat.

* *Ter clara instantis Eoi, &c.*] Vix possum non probare Scaligeri sententiam, qui legit *Depenso Marte*, hoc est, castris Martiis depensis, locumque interpretatur de quarta vigilia, in qua tubicen instantis lucis ter signum tuba canit. Pendet enim, inquit, versus a priore, ubi de vigiliis sermo est. Verum, ut memini Poëtam scribere Griphum, cujus ea est natura, ut neque seriem neque ordinem admittat, quique, Ausonio ipso testante, nisi obscurus esset, nihil foret, iis accedo qui locum explicant de Alec-

Opima] Supple spolia. Quæ, quid sint, notum ex rerum Roman. scriptoribus, ea nempe quæ dux Populi Rom. hostium duci manu sua detrahit.

30 *Et Lyrici vates, &c.*] Vide Notas nostras ad Epigramma XXXII.

Mnemosynarum] Ita vulgo legitur: Heinsius vero reponit *Mnemonidarum*. Mnemosyne, quæ memoria est, mater fuit Musarum. Phædrus: 'Ego quem Pierio mater enixa est jugo, In quo tonanti sancta Mnemosyne Jovi Fœcunda novies artium peperit chorum,' &c.

* *Mnemosynarum*] Musarum, quas enixa est Mnemosyna, id est, memoria: quo figmento Poëtæ significant, memoria et gigni et ali eruditionem. Vide Plutarc. περὶ παίδων ἀγωγῆς.

31 *Tres solas quondam tenuit quas dextera Phœbi*] Hinc conjici potest simulacra Apollinis ita fieri solita, ut

[redacted]

[redacted]

Sed Citheron totiens ternas ex ære sacravit
Religione patrum, qui sex sprevisse timebant.

toties tres æneas, ob religionem patrum, qui verebantur sex ex illis rejicere. Ludi

solis.—32 Sic Parisiense novum, et Lugdunense vetus exemplar. Aldus Manutius, quod Silvius monuit, edidit: *Sacravit totiens ternas ex ære Cithæron.* Et Lilius Gyraldus in priore Syntagmate de Musis castigabat: *Sed Sicyon totiens ternas ex ære sacravit.*—33 'In veteri libro legitur: *qui sex præbuisse timebant*: mendose, ut apparet. Ego lego: *præmisse.*' Scaliger: Qui postea margini sui libri ascripserat: *qui sex sprevisse timebant.* Et sic omnino legendum monet Floridus. 'Cum Iodocus Badius pro *sex sprevisse*, *se sprevisse* edidisset, Michael Humelbergius *sex periisse* emendandum putavit. Sed Lugdunensis vetus codex *sex prebuisse* habebat: quod ad illud, *sex spre-*

NOTÆ

desiderare Poëtam ipsum interpretem. Ternarius Musarum numerus nihil habet quod negotium facessat. Sectatur Ausonius recondita, utpote qui Griphum scribat. Consentiunt enim veteres Poëtæ de novenario Musarum numero. Vide quæ ad earum inventa, Edyll. xx. annotamus.

32 *Sed Citheron totiens ternas, &c.*] Græce tamen Κιθαιρὼν non Κιθερὼν scribitur mons ille Bœotiæ. Sed ὀρθογραφίας illius parum studiosus Ausonius similiter *Clytemnestra* scripsit pro *Clytæmnestra* a Græco Κλυταιμνήστρα in Heroibus: 'Vindicem adulterii cum Clytemnestra necet.' Ter primum Musas Aloidæ constituerunt. Pierus Macedon longo post tempore ter ternas constituit. Quod Ausonius hic innuit in Cithærone factum. Pausanias in Bœoticis, ubi rem diserte explicat, ait id contigisse Thespiis: huic sententiarum diversitati occasionem dederit locorum vicinitas.

33 *Religione patrum qui sex sprevisse timebant*] Sic omnino legendum. Hæc ex Varrone sumsit Ausonius. Ex illius certe libris qui perierunt hæc repetiit D. Augustinus lib. II. de Doctrina Christiana, locum hunc optime explanantia: 'Non audiendi sunt,' inquit, 'errores gentilium superstitionum, qui novem Musas Jovis et Memoriæ filias esse finxerunt. Refellit Varro, quo nescio utrum apud eos quisquam talium rerum doctior, vel curiosior esse possit. Dicit enim civitatem nescio quam (nec enim recolo nomen)' repetendum ex Pausania 'locasse apud tres artifices terna simulacra Musarum, quæ in templo Apollinis dono poneret: ut quisque artificum pulchriora formasset, ab illo potissimum emeret. Itaque contigisse, ut opera sua illi artifices æque pulchra explicarent: et placuisse civitati omnes novem: atque omnes emtas esse, ut in Apollinis templo dedicarentur. Quibus postea dicit Hesiodum Poëtam imposuisse vocabula. Non ergo Jupiter novem Musas genuit, sed fabri tres ter ternas fecerunt. Tres autem propterea civitas illa locaverat, non quia in somnis ea viderat, aut tot se cujusquam illorum oculis demonstraverant, sed quia facile erat animadvertere omnem sonum, qui materies cantilenarum est, triformem esse natura. Aut enim editur voce, sicut est eorum, qui faucibus sine instrumento canunt: aut flatu, sicut tubarum, et tibiarum: aut pulsu, sicut citharis, et tympanis, et quibusdam aliis, quæ percutiendo

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo:
Qualis bis genito Thebis Trieterica Baccho.
Tres primas Thracum pugnas tribus ordine sellis
Juniadæ patrio inferias misere sepulcro.

Tarentini exhibentur per ter tres noctes: quemadmodum triennalia sacra exhibentur apud Thebas Libero bis nato. Filii Junii inferiis ad patris sepulcrum mittendis exhibuerunt tria prima prælia Gladiatorum Thracum, tribus certaminibus

visse propius accedit.' *Vinetus.*—36 ' Mirum est, quod ego legi in veteri exemplari: *Tres primas Pheacum pugnas &c.* Non enim potest dici commentitia lectio, aut ficta esse librario, neque frustra a vulgata discrepare.' *Scaliger.* Vid. Not. Var. ' Mendosum puto quod *Pheacum* pro *Thracum* scriberet vetus codex.' *Vinetus.* Tollius ex vet. exemplar. pro *sellis* corrigit, *bellis.*—37 Andræas Schottus legend. putat: *Iliadæ.* Alii *patri . . . sepulto.*—38 *Illa* le-

NOTÆ

sonora sunt.' Hactenus D. Augustinus. Ex novem igitur æque elegantibus Musarum simulacris religioni duxerunt tres tantum dedicare, rejectis et spretis aliis sex. Atque hinc est quod novem consecrarunt. Hujus Varronis loci meminit etiam Servius ad illud Virg. Ecl. IV. ' Nymphæ noster amor Libethrides:' ubi: ' sane sciendum,' inquit, ' quod Varro tres tantum Musas esse commemorat: unam quæ ex aquæ nascitur motu: alteram, quam aëris icti efficit sonus: tertiam, quæ in aërea tantum voce consistit.'

34 *Trina Terentino, &c.*] Ludos sæculares intelligit, qui per tres noctes celebrari primum cœpti sunt in Ditis et Proserpinæ honorem a Valeso, seu Valesio quodam Sabino; (unde Valeriæ familiæ nomen;) Deorum monitu apud Tarentum seu Terentum, (locum prope campum Martium situm,) liberorum suorum valetudinis restituendæ causa; celebratis, ad defossam illic a Romanis bello adversus Albanos aram, sacris Diti et Proserpinæ, ut fusius narrat ex Zosimo et aliis Politianus Miscellan. cap. 58. quem vide et Rosin. Antiquit. Rom. lib. v. cap. 21.

* *Trina Terentino, &c.*] Super his ludis consule Herod. lib. III.

* 35 *Bis genito, &c.*] Fulmine percussa Semele, Bacchus, qui maternos menses nondum compleverat, eos in Jovis femore complevit. Fabula est notissima.

Trieterica] Sacra triennalia in Liberi patris honorem tertio quoque anno fieri solita etiam noctu, unde Nyctelia ἀπὸ τῆς νυκτὸς dicta sunt, et ipse Liber Νυκτέλιος.

36 *Thracum*] Gladiatorum. Sic lege, non *Pheacum.* Superflua sunt et extra rem, quæ de Phæacibus hic Scaliger. Thraces pro Gladiatoribus passim usurpari, quod gladiatorum ferax Thracia esset, quis nescit?

* *Tribus ordine sellis*] Ita Sylvius, Scaliger, Minos, et alii. Tollius legit *bellis,* quem noster in Interpretatione sua secutus est. Utramvis lectionem retineas, intellige ludos ter instauratos fuisse. Kirchman. lib. de Funer. Roman. 4. tria bella interpretatur de tribus gladiatorum paribus a Juniis datis.

37 *Juniadæ patrio, &c.*] Filii Junii Bruti, non primi illius cum Publicola Consulis, sed alterius Bruti ad annum ab urbe condita 490. de quibus

[redacted]

Ille etiam thalamos per trina ænigmata quærens,
Qui bipes, et quadrupes foret, et tripes, omnia solus,
Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.
Trina in Tarpeio fulgent consortia templo.

consequenter repetitis. Illa quoque Sphinx, quæ nuptias proponebat ei, qui solveret ænigma triplex, nempe quis esset bipes, et quadrupes, et tripes, hæc omnia unus, territavit Bœotiam, cum esset triformis, avis scilicet, leo, puella; avis alis, bellua pedibus, virgo vultu. Cœtus trium numinum micat in templo Capito-

gendum monet Scaliger: quod exhibent edd. Delph. et Toll.—44 *Qui saxu*

NOTÆ

sic Valer. Max. lib. II. ubi de institutis antiquis: 'Gladiatorum munus primum Romæ datum in foro Boario, Appio Claudio, M. Fulvio Coss. Dederunt Marcus et Decimus Bruti, funebri memoria patris cineres honorando.'

* *Juniadæ patrio inferias misere sepulcro*] Andræas Schottus Observat. lib. II. c. 33. legendum putat *Iliadæ*, ut de Anchise Ilii filio intelligatur, in cujus exequiis pueri in tres turmas divisi Trojanum agmen luserunt, ut ex Virgilii lib. V. patet. Quis enim, inquit Schottus, quis tandem ille Juniades? Dicere potius debuisset, qui illi Juniadæ? Vox enim est in recto casu. Juniadæ autem illi filii sunt alterius Junii Bruti, de quibus Valer. Max. lib. II. et Livius lib. XVI. qui si totus extaret, non esset divinandum quæ sint tres illæ pugnæ et sellæ, de quibus versu superiore. Inferiæ vero sunt sacra mortuorum quæ Inferis solvuntur. Docet Servius morem fuisse in sepulcris virorum fortium captivos necari. Quod postquam crudele nimis visum est, placuisse Gladiatores ante sepulcra dimicare, qui a bustis Bustuarii dicti fuerunt. Inferias tribus fieri ex Volaterrano docet Sylvius, sacrificando Diti, spargendo flores tumulo, ludos et epulos dando.

38 *Ille* [*Illa*] *etiam thalamos, &c. quærens*] Non sibi, sed Jocastæ, quæ interpreti ænigmatis illius, Bœotiam a Sphinge liberaturo, seipsam cum sceptro Thebarum uxorem promiserat. Ænigma porro illud de homine exposi tum ab Œdipode, qui deinde Jocastam matrem insciens uxorem duxit. Cetera Jocasteæ domus infortunia notiora sunt, quam ut hic a me referantur.

40 *Aoniam*] Ea proprie pars Montana fuit Bœotiæ, a qua tamen tota Bœotia Aonia dicta est, ut et Musæ Aonides, a fonte Aone ejusdem regionis Musis consecrato, teste Stephano.

* 41 *Sphinx*] Ex Typhone et Chimæra nata, teste Hesiodo in Theogonia. Sphingem tradit Lactantius dici ἀπὸ τοῦ σφίγγειν, stringere, eo quod suis ænigmatibus hominum mentes perstringeret.

42 *Trina in Tarpeio, &c.*] Tria numina cellas habebant in Capitolio, Jupiter, Juno, et Minerva, in quorum tutela urbs erat.

* *Trina in Tarpeio, &c.*] Turnebus Advers. lib. III. cap. 1. per 'tria consortia' recte intelligit Jovem, Junonem, Minervam: siquidem Tarqui-

Humana efficiunt habitacula tergenus artes,
Parietibus quæ saxa locat, quæ culmine tigna,
Et quæ supremo comit tectoria cultu.
Hinc Bromii quadrantal, et hinc Sicana medimna.
Hoc tribus, hoc geminis tribus explicat usus agendi.
In Physicis tria prima, Deus, mundus, data forma.
Tergenus omnigenum, genitor, genitrix, generatum.
Per trinas species trigonorum regula currit,

linó. Artes triplicis generis elaborant domos hominum, ea scilicet quæ struit parietes e lapidibus, ea quæ ponit tigilla in fastigio, et ea quæ inducit parietibus ultimum ornatum tectorii. Ab eodem numero oritur quadrantal vini, et ab eodem oriuntur medimni Siculi. Illud in usu hominum continet tres modios, hi vero continent bis tres. In rebus naturalibus tria principia occurrunt, Deus, mundus, et forma ipsi impressa. In omni generatione tria sunt, genitor, genitrix, et genitum. Regula triangulorum pergit per tres eorum species: est enim triangulum vel æqui-

Vulg.—47 'Lege: *hæc g. tribus*, ut est in optimis membranis.' *Tollius.*—50

NOTÆ

nius Priscus in Sabinos ultimo bello decertaturus, iis tribus templum voverat, quod tamen morte præventus ne inchoare quidem potuit; inchoavit autem Tarquinius Superbus, absolvit demum Populus Romanus, et per Horatium Pulvillum consecravit. Hoc idem indicat Servius ad lib. II. [redacted]

46 *Quadrantal*] Volusius Mæcianus JCtus: 'Quadrantal, quod nunc plerique Amphoram vocant, habet urnas duas, modios tres, semodios sex, congios octo.'

Sicana medimna] Numero multitudinis. Dicitur enim *medimnus*, et *medimnum*. Mensura est sex modio- [redacted]

[redacted]

Æquilatus, vel crure pari, vel in omnibus impar.
Tres coit in partes numerus perfectus: ut idem
Congrege ter trino per ter tria dissolvatur.
Tres primus, par, impar habet, mediumque: sed ipse
Ut tres, sic quinque et septem quoque dividit unus,

laterum, vel æquicrurium, vel inæquale in omnibus lateribus. Numerus perfectus coalescit in tres partes: ita ut idem multiplicatus ter dividatur in ter tria. Numerus ternarius primus habet par, impar, et medium: at ipsa unitas quæ est in medio, dividit etiam quinarium, et septenarium, et collocata in toto numero ter

Vulg. *lineæ* pro *regula.*—53 '*Cum grege ter trino*] Vetus liber: *Congeret et trino.* Lege: *Congrege ter terno.*' Vinetus. *Congrege* etiam legendum monet

NOTÆ

51 *Æquilatus, &c.*] 'Ισόπλευρον æquilaterum triangulum, cujus latera omnia æqualia sunt.

Crure pari] 'Ισοσκελὴς, cujus duo paria inter se latera.

In omnibus impar] Σκαληνὸν, ex tribus imparibus lateribus constans.

52 *Tres coit in partes, &c.*] Numerum perfectum (ut optime observat Tollius, contra Scaligeri sententiam) hic non alium intelligit Ausonius quam ternarium. Nec solus id existimavit Auson. Sic enim Mart. Capella: 'Trias vero princeps imparium numerus, perfectusque censendus. Nam prior initium, medium, finemque sortitur: et centrum medietatis ad initium, finemque interstitiorum æqualitate componit.' Eadem habet Plutarchus in Problem. Convival. Tres partes in quas coit sunt tres unitates ex quibus constat.

Ut idem Congrege ter trino, &c.] Hæc omnia quæ sequuntur de ternario, quæ Vineto Cimmeriæ tenebræ visa sunt, non triangulo punctorum Scaligeri, sed hoc quadrati novenarii schemate, mirum quam facile ponantur ob oculos.

a	b	c
•	•	•
d•	⊙	•e
•	•	•
f	g	h

Sit d, ⊙, e, ternarius cui duo alii ternarii a, b, c,: f, g, h, sic addantur hinc inde, ut quadratam aream designent. Esto ⊙ quadrati centrum, primo positi ternarii media unitas. His positis ad singula veniamus.

53 *Ut idem Congrege ter trino*] Ternarius d, ⊙, e, cum ternariis a, b, c, & f, g, h.

Per ter tria dissolvatur] Vel in eosdem ternarios, vel in ternarios, a, d, f: b, ⊙, g: c, e, h. Aut etiam in diagonium ternarium a, ⊙, h, et angulares ternarios b, c, e: et d, f, g: aut rursus in alterum diagonium c, ⊙, f, et angulares b, a, d, et g, h, e.

54 *Tres primus, par, impar habet, mediumque*] 'Par' binarium d, e: 'impar' ipsum ternarium d, ⊙, e: 'medium' unitatem ⊙.

55 *Sed ipse Ut tres, sic quinque, et septem quoque dividit unus*] 'Ipse unus,' ipsa unitas ⊙ 'dividit,' media est, et æquales hinc inde partes relinquit in numeris sequentibus 'tres:' puta ternarium primo positum d, ⊙, e:

Et numero in toto positus sub acumine centri,
Distinguit solidos cœbo pergente trientes,
Æquipares dirimens partes ex impare terno,
Et paribus triplex medium: cum quatuor et sex,
Bisque quaternorum secernitur omphalos idem.
Jus triplex, tabulæ quod ter sanxere quaternæ,
Sacrum, privatum, et populi commune quod usquam est.

trium in puncto centri, dividit solidos quaternarios cubo crescente, dividens duas partes æquales ex ternario impare numero, et posita in medio trium numerorum parium, cum distinguitur eadem unitas quasi umbilicus, in quaternario, et senario, et octonario. Jus quod tabulæ ter quatuor constituerunt, triplex est, sacrum scilicet, privatum, et quod commune est semper toti populo. Triplex genus est inter-

Scaliger.—55 *Qui medius quinque et septem* Vulg.—57 *Cubo pereunte* Vulg.

NOTÆ

'Sic quinque' quinarium b, d, g, e, ⊙, vel a, f, g, c, ⊙, vel a, d, h, e, ⊙, vel alium quem similem. 'Et septem quoque' puta septenarium a, d, b, ⊙, g, h, e, vel a, d, f, ⊙, c, e, h: aut similem alium.

56 *Numero in toto*] In toto novenario quem mox improprium cubum appellat, 'cœbo pergente,' cum sit tantum quadrata superficies numeri cubici 27.

Positus sub acumine centri] Unus scilicet, seu unitas ⊙ in puncto centri totius quadrati posita.

⊙, h: c, ⊙, f: d, ⊙, e: b, ⊙, g, quos omnes unitas ⊙, in centro quadrati posita medios dividit.

58 *Æquipares dirimens partes ex impare terno*] Puta duas unitates d, et e, ex impare terno d, ⊙, e.

59 *Cum quatuor*] Puta, a, f, h, c, vel b, d, g, e.

Et sex] Puta, a, b, c, f, g, h: vel a, b, d, g, h, e.

60 *Bisque quaternorum*] Octo a, b, c, d, f, g, h, e.

Secernitur omphalos idem] Eadem

[redacted]

[redacted]

Interdictorum trinum genus: unde repulsus
Vi fuero, aut utrobi fuerit, quorumve bonorum.
Triplex libertas, capitisque minutio triplex.
Trinum dicendi genus est, sublime, modestum,

dictorum, scilicet interdictum unde vi expulsus fuero, interdictum utrobi fuerit, et interdictum quorum bonorum. Libertas est triplicis generis, et minutio capitis triplex est. Triplex est character orationis, sublimis, medius, et humilis. Triplex

Cabo pergente ed. Ascensiana, et vetus liber.—64 'Sic vet. cod. Nimis vero, quam inscite atque inconsulte immutatum *furto* legitur pro *fuero*.'

NOTÆ

commodet. Et illud est fortasse quod dixit in Epistola se 'quibusdam oblatis abusum.' Jus enim dividitur in Publicum et Privatum; et sub publico jure Sacrum continetur.

63 *Interdictorum trinum genus*] Interdicta, judicia sunt de possessione, quasi interim dicta seu pronuntiata, dum de proprietate penitius cognoscatur. Quoniam autem de possessione agi tripliciter potest: nempe de possessione quam amiseris recuperanda; de possessione quam habeas retinenda; et de possessione quam nondum apprehenderis adipiscenda; inde est, quod triplex interdictorum genus a Prætore proditum est, quibus, a primis uniuscujusque, in Prætoris edicto, verbis, nomina indita sunt. Et recuperandæ quidem possessionis interdictum, 'unde vi.' Retinendæ, 'uti possidetis,' et 'utrobi.' Adipiscendæ, 'quorum bonorum' fuit appellatum.

65 *Triplex libertas*] Intellige non quam habent ex sese ingenui, sed quam per manumissionem libertini consequuntur. De qua Imperator Instit. Tit. 5. De libertinis §. 3. 'Libertinorum autem status tripertitus antea fuerat. Nam qui manumittebantur, modo majorem et justam libertatem consequebantur, et fiebant cives Romani: modo minorem, et Latini ex lege Junia Norbana fiebant: modo inferiorem, et fiebant ex lege Ælia Sentia dedititii.' Sed Justinianus unam tantum voluit esse libertatem, majorem scilicet, et justam, quæ cum civitate esset conjuncta, ut videre est eodem in loco.

* *Triplex libertas*] Census, vindicta, testamentum, ut ait Boëthius ad Topic. Cicer. Duas tantum posuit Corn. Tacitus.

Capitisque minutio triplex] Maxima, qua aliquis simul et civitatem, et libertatem amittit, ut in iis qui servi pœnæ efficiebantur; minor sive media, cum civitas quidem amittitur, libertas vero retinetur; quod accidit ei cui aqua et igni interdictum fuerit, vel qui in insulam est deportatus. Et minima, cum retenta civitate et libertate, status tantum mutatur. Puta cum filius familias, qui sub potestate patris erat, juris sui per emancipationem efficitur; aut contra paterfamilias per arrogationem in patris adoptivi potestatem transit.

* *Capitisque minutio triplex*] Prioris status mutatio, quæ triplex est, maxima, media, et minima. De his fuse Interpres noster: fusius pro more suo Sylvius; quem ob eam rem et merito sane Scaliger nugatorem appellat.

66 *Trinum dicendi genus est*] Triplex

Et tenui filo: triplex quoque forma medendi,
Quoi logos, aut methodos, cuique experientia nomen.
Et medicina triplex, servare, cavere, mederi.
Tres oratorum cultus, regnata Colosso

etiam est genus medicinæ, illud cui ratio, aut illud cui methodus, aut illud cui experientia dedit nomen. Triplex quoque est munus medicinæ, conservare valetudinem, prospicere morbis impendentibus, curare præsentes. Tres sunt ornatus ora-

Accursius.—68 *Quæ logos* Vulg. Conjicit Vinetus: *Cui logos*, uti et Silvius

NOTÆ

character apud Rhetoras, sublimis, medius seu mediocris, et humilis seu simplex, quem 'tenui filo' appellat Ausonius.

• *Trinum dicendi genus*] Copiosum cui dignitas est et amplitudo. Gracile cui venustas subtilitasque. Medium utriusque particeps. Homerus tribuit copiosum et magnificum Ulixi; Menelao subtile et cohibitum; mistum atque moderatum Nestori.

67 *Triplex quoque forma medendi*] Dogmatica, Methodica, et Empirica seu experimentalis. Serenus Sammonicus: 'Quod logos, aut Methodus, simplexque Empirica pangit, Hoc liber iste tenet, diverso e dogmate sumtum.' λόγος ratio: μέθοδος via bre-

70 *Tres oratorum cultus*] Tria sunt genera Oratorum apud Ciceronem in Bruto, et Quintilianum lib. XII. Instit. Oratoriarum: 'Attici,' pressi, et integri: 'Asiani,' inflati, et redundantes: 'Rhodii,' medii, et velut ex aliis misti.

• *Tres oratorum cultus, &c.*] Cultus quidem Atticus, qui integer et pressus. Asianus qui inflatus et inanis, in scena primum a Poëtis, deinde in foro ab oratoribus usurpatus. Rhodius denique veluti medius Atticum inter et Asianum, et ex utroque mistus. 'Neque enim,' ut ait Quintilian. lib. XII. cap. 10. 'Attice pressus, aut Asiane abundans, ut aliquid habere videatur gentis, aliquid auctoris.

[redacted]

[redacted]

Quem Rhodos, Actææ quem dilexistis Athenæ,
Et quem de scenis tetrica ad subsellia traxit
Prosa Asiæ, in causis numeros imitata chororum.
Orpheos hinc tripodes, quia sunt tria, terra, aqua, flamma.
Triplex sideribus positus, distantia, forma.

torum, ille quem Rhodus Soli sacra dilexit, ille quem amavistis, o Athenæ Atticæ, et ille quem oratio Asiatica a theatro deduxit ad severa tribunalia, imitans in causis orandis pedes chororum in Tragœdiis. Inde est tripus Orphei, quoniam tria sunt rerum principia, terra, aqua, ignis. Tria observantur in astris, situs scilicet eo-

legend. existimat.—74 '*Orpheus in tripodes: quia sunt tria, terra, aqua, flammæ*] Sic reperit scriptum Silvius: itaque habent omnia, quæ vidimus, nova exemplaria: sed vetus Lugdunense, *hinc* pro *in*: et *flamma*, nisi fallor, pro *flammæ*. Vix enim potuit legi hujus verbi finis. *Orpheus* autem ego in genitivum *Orpheos* mutarem, ut a *Tereus* est *Tereos* in vita humana: ac sic legerem: *Orpheos hinc tripodes, quia sunt tria, terra, aqua, flamma. Tripodes*que pro τριπόδης acciperem.' *Vinetus*.—75 Sic interpungit Tollius. Vid. inf.

NOTÆ

71 *Actææ*] Vel *Atticæ*, ut verti, vel littorales seu ad maris littus positæ: ἀκτὴ, littus, acta.

* 72 *Tetrica ad subsellia*] Ubi sedere solent Judices severi. Nam testatur Servius in VII. Æneid. Tetricum montem esse in Sabinis asperrimum, unde tristes appellari 'tetricos.'

73 *Numeros . . . chororum*] Rhythmum quendam, id est, legem pedestris orationis intelligit Scaliger, quales sunt numeri Chororum; ut Pindarici, qui propterea Horatio dicuntur numeri 'lege soluti.'

74 *Orpheus hinc tripodes*] Sic Vinetus ex Ms. Lugd. vestigiis, qui 'Orpheos' ab Orpheus in patrio casu, ut a Tereus, Tereos, in vita humana, infra: 'Tereos incesti.' 'Tripodes' autem, id est, τριπόδης, pro tripus τρίπους in singulari positum putat, ut apud Hesiodum in Operibus et Diebus τριπόδης, ἑπταπόδης, ὀκταπόδης inveniuntur, pro τρίπους, ἑπτάπους, ὀκτάπους. Quid sit tripus ille Orphei, satis patet ex sequentibus, tria scilicet rerum principia, quæ mox exprimit. Sed quare ea sub tripodis nomine, aut forma exprimat, non ita liquet. Liqueret magis fortasse, si Orphei opera omnia, atque in his præcipue, ea quæ de rerum principiis scripsit, ad nos pervenissent; reperiremus in iis forsan, tribus his principiis, terra, igne, et aqua, seu ut habet Suidas, nocte vel Chao, tanquam tripode totam sustineri rerum naturam, aut aliquid simile quod ad hunc locum faceret. Sed quoniam opera illa interciderunt, conjecturis locus relinquendus.

75 *Triplex sideribus, &c.*] Amplexus sum Tollii sententiam, omissis Scaligeri explicationibus; omnino interpungendum est post *forma*: et intelligendus locus, ut exposui in Interpretatione.

* *Triplex sideribus, &c.*] Sic interpungunt Sylvius et Minos, ut ad Sidera quoque referatur 'Et modus,' a quo incipit versus alter: *Triplex sideribus positus, distantia, forma, Et modus, &c.* Et cum hic sint quatuor,

Et modus, et genitrix modulorum musica triplex,
Mixta libris, secreta astris, vulgata theatris.

rum, distantia, et constellatio. Tres sunt modi, et Musica ipsa parens modorum triplex est, ea quæ libris inserta est, ea quæ semota a nobis in sideribus observatur,

NOTÆ

ut ad ternarium reducant, 'positum' absurde interpretantur considerationem. Triplex, inquiunt, astrorum consideratio: quæ distantia sit, quæ forma, quæ harmonia. At vero cum apud Lucretium, Tullium, aliosque melioris notæ scriptores 'positus' idem sit ac 'situs,' ista proponere refellere est. Nec magis arridet emendatio quam proponit Minos ex Praio suo, cujus tanti facit in Mathematicis judicium, ut apud ipsum plus non valeat Euclidis auctoritas, at qui metricas leges parum noverat. Reponit igitur, *Et motus.* Quæ vox etsi belle, ut ait, huic loco cohæreret, rejicienda tamen, quod ea admissa metri ratio nullatenus constat. Nam sequitur: 'Et genitrix,' &c. Tollius quem noster secutus est, nodum solvere se arbitratur alia distinctione. Legit ille: *Triplex sideribus positus, distantia, forma.* Deinde conjunctim: *Et modus, et genetrix modulorum musica triplex.* Acutum sane com- [redacted]

ras, qui apud Censorin. cap. 13. totum hunc mundum tradit musica ratione factum, septemque stellas vagas motum habere εὔρυθμον, et intervalla musicis distantiis congrua, ac sonitus reddere, pro sua quemque altitudine, ita concordes, ut dulcissimam concinant melodiam, &c. De illa ipsa harmonia Poëta inferius: 'secreta astris,' &c. An quæ affero meliora sint notatis, nodumve nodo et ipse permutaverim, lectoris esto judicium.

Positus] In Zodiaco, vel extra Zodiacum, in Boreali, vel in Australi cœli parte, &c.

Distantia] Vel siderum inter se comparatorum; vel distantia a primo puncto Arietis, hoc est, longitudo eorum in cœlo; vel distantia a Zodiaco, hoc est, eorum latitudo.

Forma] Μόρφωσις, forma signi seu constellationis quam stella cum aliis quibusdam stellis constituit, ut Delphini, Aræ, Coronæ, Canis, Ursæ, [redacted]

[redacted]

Martia Roma triplex, equitatu, plebe, senatu.
Hoc numero Tribus, et sacro de monte Tribuni.
Tres equitum turmæ: tria nomina nobiliorum.

et vulgaris illa quæ adhibetur in scenis. Roma Martia constat e triplici ordine, Equitum, Plebis, et Senatus. Eodem numero fuere Tribus Romanæ, et Tribuni creati in monte sacro. Tres fuerunt turmæ equitum: tria nomina nobiliorum.

NOTÆ

77 *Mixta libris*] Rhythmica. Consideratio scilicet pedum et numerorum in oratione sive stricta, sive soluta.

Secreta astris] Harmonica orbium cœlestium motio, mundana Musica Boëthio.

Vulgata Theatris] Quæ fiebat voce, fidibus, flatu, ut supra jam vidimus, ubi de certamine Musarum, et Sirenum.

79 *Hoc numero Tribus*] Pompon. lib. I. ff. tit. de origine Juris, et omnium Magistratuum, &c. §. 20. 'Iisdem temporibus, cum plebs a patribus secessisset, anno fere septimo decimo post Reges exactos, Tribunos sibi in monte sacro creavit, qui essent plebeii Magistratus: dicti Tribuni, quod olim in tres partes populus divisus erat, et ex singulis singuli creabantur: vel quia Tribuum suffragio creabantur.' Eadem habet Dionys. Halicarn. lib. II. ubi Romulum ait, in tres partes divisa universa multitudine, singulis præclarum aliquem virum ducem præposuisse: deinde unamquamque rursum in decem partitum, totidem fortissimos viros eis præfecisse. Has triginta Curias, illas ter Tribus vocasse. Hæ Tribus appellatæ sunt Rhamnensis, Tatiensis, et Lucerum. Rhamnensis, a Romulo ipso; Tatiensis a Tito Tatio, Sabinorum rege; Luceres vel a Lucumone, vel a Luco Asyli in quem multi, fuga delati, civitate donati fuerant. Eadem nomina Centuriæ equitum ex iis Tribubus delectæ retinuerunt. Amplificatus deinde variis temporibus Tribuum numerus, ut ex Hist. Rom. scriptoribus videre est. Sed nihil hæc ad hunc locum.

Et sacro de monte Tribuni] Contra hanc Ausonii, et Pomponii loco supra laudato, opinionem, non tres in monte sacro Tribunos, sed duos creatos esse (C. Licinium, et L. Albinum) qui tres Collegas sibi creaverint, auctor est Livius lib. II. cap. 33.

80 *Tres equitum turmæ*] Rhamnensium, Titiensium, vel Tatiensium, et Lucerum, de quibus supra. Sed juvat Servii verba afferre ad hunc Æneidos versum lib. V. 'Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur Ductores.' 'Rem Romanæ militiæ,' inquit, 'suo inserit carmini: nam constat primo tres fuisse partes populi Rom. unam Tatientium a Tito Tatio duce Sabinorum, jam amico post fœdera, alteram Rhamnetum a Romulo, tertiam Lucerum, quorum, secundum Livium, et nomen, et causa in occulto sunt. Varro tamen dicit, Romulum dimicantem contra Titum Tatium, a Lucumonibus, hoc est, Thuscis, auxilia postulasse; unde quidam venit cum exercitu, cui, recepto jam Tatio, pars urbis est data: unde in urbe Thuscus dictus est vicus. Horat. Ac Thusci turba impia vici. Ergo a Lucumone Luceres dicti sunt. Ergo in tres partes divisus erat populus, adeo ut, qui etiam uni præerat parti, Tribunus diceretur: unde etiam sumtus dati a populo, Tributa nominantur.'

Nomina sunt chordis tria: sunt tria nomina mensi.
Geryones triplex; triplex compago Chimæræ.
Scylla triplex, commissa tribus, cane, virgine, pisce.
Gorgones, Harpyæque, et Erinnyes agmine terno.
Et tres fatidicæ, nomen commune, Sibyllæ:

Chordæ designantur tribus nominibus. Mensis habet tria nomina. Geryon est tergeminus. Chimæra compingitur ex tribus naturis. Scylla tergemina est, compacta e tribus, scilicet e cane, e puella, et e pisce. Gorgones, et Harpyiæ, et Furiæ triplici sunt caterva. Et tres sunt vaticinatrices, Sibyllæ appellatæ communi

et Not. Var.—82 *Geryones triplices,* antiqui libri duo, et prima Parisiensis

NOTÆ

Tria nomina nobiliorum] Prænomen, nomen, agnomen; quibus aliquando addebatur cognomen; ut Publius, Cornelius, Scipio, Africanus.

81 *Nomina sunt chordis tria*] In tetrachordis veterum musicorum ὑπάτη gravis, μέση media, νήτη acuta: sed de his videndi veteres musici, et ad eos Meibomius.

Sunt tria nomina Mensi] Scilicet dies omnes mensium a Kalendis, Nonis, et Idibus denominantur.

82 *Geryones triplex*] Sic Græcis Γηρυόνης, non Γηρυὼν, dicitur rex ille Hispaniæ cum tribus corporibus et senis brachiis, quem Hercules vicit, [redacted]

tribus. Virg. 'Delphinum caudas utero commissa luporum.' Scyllæ fabulam vide apud Ovid. Metam. lib. XIV.

84 *Gorgones*] Tres, Medusa, Euryale, Stheno.

Harpyæ] Ocypete, Aëllo, Celæno.

* *Harpyæ*] Sic dictæ ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν, rapere. Sidonius Apollinaris Epist. VII. 'Harpyas' vocat sanguinarios pecuniæ raptores et exactores: quod etiamnum obtinet.

Erinnyes] Furiæ tres, Megæra, Alecto, Tisiphone.

* *Erinnyes*] Eumenides sive Furiæ tres, Alecto, Megæra, Tisiphone, [redacted]

[redacted]

Quarum tergemini fatalia carmina libri:
Quos ter quinorum servat cultura virorum.
Ter bibe. Tres numerus super omnia, ter Deus unus.
Hic quoque ne ludus numero transcurrat inerti,
Ter decies ternos habeat, deciesque novenos.

nomine: quarum libri continentes versus fatales, sunt numero tres: quos Religio quindecim virorum observat. Pota ter. Numerus ternarius est supra cuncta, tres personæ sunt unus Deus. Hoc etiam ludicrum poëma ne absolvatur aliquo numero versuum nullius virtutis, habeat versus ter decies tres, aut decies novem.

ed.—83 Vulg. *commista.*—88 Vetus cod. *tres.* Vid. inf.—90 Mavult Tollius: *decievve.*

NOTÆ

86 *Tergemini fatalia carmina libri*] Sibyllini libri, quibus Imperii Romani fata contineri credebant, tres fuerunt, teste Gellio. Unum tantum ponit Plinius, alii novem.

87 *Ter quinorum, &c.*] Quindecim viri, libris Sibyllinis inspiciendis, quos adibant quasi oraculum, cum Dei immortales publice consulendi erant, ut ait A. Gellius lib. I.

88 *Ter bibe*] Ibi desinit, unde sumsit exordium.

Ter [*tres*] *Deus unus*] Hæc ex Athanasii symbolo, et Catholicæ Ecclesiæ doctrina. *Tres* omnino ponendum; non autem *Ter.*

89 *Ludus*] Griphus hic de ternario numero.

Numero transcurrat inerti] Numero versuum absolvatur, qui nullam in se ternarii vim habeat.

90 *Ter decies ternos habeat, deciesque novenos*] Nonaginta scilicet versus, quot revera habet hoc poëmation. Quos quidem duplici modo numerat, ut sint decies ter tres, vel decies novem, quod in idem recidit. Mallem ergo hic cum Tollio *decievve*, quam *deciesque.*

* Superest ut Poëtæ nostri argumentum a morosulorum hominum censura vindicem, quibus, præter seria, cuncta displicent: quasi vero nihil permittendum esset optimis ingeniis, aut arcum semper Apollo tenderet. Sunt et Musis sua ludicra, nec parum ars laudanda, cum ex jocosis captantur seria, uti captavit Ausonius in Gripho præsertim, ex quo Poëmatio, ut recte ait Minos in Appendice Apologetica, plus ceperis fructus, quam ex aliorum quorundam numerosissimis paginis. Cetera quæ lusit, ut Epist. 'de Strenis' ad Ursulum, 'de ostreis' ad Theonem, non tam lusit ad ingenium ostentandum, quam ut cum amicis animi recreandi gratia jocaretur.

XII. TECHNOPÆGNION.[1] [a]

AUSONIUS PACATO[b] PROCONSULI. 337.

SCIO mihi apud alios pro laboris modulo laudem non posse procedere. Quam tamen si tu indulseris, ut ait Afranius in Thaide,[c]

Majorem laudem,[d] quam laborem invenero.[2]

Quæ lecturus es, Monosyllaba[e] sunt, quasi quædam puncta sermonum: in quibus nullus facundiæ locus est, sensuum

Novi me non inventurum apud alios gloriam parem meo labori. Quam tamen si benigne concesseris, reperero plus gloriæ quam laboris, quemadmodum dicit Afranius in Thaide. Ea, quæ mox leges, sunt Monosyllaba, veluti quædam puncta orationum: in quibus nullus est locus eloquentiæ, nulla est comprehensio sensuum,

1 Hanc Epistolam primus in suis Diatribis Accursius Mariangelus edidit. Quæ et in vetusto Lugdunensi libro fuit, hoc titulo, *Præfatio Technopægnii.* —2 Sic legendum monet Scaliger.

NOTÆ

[a] *Technopægnion*] Vocis hujus Etymon vide infra, in fine hujus Epistolæ.

[e] Vocis Etymon habes apud Interpretem nostrum, qui et Gyraldi de hoc poëmatio judicium refert. Vox 'Technopægnion' est ab Ausonio ficta, nec alibi, quod sciam, occurrit.

[redacted]

rorum fœdis amoribus, mores suos fassus.' Menandrum præcipue imitatus est, et ab ipso permulta se sumsisse non diffitetur, ut in Compitalibus, ubi obtrectatoribus suis respondens ait: 'Fateor, sumsi non a Menandro modo, Sed ut quisque habuit, quod conveniret mihi: Quod

[redacted]

[redacted]

nulla conceptio, propositio, redditio,[f] conclusio, aliaque sophistica,[g] quæ in uno versu esse non possunt: sed cohærent ita, ut circuli catenarum separati. Et simul ludicrum opusculum texui, ordiri majuscula solitus:[h] sed in tenui labor,[i] at non tenuis gloria, si probantur. Tu facies, ut sint aliquid.[k] Nam sine te Monosyllaba erunt, vel si quid minus. In quibus ego, quod ad usum pertinet,[l] lusi: quod ad molestiam, laboravi. Libello Technopægnii nomen[m] dedi: ne aut ludum laboranti, aut artem crederes defuisse ludenti. Vale.

nulla propositio, nulla redditio, nulla illatio, neque alia ad Sophistas pertinentia: quæ omnia nequeunt reperiri in uno tantum versu; verum sic connexa inter se sunt, ut annuli catenarum divisi ab invicem. Atque una composui opusculum ludicrum, ego assuetus inchoare paulo majora: verum labor meus collocatur in parva re, at laus quam inde referam non erit parva, si hæc placeant. Tu efficies ut sint alicujus pretii. Absque te enim erunt tantum Monosyllaba, aut si aliquid potest esse tenuius. In quibus componendis, quod spectat ad utilitatem eorum, ego nugatus sum: quantum autem ad difficultatem, laboravi. Libellus hic inscriptus a me est Technopægnion: ne existimares me laborando non lusisse, vel ludendo non adhibuisse artem aliquam meo ludo. Vale.

NOTÆ

[f] *Propositio, redditio*] Græci Rhetores πρότασιν et ἀνταπόδοσιν dicunt. Locum habent in partibus orationis omnibus quæ duplices sunt, ut in similitudine, dissimilitudine, diversis, comparatis, &c. quæ in dissolutis hujusmodi versibus locum habere vix possunt.

[g] *Aliaque sophistica*] Rhetorica, seu declamatoria. Declamatores enim Græcis σοφισταὶ dicti; talis Libanius et alii.

* [h] *Ordiri majuscula solitus*] Hinc licet inferre Technopægnion non nisi post Mosellam, aliave majora, scriptum fuisse.

[i] *Sed in tenui labor, &c.*] Virgilianum est lib. IV. Georg. 'In tenui labor; at tenuis non gloria, si quem Nomina læva sinunt,' &c.

* [k] *Tu facies, ut sint aliquid*] Sic amicis, quorum judicia experiri se velle profitentur, insidiari solet Poëtarum genus, ut vel nugas suas ipsis approbent.

[l] *Quod ad usum pertinet*] Quasi dicat, si quæras cui bono, cui usui sunt hæ nugæ? respondebo nulli, et me in iis scribendis nullius utilitatem spectavisse, sed tantum lusum, et oblectationem meam. Si vero quæras quam molestum mihi fuerit hæc scribere, respondebo, me in iis scribendis plurimum laboris exhausisse.

[m] *Technopægnii nomen*] Quod est a Græcis vocibus, τέχνη, ars, et παίγνιον, lusus puerilis. Hinc Lilius Gyraldus lib. I. de poëtis: 'Est Technopægnion (apud Ausonium Gallum) ludicrum quidem poëma, verum multa arte compositum.'

AUSONIUS PAULINO SUO.[3] 338.

Misi ad te Technopægnion, inertis otii mei inutile opusculum. Versiculi sunt monosyllabis cœpti, et monosyllabis terminati.[a] Nec hic modo stetit scrupea difficultas,[b] sed accessit ad miseriam cogitandi, ut idem monosyllabum, quod esset finis extremi versus, principium fieret insequentis. Dic ergo et, o mora, o pœna![c] rem vanam quippe curavi:[d] exigua est, et fastiditur: inconnexa, et implicatur: cum sit aliquid, vel nihili deprehenditur.[4] Laboravi

Misi ad te Technopægnion, inutile opusculum mei ignavi otii. Metra sunt inchoata a vocibus monosyllabis, et desinentia in voces monosyllabas. Neque aspera illa difficultas constitit intra hos terminos, verum additum est ad molestiam inveniendi monosyllaba, ut idem monosyllabum vocabulum, in quod ultimum metrum desineret, evaderet initium sequentis. Dic igitur etiam, o mora, o supplicium! Scilicet curam impendi rei inani: parva est, et tamen habet tædium; dissoluta est, et tamen unitur: licet sit alicujus operæ, tamen invenitur etiam nullius pretii.

3 Neque in Lugdunensium, neque in Mariangeli vetusto libro fuerunt hæ literæ, quas ad Paulinum scripsit Ausonius.—4 'Locus hic vereor, ut non sit integer in nostris codicibus: quorum alii habent: *O pœna rem vanam quippe cura exigua est. et fast.* alii: *rem vanam quippe curavi: exigua est et fast.*' Vinetus. 'Tametsi hic me minus oculatum esse deprehendam, videre tamen videor distinguendum esse: *o mora, o pœna! rem vanam quippe. cura exigua est . . . vel nihili deprehenditur:* aut, *nihili velut depreh.* non absurde autem scriptus alter: *rem vanam quippe curavi.*' Tollius.

NOTÆ

a Nil ambigo Paulinum eundem errorem induxit. Locus Gellii est esse cui plures Ausonius inscribit lib. xii. cap. 6. 'Quæ Græci dicunt

[redacted]

[redacted]

tamen, ut haberet aut historicon quippiam, aut dialecticon.[e] Nam poëticam, vel sophisticam levitatem necessitas observationis exclusit. Ad summam, non est quod mireris: sed paucis literis additis, est cujus miserearis:[f] neque æmulari velis.[g] Et si huc quoque descenderis, majorem molestiam capias, ingenii et facundiæ detrimento, quam oblectationem, imitationis affectu. Vale.

Dedi nihilominus operam ut contineret aliquid vel historicum, vel dialecticum. Nam angustiæ legis mihi observandæ prohibuerunt ne insererem nugas aliquas poëticas, aut sophisticas. Denique nihil hic est quod mireris: verum insertis pauculis literis, est cujus miserearis, et quod non cupias imitari. Ac si in hujusmodi etiam opus incubueris, plus percipias molestiæ, ex eo quod nullus in eo locus sit ingenio ac eloquentiæ tuæ, quam voluptatis ex cupiditate æmulandi. Vale.

NOTÆ

[e] *Aut dialecticon*] Quod dissertationem aliquam habeat. Suspicatur Vinetus *didacticon*, hoc est, quod doceat; bene.

[f] *Non est quod mireris; sed &c. cujus miserearis*] Paronomasia.

[g] *Est cujus miserearis: neque æmulari velis*] Sic et saniores viri eorum miserentur qui ut nomina invertant, se ipsi excruciant, nec eosdem æmulari vellent. Talia fere scripserunt Græci, Securim puta, Alas, Ovum, &c. Quæ miror ad nos usque pervenisse, deperditis Menandri aliorumque fabulis.

VERSUS MONOSYLLABIS CŒPTI, ET FINITI, ITA UT A FINE VERSUS AD PRINCIPIUM RECURRANT. 339.

Res hominum fragiles alit, et regit, et perimit fors.
Fors dubia, æternumque labans: quam blanda fovet spes.
Spes nullo finita ævo: cui terminus est mors.
Mors avida, inferna mergit caligine quam nox.

Fortuna nutrit, et gubernat, et destruit res fragiles hominum. Fortuna, inquam, incerta, et perpetuo vacillans: quam spes blandiens sustentat. Spes nullo tempore circumscripta, cui mors finis est. Mors rapax, quam nox premit tenebris Tarta-

NOTÆ

[a] 2 *Blanda fovet spes*] Respexit sane Poëta Eleg. Tibulli 7. lib. II. 'Finirent multi leto mala. Credula vitam Spes fovet, et melius cras fore semper ait. Spes alit agricolas,' &c.

Nox obitura vicem: remeaverit aurea cum lux.
Lux dono concessa Deum, cui prævius est Sol.
Sol, cui nec furto Veneris latet armipotens Mars.
Mars nullo de patre satus, quem Thressa colit gens.
Gens infræna virum, quibus in scelus omne ruit fas.
Fas hominem mactare sacris: ferus iste loci mos.
Mos ferus audacis populi, quem nulla tenet lex.
Lex naturali quam condidit imperio jus.
Jus genitum pietate hominum, jus certa Dei mens.
Mens, quæ cœlesti sensu rigat emeritum cor.
Cor vegetum mundi instar habens, animæ vigor ac vis.
Vis tamen hic nulla est: verum est jocus et nihili res.

reis. Nox, inquam, cessura loco, quando dies aureus redierit. Dies datus nobis munere Deorum, quem Sol præcedit. Sol cui Mars bellipotens, ne in adulterio quidem Veneris, potest esse absconditus. Mars genitus sine patre, quem natio Thracum veneratur. Natio hominum indomita, quibus jus est ferri in omne genus criminum. Jus est immolare hominem in sacris. Hic est mos crudelis illius regionis. Mos crudelis gentis ferocis, quam nulla lex coërcet. Lex, inquam, quam justitia tulit dominatione sua naturali. Justitia orta ex pietate hominum; justitia quæ procul dubio est mens Dei. Mens quæ imbuit cogitatione cœlesti cor dignum illa. Cor illud vividum quod habet figuram mundi, quod est animæ virtus et robur. Nullum tamen robur est in his versibus: sed tantum lusus, et res nullius pretii.

5 Observant Accurs. et Vinet. legi in Ms. cod. *Nox sortita vices.*—7 Codex antiquus: *furto in Veneris.*—16 Ms. quidam *tantum* pro *verum*, non male, judice Florido.

NOTÆ

7 *Furto Veneris*] Lege ex Ms. *furto*

Quem Thressa colit gens] Et cui ho-

[redacted]

[redacted]

nugarum subtexo nequitiam. Et hi versiculi monosyllabis terminantur, exordio tamen libero, quanquam fine legitimo.[b] Sed laboravi, ut quantum ejus posset apud aures[3] indulgentissimas, absurda concinerent, insulsa resiperent,

carminum similes superioribus. Hi quoque versus finiuntur vocibus monosyllabis, initio tamen libero, quamvis termino legi astricto. Sed studui, ut, quantum suspicari posset apud aures benignissimas, hæc natura sua absona concinerent, inepta

1 Lemma est in veteri libro: *Præfatio Monosyllaborum tantum in fine positorum.*—2 *Sequitur ver hyemem* Vulg. In pervetere libro exaratum extat: *Sequitur vara vibiam, similium nugarum subtexere nequitiam.* Vid. inf. et Not. Var.—3 '*Ut quantum posset videri apud*] Vetus scriptura: *ut quantum ejus posset apud aures*: et paulo post, *inepta* pro *insulsa*, [illegible] codex Tilianus

NOTÆ

[a] *Sequitur vara vibiam*] Pro hoc editiones vulgatæ habebant: *sequitur ver hyemem*, perperam corruptum inscitia librariorum, qui nec 'varam' nec 'vibiam' intelligebant. Quomodo etiam legit Erasmus. Restitutum est ex veteri Ms. in quo legitur *sequitur vara bibiam*, *&c.* Quod proverbium ex veteribus Glossis Mss. in quibus hæc leguntur: 'Varam vibia. Perticæ duæ sunt inter se colligatæ, quæ asserem sustinent. Unde proverbium: Vibia varam sequitur.' Scaliger sic exponit: 'Vara,' inquit, significat perticam ab summo furcillatam, ut colligimus ex illis Glossis: (et ex Vitruv. *lib.* x. cap. 19.) 'Vibia' autem perticam transversam, quæ furcillæ illi imposita et colligata est. Quare si 'vara' cadat, et 'vibiam' simul cum illa cadere necesse est. Unde recte dictum: *varam vibia sequitur*, *&c.* Sed unde dicta sit *vibia*, inquit idem, et utrum *bibia*, ut in Ausonio, an *vibia*, ut in Glossis, scribendum sit, nescio. Mihi sufficit et proverbium, et ejus interpretationem ex veteri Grammatico indicasse. Proverbium quadrat in eos, qui cum uni vitio indulserint, deplorata omni verecundia, et profligato pudore, ad alia præcipites feruntur, quasi omni jacta honorum alea, &c. Deinde aliam explicationem affert: Sed præstiterit, inquit, duo nomina propria interpretari vibiam, et varam. Nam vibii, et vari nomina gentilitia Romæ. 'Vara vibiam:' hoc est, τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ ἕπεται. Hæc Scaliger. Liceat post tanti viri expositiones, nostram afferre. Pro *bibiam* quod in Ausoniano Ms. supra laudato legitur, ego posse facili mutatione b. in v. putem tam *biviam* quam *vibiam*, quod habent Glossæ Scaligero laudatæ: et biviam, valgam interpretor, hoc est, auctore Festo, quæ crura habeat extrorsum obtorta et incurva, ut biviam referant, et quæ incedendo bina quodammodo itinera pedibus ambobus calcet, sicque jure dicatur bivia. Vari autem, teste eodem Festo, Valgis contrarii sunt qui crura habent introrsum incurva. Unde facilis et apertus proverbii sensus, *sequitur vara biviam*, seu valgam, vitium unum aliud post se vitium trahit, nugas aliæ nugæ sequuntur. Qui sensus est Ausoniani hujus loci.

[b] *Quanquam fine legitimo*] Et legi astricto, ut semper in monosyllabam vocem desinat.

hiulca congruerent: denique haberent et amara dulcedinem, et inamœna venerem, et aspera lævitatem.[4] Quæ quidem omnia quoniam insuavis materia devenustat, lectio benigna conciliet. Tu quoque mihi tua crede securior, quippe meliora: ut, quod per[5] adagionem[c] cœpimus, proverbio finiamus, et Mutuum muli scabant.[6d]

Æmula Diis, naturæ imitatrix, omniparens ars,
Pacato[e] ut studeat ludus meus,[f] esto operi[7] dux.
Arcta, inamœna licet,[8] nec congrua carminibus lex,

saperent, abrupta connecterentur: denique ut et amara haberent suavitatem, et ingrata leporem, et impolita expolitionem. Quæ cuncta, quia materia injucunda deturpat, oportet ut lectio indulgens reddat grata. Tu etiam committe mihi confidentius tua carmina, utpote meliora meis: ut finiamus adagio quod inchoavimus a proverbio, et Muli sese invicem fricent.

O ars imitans Deos, æmulatrix naturæ, omnia producens, ut lusus hic meus placeat Pacato, sis dux meo operi. Hæc lex quanquam stricta, insuavis, neque conve-

pro *hiulcula.*' Vinetus.—4 *Aspera lenitatem* Vulg.—5 '*Sed ut quod per* Vulg.—6 *Mutuum muli scalpant*] Ita vet. liber, non *scabant:* quanquam bonum est *scabant:* emenda, *scabunt.*' Scaliger. *Scabant* legendum monet Accursius.—7 *Labor hic meus, esto operi* Vulg. Vetus liber: *ludus meus est operi.*—8 Tertius ille Is. Vossii liber: *Arte inamœna licet:* et mox duo optimi: *fando,* pro *fandi.*

NOTÆ

[c] *Per adagionem*] Proverbium 'sequitur vara,' &c. de quo supra.

[redacted]

[d] *Mutuum muli scabant*] Super hoc adagio consule Beroald. Annot. cap.

[redacted]

[redacted]

Judice sub tanto fandi tamen accipiet jus.
Quippe et ridiculis data gloria, ni prohibet fors.

nicus versibus, tamen obtinebit veniam loquendi apud tantum judicem. Laus enim su conceditur etiam ludicris rebus, nisi fortuna vetat.

DE MEMBRIS. 341.

INDICAT in pueris septennia prima novus dens
Pubentes annos robustior anticipat vox.
Invicta et ventis, et solibus, est hominum frons.
Edurum nervi cum viscere consociant os.
Palpitat irrequies, vegetum, teres, acre, calens cor.
Unde vigent sensus, dominatrix quos vegetat mens,
Atque in verba refert modulata lege loquax os.

Dens renovatus ostendit in pueris ætatem septem annorum: vox vegetior prævenit annos pubertatis. Frons hominum est patiens ventorum, et Solis. Nervi connectunt os durum cum carne. Cor vividum, rotundum, acre, calidum, movetur sine quiete. A quo sensus vigorem accipiunt, quos animus dominator vivificat, et os garrulum transfert in voces numeris circumscriptas. Fel cærulum, quam parva pars

4 ' *Et durum nervi*] Valde mihi placet, quod in secundo Vossiano legebatur, *Edurum nervi, &c.* Sic ut *Edurum* sit, valde durum: et videtur alias superesse copula, cum singuli pæne versus distincti sint.' *Tollius.*—6 Idem Vossian. codex: *quis.*

NOTÆ

1 *Indicat in pueris, &c.*] De hoc consimiliter Hippocrates lib. de septimestri partu, et Gell. lib. III. affirmant, anno pueri septimo, primos ejus dentes cadere, et alios renasci.

* *Septennia prima novus dens*] Hæc juxta Solonis sententiam, cujus extat apud Clementem Strom. lib. VI. Elegia, qua ætatum mutationes per septennia fieri docet. Primo quidem septennio dentes novos apparere, altero pubertatem oriri, tertio densam barbæ segetem, &c.

2 *Pubentes annos*] Decimum quartum completum: quod pubertatis tempus Imperator statuit naturam secutus ducem, sublato turpi more adolescentium corpora nuda inspiciendi, ad dignoscendam eorum pubertatem, ut refert ipse Instit. 'Quibus modis tutela finitur.' Vox porro ut Plinius refert lib. II. c. 51. roborari incipit anno decimo tertio.

* 3 *Invicta, &c. hominum frons*] De miro pellis artificio consule quæ habet vir Cl. Fenelon in libro quem inscripsit 'de existentia Dei,' part. 1. Ibi multa Ausonii Carmen 'de membris' illustrantia.

4 *Edurum*] Id est, valde durum.

Nervi] Tendines intellige, quibus insertiones musculorum in ossa fiunt.

Cum viscere] Cum carne musculorum, quæ viscus, et pulpa dicitur.

* 7 *Modulata lege loquax os*] Ea modulatio ex duobus maxime proficisci-

Quam validum est, hominis quota portio, cœruleum fel!
Quam tenue, et molem quantam fert corpoream crus!
Pondere sub quanto nostrum moderatur iter pes!

hominis, quantæ virtutis est! Quam exile est crus, et quantam corporis massam sustinet! Sub quanto onere pes regit nostrum incessum.

NOTÆ

tur; scilicet e lingua quæ plectri fungitur vice, ac tremulis valvulæ motibus.

8 *Cæruleum fel*] In parva vesicula jecori adhærente contentum.

INCONNEXA. 342.

Sæpe in conjugiis fit noxia, si nimia est dos.
Sexus uterque potens, sed prævalet imperio mas.
Qui recte faciet, non qui dominatur, erit rex.
Vexat amicitias, et fœdera dissociat lis.
Incipe, quicquid agas: pro toto est prima operis pars.
Insinuat cœlo, Diisque inserit emeritos laus.
Et disciplinis conferta est, et vitiis urbs.
Urbibus in tutis munitior urbibus est arx.
Auro magnus honos, auri pretium tamen est æs.

Sæpe peccatur in matrimoniis, si dos est amplior. Sexus uterque validus est, sed masculus præpollet imperio. Ille rex erit qui bene aget, non autem qui imperat cæteris. Lis torquet amicitias, et disjungit societates. Quodcumque facere vis, incipe mature: nam principium operis est loco totius. Laudatio inserit cælo, et miscet Su- [redacted]

Longa dies operosa viro, sed temperies nox,
Qua caret Æthiopum plaga, pervigil, irrequies gens,
Semper ubi æterna vertigine clara nitet lux.

æstimatur ære. Dies longa laboriosa est homini, verum nox illam temperat. Qua nocte regio Æthiopum destituitur, quæ natio semper vigilat sine quiete, ubi lux clara fulget semper perpetua circumversione.

vetusto codice.

NOTÆ

10 *Nox Qua caret Æthiopum, &c.*] Hallucinatur Ausonius, qui Æthiopibus dies absque nocte tribuit. Habent illi, utpote sub zona torrida positi, noctes fere semper diebus æquas.

12 *Semper ubi æterna vertigine, &c.*] Hoc de illis verum, qui sub mundi polis habitant (si quos habent regiones illæ incolas, quæ sunt æternis damnatæ pruinis) quibus Sol non æterna quidem, sed continua semestri vertigine fulget, sex postea menses sub terra latens. At non hoc Æthiopibus convenit, ut ex orbis descriptione, et doctrina sphærica demonstratur.

DE DEIS. 343.

Sunt et cœlicolum Monosyllaba. Prima Deum Fas,
Quæ Themis est Graiis. Post hanc Rhea, quæ Latiis Ops.
Tum Jovis et Consi germanus, Tartareus Dis.

Sunt etiam nomina Deorum monosyllaba. Primum numinum monosyllaborum est Fas, quod appellatur Themis a Græcis. Post illud est Rhea, quæ dicitur Latinis Ops. Deinde Infernus Dis, frater Jovis et Neptuni. Et Vis regina Deorum, soror

1 '*Sunt et cœlicolum*] Lege: *Sunt etiam divum Monosyllaba priva Deum: Fas:* nam male hodie legitur: *Monosyllaba prima Deum Fas.* Scaliger. Minus recte, ut opinor: quis enim conjunxerit: *Divum Deum?* dein, nisi *prima* scripsisset Ausonius, qua ratione intulisset: *post hanc Rhea?*' Tollius.—3 *Consors* pro *Consi* habuit liber vetus Lugdunensis: ut monuit Jacobus

NOTÆ

1 *Prima Deum Fas*] Observa 'Fas' fœmineum, cum Deam Themidem significat. 'Primam Deum' appellat; antiquissima quippe fuit, cœli filia, Jovis soror, et oracula Delphis et in Parnasso habuit ante Apollinem. De hac plura vide apud Lilium Gyraldum Syntagm. 15.

2 *Rhea*] Et Cybele, Latinis Ops, et magna mater, et mater Pessinuntia. Cetera ejus nomina vide apud Lil. Gyrald. Syntagm. 4.

3 *Consi*] Vide Epigram. LXIX.

Et soror et conjux fratris, regina Deum Vis.
Et qui quadrijugo curru pater invehitur Sol.
Quique truces belli motus ciet armipotens Mars:
Quem nunquam pietas, nunquam bona solicitat Pax.
Nec cultor nemorum reticebere, Mænalide Pan,
Nec Genius domuum, Larunda progenitus Lar.
Fluminibusque Italis præpollens sulfureus Nar.

Jovis, et uxor fratris sui. Et Sol pater, qui vehitur curru tracto a quatuor equis. Et Mars bellator, qui excitat feros tumultus belli: quem nunquam Pietas, nunquam bona Pax afficit. Neque omitteris a me, o Pan Mænali præses, habitator sylvarum, neque tu o Lar sate Larunda, ædium Deus. Neque Nar olens sulfur, superans

Cujacius in capite decimo libri quinti Emendationum.—7 Tò *bona* a duobus

NOTÆ

4 *Regina Deum Vis*] Vis seu Violentia Stygis filia est in Theogonia Hesiodi; at hic 'Vis Deum regina,' est Juno, Jovis et soror et conjux, quam 'Vim Deorum' appellat, ad illud Virgilii respiciens lib. Æneid. VII. 'Cœlestum Vis magna jubet,' ubi Junonem intelligendam sentiunt veteres interpretes, ut et in hoc: 'Vel quæ portenderit ira Magna Deum.'

5 *Quadrijugo curru*] Quatuor Solis equi ab Ovid. memorantur l. II. Metam. Pyrous, Eous, et Æthon, quar- [redacted]

secundo, Fast. et Lactant. libro secundo, Divin. Institut.

8 *Nec Genius domuum, Larunda progenitus Lar*] Lares alii privati, qui suam quisque domum servare putabantur, quibus Veteres porcos immolabant, ut patet ex Horat. Ode 23. lib. III. et lib. II. Sat. 2. 'Præstites' quoque dictos tradit Ovid. v. vers. 129. 'Quod præstent oculis omnia tuta suis.' Lares alii publici, qui et 'Compitales' appellati, quod compitis præessent. Utrosque suscepit [redacted]

Quæque piat Divum perjuria, nocticolor Styx.
Velivolique maris constrator Leuconotos Libs.
Et nunquam in dubiis hominem bona destituens Spes.

fluvios Italiæ. Et Styx tenebricosa, quæ expiat perjuria Deorum. Et Leuconotus Africus, qui sternit æquor velivolum. Et bona Spes nunquam deserens hominem in rebus angustiis.

optimis Mss. abest.—13 ‘*Hominum bona*] Forte melius: *hominem*.’ Tollius. Vid. inf.

NOTÆ

terminis, et a Velino lacu per quem transit, ingenti fragore emittitur.

11 *Quæque piat Divum perjuria, nocticolor Styx*] Id sortita honoris, ut ejus Dii timeant jurare et fallere numen, propter victoriam Stygis filiæ, quæ Diis astiterat in bello Gigantum; ob quod Jupiter statuit, ut qui Deorum fefellisset ejus numen, anno uno et diebus novem ab ambrosia et nectare prohiberetur. ‘Nocticolor’ dicitur ab obscuritate Inferorum.

12 *Velivolique maris*] Mare Velivolum dicitur, quod in eo naves velis volent, ceu aves pennis in aëre.

Constrator Leuconotos Libs] Leuconotus, quem Libem appellat, ventus est Notum inter et Favonium flans ab occiduis Libyæ partibus, Italiæ respectu. Albus dicitur Horatio, lib. I. Od. 7. ‘Albus ut obscuro deterget nubila cœlo Sæpe Notus, neque parturit imbres Perpetuos,’ &c. Ex quo intelligere licet quid velit Ausonius, cum eum maris constratorem appellat, scilicet innuit eum placide flando, et nubes pellendo, mare tranquillum et planum reddere, ac aptum navigationi. Sic apud Virgil. lib. v. Æneid. ‘Placidi straverunt æquora venti.’ Hoc est, plana fecerunt, quæ prius intumuerant. De vento autem Libe hic tanquam de Deo loquitur.

13 *Hominem bona destituens Spes*] Omnino accedo ad mentem Tollii, qui legit *hominem*, non *hominum*, sicque expressi in Interpretatione, et excudendum curavi: de Spe quoque ut de Dea hic loquitur.

* *Bona destituens Spes*] Notum Veteribus Spem Deam fuisse, quam apud Romanos a Calatino consecratam auctor Cic. lib. II. de Legibus cap. 11. Illam putabant mortalibus singulis, simul atque nascerentur, cum bono genio adesse. Talis conspicitur ejus effigies in aureo Hadriani Imperatoris numismate. Fœmina fuit stans, institæ laciniam sinistra manu non nihil attollens. Dextera in cubitum elata pateram proferens, in qua repositum vas in floris similitudinem, cum hac inscriptione: SPES P. R. Alteram Spei, quam putat Rusticæ effigiem, affert Brookhus. ad v. 6. Tibul. lib. I. Eleg. 1.

DE CIBIS. 344.

NEC nostros reticebo cibos, quos priscus habet mos,

Neque tacebo nostra alimenta, quæ antiquus usus habet, quibus sal marinum

Irritamentum quibus additur æquoreum sal.
Olim communis pecori cibus atque homini glans,
Ante equidem campis quam spicea suppeteret frux.
Mox ador, atque adoris de polline pultificum far,
Instruxit mensas quo quondam Romulidum plebs.
Hinc cibus, hinc potus, cum dilueretur aqua puls.
Est inter fruges morsu piper æquiparans gith.
Et Pelusiaco de semine plana, teres lens.
Et duplici defensa putamine quinquegenus nux.

adjungitur ad excitandam famem. Quondam glans erat esca communis pecori et homini, certe priusquam fruges aristis contentæ, ipsi præsto essent in arvis. Dein ador affuit, et far pulti faciendæ aptum ex tenui farina adoris, ex quo plebecula Quiritium olim adornavit mensas. Ex eo sibi parabant cibum, et potum, diluendo pultem aqua. Inter fruges est gith æquans sapore piper cum manditur. Est et lens plana et rotunda, orta semine Pelusiaco. Et nux quintuplicis generis protecta

2 *Æquoreus* in Tilii libro.—3 Tres scripti: *Communis pecorique olim cibus atque homini glans.*—8 Alii: *git* sine spiritu.—10 Duo optimi: *quinquagenis.*

NOTÆ

5 *Mox ador*] Genus est farris et frumenti apud Festum, Nonium, et Servium.

De polline] Pollen tenuissima farina est, quæ volitat dum succernitur.

6 *Instruxit mensas, &c.*] Plin. lib. XVIII. Natur. Histor. ‘ Pulte autem non pane vixisse longo tempore Ro-

[redacted]

referat acrimoniam, aut quia piperis vice in multis utantur.’

* *Morsu piper æquiparans gith*] Legunt alii sine aspiratione. Vetus Bibliorum Interpres reddidit *git* Esaiæ 28. quod Græce μελάνθιον dicitur. Hispanorum est *Axenus* si Antonio Nebrissensi fides Quinquag.

[redacted]

Quodque cibo et potu placitum, labor acer apum, mel.
Naturæ liquor iste novæ: cui summa natat faex.

gemino involucro. Et mel jucundum esu et potu, productum assiduo labore apum. Liquor hic est naturæ singularis: cui fæx in summo natat.

NOTÆ

11 *Potu placitum*] In Hydromeli, et Mulso.

12 *Cui summa natat fæx*] Macrob. Saturn. lib. VII. 'Mel, quod optimum est, reliquo ponderosius est. In vase igitur mellis pars quæ in imo est utique præstat pondere, et ideo supernante pretiosior est. Contra in vase vini pars inferior admixtione fæcis non modo turbulenta, sed et sapore deterior est,' &c. Et paulo supra: 'Fæcis materia, ut spissa atque terrena, ceteris laticibus pondere præstat, melle vincitur. Ideo in illis gravitate demergens ad fundum decidit; in melle vero, ut levior, de loco victa sursum pellitur.'

DE HISTORIIS. 345.

Solamen tibi, Phœbe, novum dedit Œbalius flos.
Flore alio reus est Narcissi morte sacer fons.
Cædis Adoneæ mala gloria fulmineus sus.
Perjurum Lapitham Junonia ludificat nubs.

O Apollo, flos Hyacinthus præbuit tibi novum solatium. Fons accusatur ob alium florem, detestabilis ob letum Narcissi. Aper fulmineis dentibus pessime gloriatur ob interfectum Adonidem. Nubes pro Junone supposita deludit Lapitham

2 Libri duo optimi: *reus et N.*—9 ' Vinetus legit *Sæva. Sicca loca*

NOTÆ

1 *Œbalius flos*] Hyacinthus Œbali Laconiæ regis filius, Apollini amatus, ab eodem, disci jactu, per imprudentiam interfectus, in florem deinde mutatus est. Vid. Ovid. Metamorph. lib. X. Fab. 6.

2 *Fons*] In quo, ceu in speculo, sese viderat, ac sui correptus amore tabuerat Narcissus.

* 3 *Fulmineus Sus*] Etenim, ut canit Ovidius X. Metamorph. 'Fulmen habent acres in aduncis dentibus Apri.' Ergo post Ovidium Poëta noster 'fulmineum' vocat Aprum. Hic et Epist. ad Theonem, propter ictus repentinos, ut vult quoque Rittershusius ad Phædri Fab. 20. lib. I. non propter dentium candorem inter nigras setas, ut volunt alii.

4 *Perjurum Lapitham*] Ixionem, quem hic 'perjurum,' Horat. in Arte Poëtica 'perfidum' appellat: quod nomen duplici perfidia est meritus, ut ex Acrone in Horatium, et interprete Pindari, Πυθ. Εἰδ. Β. cognoscitur. Altera, quia socerum Deioneum, cujus filiam Diam uxorem duxerat, munera sponsarum patribus tunc dari solita flagitantem, fossa materiæ ignem facile corripientis plena delu-

Ludit et Æaciden Parnassia Delphicolæ sors.
Threicium Libycum freta Cimmeriumque secat bos.
Non sine Hamadryadis fato cadit arborea trabs.
Quo generata Venus, Saturnia desecuit falx.
Sicca inter rupes Scythicas stetit alitibus crux.

perfidum. Oraculum etiam Parnassium Dei Delphos incolentis ludificat Pyrrhum. Bos tranat freta Thracium, Ægyptium, et Cimmerium. Truncus arboris non ruit absque morte Hamadryadis in eo viventis. Falx Saturni abscidit illud, unde progenita Venus est. Crux arida erecta est inter cautes Scythiæ avibus exposita, ex

Scaliger interpretatur *frigida*. Certe *Sæva* non respuo; facit enim ad

NOTÆ

sum, sub epularum specie, combussit. Altera, quod a Jove expiatus, deleta tanti sceleris macula, et ab eo Deorum contubernio ascitus, tanti beneficii immemor, Junonem ejus uxorem stuprare voluerit. Pro qua, supposita ei nube, Centauros genuit, qui inde appellantur Nubigenæ. Hinc, rotæ in Inferis affixus semper volubili, pœnas perfidiæ luere fingitur.

Nubs] Licenter pro nubes: 'nam nubs non dicimus,' inquit Servius ad hunc lib. x. Æneid. versum: 'Tum Dea nube cava,' &c.

[redacted]

culta sub Isidis nomine est. Editi quidam habent: *Et furiata æstro tranat mare Cimmerium bos.*

7 *Hamadryadis*] Nymphæ fuerunt dictæ Hamadryades, quod, ἅμα τῇ δρυὶ, simul cum quercu, in qua habitabant, et viverent et morerentur. Vide Erisichthonis Fabulam lib. VIII. Metam.

* *Non sine Hamadryadis fato cadit arborea trabs*] Nymphæ quæ, teste Servio, cum arboribus simul et nascuntur et intereunt. Unde eleganter apud Barclaium in Euphormione principium amici de se: 'Potentia

[redacted]

[redacted]

Unde Prometheo de corpore sanguineus ros,
Aspergit cautes, et dira aconita creat cos.
Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.
Æacidæ ad tumulum mactata est Andromachæ glos.
Carcere in Argivo Philopœmena lenta adiit mors.
Tertia opima dedit spoliatus Aremoricus Lars.

qua liquor cruentus stillans e corpore Promethei, irrigat rupem et rupes producit tetra aconita. Postquam Ibycus interfectus est, grus alte volans ultrix fuit mortis ejus. Glos Andromachæ immolata est ad sepulcrum Achillis. Mors lenta aggressa est Philopœmenem in carcere Græco. Lars Gallicus spoliatus suppeditavit Jovi

locum hunc.' *Floridus.*—12 Scribendum *Ibycus*, non *Ibicus*, monet Accursius. Vetus cod. pro *vindex* habuit *index.*—15 *Tertia picna* Vulg.—17 Pro hoc, ha-

NOTÆ

11 *Et dira aconita creat cos*] Aspersa scilicet illo sanguine. Ovid. ex spuma Cerberi ex Inferis ab Hercule educti natum aconitum fabulatur, non ex Promethei sanguine. 'Cos' hic est Cautes. In cautibus porro nasci, et inde habere nomen, proditum est Plin. lib. XXVII. cap. 3. 'Nascitur in nudis cautibus, quas aconas nominant. Et ideo aconitum aliqui dixere, nullo juxta, ne pulvere quidem nutriente.'

12 *Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus*] Ibycus ex novem Lyricis Græcis poëtis unus, a latronibus, ut refert Suidas, in solitudine deprehensus, cum jam in eo esset, ut ab iis interficeretur, grues forte illac transeuntes mortis suæ testes et vindices fore comminatus est. Paulo post autem, cum in urbe media versarentur ii latrones, supervolantibus forte gruibus per jocum insusurrare sibi in aurem cœperunt, *αἱ 'Ιβύκου ἔκδικοι πάρεισιν*, 'adsunt ultrices Ibyci.' Quod, cum auditum a circumstantibus, et ad Magistratum delatum esset, comprehensi latrones ac rem in tormentis confessi, pœnas dederunt. Extat de hoc Epigramma Antipatri in Anthologia, in quo, clangore gruum supervolantium judicium factum, et latrones captos memoratur. Unde 'Vindices Ibyci grues' potiori jure dici videntur, quam si insusurrantes suo ipsorum indicio latrones periisse dicantur.

13 *Æacidæ*] Achillis Æaci nepotis.

Andromachæ glos] Polyxena soror Hectoris mariti Andromachæ.

* *Andromachæ glos*] Juxta Festum et Nonium 'Glos, Gloris' de mariti sorore atque eadem fratris uxore dicitur.

14 *Carcere in Argivo*] In quem a Messeniis captus nobilis ille Achæorum Imperator conjectus fuerat. Vide Plutarch. in ejus vita.

Lenta adiit mors] Veneno lento conscita.

15 *Aremoricus Lars*] Viridomarus Insubrium Gallorum rex, quem Plutarchus 'Britomartem' vocat. Aremoricus dicitur hic pro Gallus, synecdoche partis. Est enim Galliæ pars Aremorica. Dicitur Lar sive Lars, quod occisus et spoliatus a Marcello, tertia opima spolia Jovi dedit, ut Lar, sive Lars, sive Lartes Tolumnius ab A. Corn. Cosso interfectus se-

Sera venenato potu abstulit Hannibalem nex.
Res Asiæ quantas leto dedit immeritas fraus!
Ultrix flagravit de rupibus Euboicis fax.
Stat Jovis ad cyathum, generat quem Dardanius Tros.
Præpetibus pennis super aëra vectus homo Cres.
Intulit incestam tibi vim, Philomela, ferus Thrax.
Barbarus est Lydus, bellax Geta, fœmineus Phryx.

tertia spolia opima. Mors tarda sustulit Annibalem potione venenata. Quam potens regnum Asiæ dolus destruxit! Tæda vindex arsit ex scopulis Eubœæ insulæ. Filius Trois Dardanii ministrat Jovi potum. Homo Cretensis latus est super aërem alis celeribus. Thrax barbarus adhibuit tibi vim incestam o Philomela. Lydi sunt bar-

bebat vetus codex: *Fallaces Ligures. Nullo situs in pretio Car.* 'Versus hic transpositus in veteri libro inveniebatur ante illum: *Ultrix flagravit, &c.* unde cum Turnebo spurium illum: *Jam pelago volitat mercator vestifluus Ser*, expunximus.' *Tollius.*

NOTÆ

cunda opima spolia dederat, cum prima Romulus ipse de Acrone Cæninensium rege Jovi Feretrio tulisset. Notum est 'opima spolia' esse quæ Imperator Imperatori detrahit. De hoc Marcello Virg. lib. VI. inducit Anchisen Æneæ apud Inferos sic vaticinantem: 'Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.'

16 *Sera venenato, &c.*] *Sera* hic, non *lenta*, ut supra de Philopœmene, sed quæ, licet violenta, tarde tamen An-

Nauplius redeuntium Græcorum naves in scopulos allexit ac fregit, Palamedem filium suum, quem insontem infando indicio neci demiserant, hoc astu ulciscens.

19 *Generat quem Dardanius Tros*] Ganymedes Trois filius in cœlum raptus, et pocillator effectus Jovis. 'Stat,' proprie de pocillatore, qui stat ad cyathum.

20 *Homo Cres*] Dædalus Cretensis.

* *Homo Cres*] Pervulgata Dædali

[redacted]

[redacted]

Fallaces Ligures: nullo situs in pretio Car.
Vellera depectit nemoralia vestifluus Ser.
Nota in portentis Thebana tricorporibus Sphinx.

bari, Getæ bellicosi, Phryges molles, Ligures dolosi, Cares nihili habentur. Seres affluentes vestitu carminant lanuginem sylvarum. Sphinx Thebana cognita est

NOTÆ

quam, o Lyde, es barbarus! Quem ego sapere nimio censui plus quam Thalem, I, stultior es barbaro Potitio, Qui tantus natu Deorum nescis nomina.' Ad quem locum respexit procul dubio Ausonius. Neque enim adeo barbari Lydiæ populi, qui primi monetam percusserunt, et instituerunt.

Bellax Geta] Vetus liber *pellax Geta*, non male. Pellax est, qui blanditiis pellicit et decipit, ut Servus Geta in Phormione Terentii. Suspicatur Tollius *bellax Geta*, optime; mox enim opponit 'fœmineus Phryx.' Getæ bellicosi, Horatio 'rigidi Getæ.' Priscianus in Periegesi: 'Hic sunt Germanique truces, et Sarmata bellax, Atque Getæ.' Populorum variorum mores refert, ut videre est.

Fœmineus Phryx] Sic de Ænea et sociis ejus Phrygibus Iarbas lib. IV. Æneid. 'Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu,' &c.

* *Fœmineus Phryx*] In eos quoque dictum est et plagis meliores fieri solere, et sero sapere. Quorum alterum in illos usurpat Tullius Orat. pro L. Flacco, qui servili sunt ingenio, alterum Epist. Famil. in illos, quos male factorum sero pœnitet.

23 *Fallaces Ligures*] Virg. L. XI. Æneid. de Auno Ligure: 'Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.'

* *Fallaces Ligures*] Præter locum a nostro Interprete allatum ex Æneid. XI. ubi de Auno Ligure dixit Poëta: 'Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant,' alterum ex eodem libro, atque etiam ex Georgic. II. afferre potuit. Unde quidam existimant Ligures a Virgilio male habitos, propter privatam aliquam offensam.

Nullo situs in pretio Car] Hinc proverbium, 'In Care periculum,' hoc est, fac periculum in re vili, ut si male successerit, dispendii non multum capias: quod inde tractum autumat Erasmus, quod Cares mercede pro aliis quibusvis populis militantes, ab iis primi in acie collocari solerent; ut, primos hostium impetus, mercede conductorum ac vilium hominum periculo, excipientes, civibus suis parcerent.

24 *Vellera depectit nemoralia*] Prudentius in Hamartig. vers. 286. 'Gemmina leves ut robora solvant, Vellere non ovium, sed Eoo ex orbe petitis Ramorum spoliis fluitantes sumere amictus Gaudent.'

Vestifluus Ser] Orientales populi Seres id cum toto Oriente commune habebant, ut vestitu affluerent. Lucanus: 'Quicquid ad Eoos tractus, mundique teporem, Labitur, emollit gentes clementia cœli. Illic et laxas vestes, et fluxa virorum Velamenta vides.' Loco versus hujus habent editiones quædam: *Res Asiæ quantas leto dedit immeritas fraus!*

* *Vestifluus Ser*] De Seribus fuse disseruimus ad Epig. XXVI.

25 *In portentis tricorporibus*] Qualia sunt Geryon, Chimæra, Harpyiæ, &c.

Thebana . . . Sphinx] De Sphinge supra ad 38. versum Griphi.

Nota et parvorum cunis, muliebre pecus, Strix.

inter monstra tergemina. Strix, monstrum fœmineum, cognita est in cunis puerorum.

NOTÆ

26 *Muliebre pecus, Strix*] Sic malim, quam quod in quibusdam *muliebre secus*. Alii et *muliebre scelus* legunt, quod esset scelesta fœmina, et, ut metonymice loquar, scelus mulieris; quod etiam ferri potest. Est enim 'Strix' et avis quædam, seu monstrum volaticum fœmineum, ubera noctu infantium labris in cunis dormientium immulgere creditum, et eos enecare, quod significat 'muliebre pecus;' et mulier saga visu tactuve pueros fascinans, quod 'muliebre scelus.' Sic strigem describit Statius lib. I. Thebaidos: 'Monstrum infandis Acheronte sub imo est Conceptum Eumenidum thalamis, cui Virginis ora, Pectoraque; æternum stridens a vertice surgit, Et ferrugineam frontem discriminat anguis. Hæc tam dira lues nocturno squalida passu Illabi thalamis, animasque a stirpe recentes Arripere altricum gremiis, morsuque cruento Devesci, et multum patrio pinguescere luctu.'

DE VERE PRIMO. 346.

Annus ab exortu cum floriparum reserat ver,
Cuncta vigent: nemus omne viret: nitet auricomum rus:
Et fusura umbras radicitus exigitur stirps.
Non denso ad terram lapsu glomerata fluit nix.
Florum spirat odor, Libani ceu montis honor thus.

Quando annus ab initio aperit Ver quod flores producit, omnia vegeta sunt: omnis sylva virescit: rura aureis floribus comata micant: et truncus ab radi-

[redacted]

PER INTERROGATIONEM ET RESPONSIONEM. 347.

Quis subit in pœnam capitali judicio? vas.
Quid si lis fuerit nummaria, quis dabitur? præs.
Quis Mirmilloni contenditur? æquimanus Thrax.
Inter virtutes quod nomen Mercurio? fur.
Thuribula, et pateræ, quæ tertia vasa Deum? lanx.
Cincta mari quænam tellus creat Hippocratem? Cos.

In causa criminali quis patitur pœnam loco rei? Vas. Quid si causa pecuniaria fuerit, quis dabitur pro cautione? Præs. Quis componitur cum Mirmillone in ludis gladiatoriis? Thrax ambidexter. Cum enumerantur virtutes Deorum, quod nomen datur Mercurio? Fur. Thuribula, et crateres sunt vasa Deorum; præter illa quænam sunt tertia Deorum vasa? Lances. Quænam terra mari circumdata tulit

NOTÆ

1 *Quis subit, &c.*] Discrimen ponit inter vadem et prædem. 'Vas' seu 'vadis,' teste Festo, est sponsor in re capitali datus. 'Præs' vero, juxta eundem, qui populo se obligat, (pro publicano puta, aut redemtore publici alicujus operis, aut conductore publici agri) interrogatusque a magistratu si præs sit, ille respondet, præs.

3 *Quis Mirmilloni, &c. Thrax*] Mirmillonicum genus armaturæ Gallicum erat, ipsique Mirmillones Galli appellabantur, (teste Festo, in voce 'Retiario,') et in eorum galeis piscis effigies inerat. Cum hoc gladiatorum genere aliud genus committebatur. Thraces dicti, ut vult idem Festus a similitudine palmularum (fortasse parmularum) Thraciarum. Thrax alio etiam nomine Retiarius a reti quod tenebat complicatum. Et qui cum eo committitur, Mirmillo, etiam Secutor, eo quod Retiarium, jacto frustra reti fugientem, stricto gladio persequeretur. Sed de his vide Lips. in Amphith.

Æquimanus Thrax] Isid. lib. x. cap. 1. 'Æquimanus appellatur, qui utraque manu gladio incunctanter utitur.' Ambidextros ejusmodi appellant. Posset tamen hic intelligi, æqua manu, hoc est, æquis viribus commissus.

* *Æquimanus Thrax*] Æquimanus est ambidexter. Ex Symmacho Epist. 101. hoc allegat Scioppius verosimil. lib. IV. cap. 19. 'Ut plane Homerica appellatione περιδέξιον, id est, æquimanum, te esse pronuntiem.' Illa autem appellatio Homerica habetur Iliad. Φ. Ἥρως Ἀστεροπαῖος, ἐπεὶ περιδέξιος ἦε.

4 *Quod nomen Mercurio? fur*] Quod ipsi etiam laudi vertit Horatius lib. I. Od. 10. 'Te canam magni Jovis et Deorum Nuntium, curvæque lyræ parentem: Callidum quicquid placuit jocoso Condere furto,' &c.

* 5 *Lanx*] Lata patina assis carnibus dicata, ut jurulentis Catinus. In sacrificiis quoque locum obtinebat.

6 *Cos*] Insula Ægæi maris.

* *Hippocratem? Cos*] Vixit Hippocrates apud Perdiccam Macedoniæ regem. Artem medicam in lucem revocavit, in qua sic enituit ut venientem ab Illyricis pestilentiam prædixerit, discipulosque circa urbes auxilio miserit; unde huic iidem ho-

Grex magis, an regnum Minoida solicitat? grex.
Quid præter nubem Phæacibus impositum? mons.
Dic, cessante cibo, somno quis opimior est? glis.
Tergora dic clypeis accommoda quæ faciat? glus.
Sponte ablativi casus quis rectus erit? spons.
Quadrupes oscinibus quis jungitur auspiciis? mus.
Quid fluitat pelago, quod non natat in fluvio? pix.

Hippocratem? Cos. Utrum magis capit uxorem Minois pecus, an regni decus? Pecus. Quid impositum fuit Phæacibus præter nubem qua tegebantur? Mons. Dic quod animal, cibo deficiente, pinguius fit dormiendo? Glis. Dic quid reddat coria apta scutis? Gluten. Quis erit nominativus casus ablativi sponte? Spons. Quodnam animal quadrupes in auspiciis conjungitur cum avibus? Sorex. Quid innatat mari, quod non innatat flumini? Pix. Quis habet duodecim

2 *Quis cum lis* Vulg.—10 Alii codices: *glut.*—13 *Quis* pro *Quid* legendum monet Accursius. In secundo Vossiano fuit: *Quis fluitat pelago, qui.*

NOTÆ

nores decreti, qui Herculi. Dictus Hippocrates (sicut et Apelles) Cous, quia natus in insula Co Rhodo proxima, et Cariæ opposita.

7 *Minoida*] Non Minois filiam, sed uxorem Pasiphaën.

Grex] Non totus grex, sed formosus ex armento Taurus. Vide Virg. Ecl. VI.

8 *Præter nubem*] Qua tectæ Phæa- [redacted]

vel Phalacrum promontorium scopulo illi e nave facto, et deprehensis in eo Phæacibus imminens, vel navis ipsius in scopulum versæ antennas et malum, quæ montis duritiem jam induerint.

9 *Glis*] Notum glires per hyemem somno indulgere.

10 *Glus*] Apud Carisium veterem Grammaticum: 'Fœminini generis [redacted]

[redacted]

Bissenas partes quis continet æquipares? as.
Tertia defuerit si portio, quid reliquum? bes.

partes æquales? As. Si tertia ejus pars defecerit, quid supererit? Bes.

NOTÆ

mediæ cujusdam gravitatis, ea fluminea quidem aqua gravior, marina vero levior est.

14 *Bissenas partes*] Quarum singulæ in asse unciæ dicuntur.

15 *Bes*] Vide Hæreditatis juxta assis partes divisionem apud Jctos. Bes seu bessis sunt binæ assis, supple partes, si scilicet totum assem in tres dividas. Bes itaque unciarum est octo.

DE LITERIS MONOSYLLABIS GRÆCIS AC LATINIS. 348

Dux elementorum studiis viget in Latiis A.
Et suprema notis ascribitur Argolicis Ω.
Hta quod Æolidum, quodque ε valet, hoc Latiale E

A est princeps literarum in studiis Latinis. Et Ω recensetur ultimus inter characteres Græcos. Ego E Latinum idem valeo, quod Ἦτα *et quod* ε *Græcorum valet,*

3 Tollius distinguit et legit: *quodque ε, valeo hoc Latiare* E.—5 ‘ *Negat At-*

NOTÆ

* 1 *Studiis viget in Latiis* A] Hac quoque forma quæ hic excusa est viguit in Græcorum studiis. Immo ex quatuor hujusce elementi formis, quæ exhibentur in Palæographia Græca, hanc indefessus et eruditissimus antiquitatis indagator vetustam et in marmoribus nummisque semper adhibitam fuisse asserit, quod tamen in libris non similiter obtinuisse.

3 Hta *quod Æolidum*] Mart. Capella ‘ E vocalis duarum Græcarum vim possidet. Nam cum corripitur, ε Græcum est, ut ab hoc hoste: cum producitur, Ητα est, ut ab hac die:’ idem dic de O quod mox sequitur; valet enim Ω, cum est longum, et ὂ μικρὸν, cum est breve.

* Hta *quod Æolidum, quodque ε valet, hoc latiale E*] Tollius et Vinetus legunt *latiare*; quod quidem habetur apud Tullium pro Milone, cap. 31. Verum *Latiale* occurrit in Plin. lib. III. cap. 1. ‘ Populus Latialis,’ et in Ovid. Metam. XV. vers. 481. Versus autem ille ut intelligatur, notandum E et H Græcis promiscue olim usurpata; quod patet ex nummis Atheniensium ac Thebanorum; siquidem ille AΘE pro AΘH ponebant, hi vero ΘEBH pro ΘHBH. Quin et Plato in Cratylo tradit antiquitus non literam η sed ε in usu fuisse. Notandum præterea veteres Atheniensium literas easdem atque Latinas fuisse. Quod ut probet Plinius, vetustissimam hanc profert inscriptionem. NAUSIKRATES. TISAMENO. ATHENAIOS. Quæ vulgari scribendi genere sic effertur, Ναυσικράτης Τισαμενοῦ Ἀθηναῖος. Hæc ex Palæogr. jam laudata.

Præsto, quod E Latium semper breve, Dorica vox *E*.
Hoc tereti argutoque sono negat Attica gens *ὐ*.
Ω quod et *O* Græcum compensat Romula vox O.
Litera sum Ιotæ similis, vox plena jubens, I.
Cecropiis ignota notis, ferale sonans V.
Pythagoræ bivium ramis pateo ambiguis Y.
Vocibus in Graiis nunquam ultima conspicior *M*.

quoniam E Latinum semper breve, est vox ε Græca. Natio Atheniensis utitur ad negandum hoc sono rotundo, et acuto ὐ. Romana litera O valet id, quod Ω, et O Græcum. Ego vocabulum integrum imperans I, sum litera similis Iotæ. U sonitum habens funestum sum litera incognita inter literas Atticas. Ego Y via bifurca Pythagoræ, expandor in duos ramos ancipites: Ego M nunquam videor postrema

tica gens ὐ] Quis enim hanc veram lectionem neget: contra illam vulgatam, falsam? In hac castigatione adjuti sumus veteri scriptura, quæ habebat pro *ligat*, *egat*. Nos *negat* fecimus: ut eo ad verum sensum deducti simus. De eadem enim litera intelligit ad Paulinum scribens: 'Una fuit quondam, qua respondere Lacones Litera, et irato regi placuere negantes." *Scaliger*. Tollius ex Turnebo legit O.—6 Sic legit Lipsius, Lugdunensis codex habet: Ω *quod et eoy*: ex quo Scaliger, Ω *quod et ov*.—8 Sic ex Lugdunensi libro, qui

NOTÆ

5 *ὐ*] Sonat enim Græce non, quæ vox est negantis.

* *Tereti argutoque sono negat Attica gens ὐ*] Perperam hic noster excudi curavit *ὐ* pro O, etsi auctorem habuit Turnebum cujus consiliis plus nimio obsequitur. Docet Athe- [redacted]

vel υ lenius quod Græcum Υ exprimebat,) sed quod spissum illum vocalis υ sonum nulla Græca vocalis haberet, sed opus esset ad eum exprimendum diphthongo *ου*.

Ferale sonans] Quod ululatum et noctuarum, feralium avium, cantum [redacted]

Zeta jacens, si surgat, erit nota, quæ legitur N.
Mæandrum, flexusque vagos imitata vagor Ξ.
Dividuum Betæ monosyllabon Italicum B.
Non formam, at vocem Deltæ gero Romuleum D.
Hostilis quæ forma jugi est, hanc efficiet Π.
Ausonium si P scribas, ero Cecropium *P*.
Et Rho quod Græcum, mutabitur in Latium P.

litera in dictionibus Græcis. Zeta litera strata in latus, si erigatur, erit litera quæ legitur N. *Ego* ξ *erro imitando Mæandrum, et sinuosos anfractus. B Latinum unius syllabæ, est dimidium Betæ Græci. Ego D Romanum non habeo figuram, sed sonum Deltæ Græci.* Π *exprimet figuram jugi hostici. Si me pingas P Latinum, ero idem quod Atticum* P, *et quod est* 'Pῶ *Græcum, vertetur in P Latinum.*

habebat, *ferali resonans*, pro *furiale sonans*.—12 'Pro *vagor* reponebet Turnebus *vecor*. Nihil necesse mutare quicquam: *vagor* est ducor in charta, linea instar Mæandri errante.' *Floridus*. *Imitata vagor* ξ legit Scaliger; quod etiam Tollius.—14 Ita scripsit Vinetus pro *est*.—15 G. Canterus: *Hastilis*: sed acute nimis, judice Tollio.—17 '*Et Rho, quod Græco*] Lege: *Græcum*: finalis litera *m* a subsequente fuit absorpta. Nec aliter conjecerat Pulmannus. Supra: *Ω quod et* Οὐ *Græcum compensat Romula vox O.* Vinetus edidit:

NOTÆ

em. Attamen satis esse existimo, si pronuntietur μῦ. Ceterum Poëta ideo ait inter voces Græcas nunquam ultimam M conspici, quod nulla vox Græca ea litera cadit.

* 11 *Erit nota, quæ legitur* N] Similiter hic legendum, aut saltem pronuntiandum Nῦ.

12 *Mæandrum*] Asiæ fluvium ob sinuosos suos anfractus decantatissimum.

* *Imitata vagor* Ξ] Uncialis non debuit esse hæc litera; neque enim de unciali dici potest eam Mæandrum referre. Scribe igitur parva litera ξ.

13 *Dividuum Betæ*] Nempe *Be*. Consonæ enim, ut pronuntientur, adjuncta vocali aliqua opus habent. Hæc in omnibus ferme Latinis consonis est *e*, modo postpositum, ut in be, ce, de, &c. modo præpositum ut in ef, el, em, &c. at in Hebraicis Græcisque Elementis consonæ et alias quoque vocales, et syllabas quoque duas sæpe assumunt ut pronuntientur, Beth, Ghimel, Daleth, Beta, Gamma, Delta, &c.

* 14 *Non formam, at vocem Deltæ gero Romuleum D*] Respicit Poëta formam, quæ sua ætate in usu fuit. Nam et apud Græcos vetustissimam fuisse Romuleam formam patet nummo Messanensi, quem Paruta in Sicilia sua expressit, eoque tam antiquo, ut ante rem Romanam cusus ex typi genere æstimetur. Ibi legitur DANKLE pro ΖΑΓΚΛΗ.

15 *Hostilis quæ forma jugi, &c.*] Festus: 'Jugum, sub quo victi transibant, hoc modo fiebat: fixis duabus hastis, super eas ligabatur tertia: sub iis victos discinctos transire cogebant.' Hinc hostile dicitur.

16 *Ero Cecropium* P] Figura, non sono.

Malus ut antennam fert vertice, sic ego sum T.
Spiritus hic, flatu tenuissima vivificans H.
Hæc tribus in Latio tantum addita nominibus K.
Prævaluit postquam Gammæ vice functa prius C,
Atque alium pro se titulo replicata dedit Q.
Ansis cincta duabus erit cum Iota, leges Θ.
In Latio numerus denarius, Argolicum X.
Hæc Gruis effigies Palamedica porrigitur Φ.

Ego T similis sum malo ferenti antennam in summo. Hæc aspiratio H vim addit spiritu exilissimis literis. Hæc litera K adjecta apud Latinos in vocibus tribus solum, postquam C quæ antea locum tenebat Gammæ prævaluit, et obliquata suppeditavit pro se aliam nomine tenus literam nempe Q. Quando litera Iota erit circumdata duabus ansis, leges Θ. X *Græca litera nota est denarii numeri apud Latinos. Hæc litera Φ a Palamede inventa, extenditur in formam Gruis. Ego fui olim cappa*

Et Rho de Græco, non male.' *Tollius.*—19 *Flatus* Vulg. *Flatu* legit Grævius. Ita quoque vetus codex.—20 *Tantum addit* Vulg.—22 Lego, inquit Lipsius, *titulum*: possis et legere: *Atque aliam pro se titulo.* Sic scriptum fuit in cod. Lugdunensi, et ita habent edd. Delph. et Toll.—23 *An si cincta* Vulg.—25 'In veteri libro *crucis*. Vitium descriptoris est, qui forte *cruis* invenit in alio codice, et ex eo *crucis* effinxit. *c* et *g* vero ut plurimum confunduntur.' *Tol-*

NOTÆ

* 19 *Spiritus hic, flatu, &c. H*] Olim pro aspiratione usu tantum veniebat. Hic a Poëta sub eo respectu consideratur.

20 *Tribus in Latio tantum, &c.*] Terentianus Maurus: K similiter otiosa [redacted]

similis effectus speciesque, nisi quod paulum a nostris obliquatur, Kappa apud Græcos, nunc tantum in numero manet.'

23 *Ansis cincta duabus erit cum Iota*] Intellige, et supina: constat enim [redacted]

Cappa fuit quondam Bœotia, nunc Latium K.
Furca tricornigera specie, pæne ultima sum Ψ.

Bœotorum, nunc sum K Latinum. Ego Ψ furca, præferens tria cornua, sum fere postrema literarum.

lius, qui malit *H. gruis effigie.*—26 'Restitui ex prisca scriptura, *Cappa fui quondam;* qua persona sequens item versiculus producitur.' *Idem.*

NOTÆ

Palamedica] Plin. lib. VII. scribit Palamedem has quatuor literas Θ, Ξ, Φ, X. Trojano bello invenisse. Philostratus in Heroicis has tres tantum ab eo inventas memorat Υ, Φ, X. quarum Υ quidem a figura agminis gruum volantium, Φ vero a similitudine gruis excubantis invenerit.

Elogodædalia strides modo qui nimium trux,
Frivola condemnas? nequaquam. Cum pretio est merx.
Ennius ut memorat, replet te lætificum gau.
Livida mens hominum concretum felle coquat pus.

O tu, qui e Grammaticatione obscura nunc strides nimis barbarus, an vituperas levia? minime. Quando illa merx conjuncta est cum lucro, Gau exhilarans, ut ait Ennius, te implet. Animus hominum invidus concoquat pus commixtum felle. Dic

1 Posset legi, inquit Tollius: *strides modo quæ.*—2 Pro *nequam quoque* secundus Vossianus exhibet: *nequaquam:* Vid. Not. Var.—3 In Lugdunensi

NOTÆ

Grammaticomastix] Ut 'Ομηρομάστιξ appellatus est Zoilus ille, qui Homerum carpebat et veluti flagellabat, sic Γραμματικόμαστιξ dicitur, qui Grammaticos vexat ac veluti cædit; ut facit Poëta noster hoc poëmatio, in quo Grammaticum variis interrogationibus e Grammaticæ penu petitis, fatigat.

1 *Elogodædalia*] A λόγος oratio, et δαίδαλος peritus, ingeniosus, industrius, varius, fit λογοδαιδαλία peritia orationis variandæ et industrie contexendæ. Verti Grammaticatione obscura magis ad mentem auctoris quam ad vim verbi attendens.

2 *Frivola*] Ea, quæ frivola videntur in Grammatica, quæstiunculas plus difficultatis quam utilitatis habentes.

Merx] Frivola illa.

3 *Lætificum gau*] 'Gau' pro Gaudium per Apocopen ab Ennio scriptum, ut quod postea sequitur 'Cœl' pro Cœlum, 'Do' pro domum, ex hoc poëmate patet. Quod sane Græcorum exemplo fecerat, ac inter ceteros Homeri, qui sæpe δῶ pro δῶμα quod domum significat, et κρῖ pro κριθὴ hordeum ponit.

4 *Livida mens hominum, &c*] Hoc est, ringantur licet invidi, et ut Virg.

Dic, quid significent catalecta Maronis? in his al
Celtarum posuit, sequitur non lucidius tau.
Imperium, litem, Venerem, cur una notet res?
Estne peregrini vox nominis, an Latii sil?

mihi quid Catalecta Virgilii significent? In illis scripsit Al Gallorum. Dein legitur in iis Tau, quod non est clarius. Dic quare unica vox Res significet imperium, litem, et coitum: an sil sit nomen extraneum, an Latinum et min, quod est mortife-

libro *repleat* fuit pro *replet.*—5 Reponit Scaliger: *Dic quid s. C. M. in his, Et quod Celtarum posuit non Lucidius Tau, Et quod germano mistum male letiferum Min.*—7 Vetus Lugdunensis codex, *sæpe* habebat pro *una.*—8 *Sitne* Vulg.

NOTÆ

'rumpantur ilia Codro.'

5 *Quid significent catalecta Maronis*] Scaliger non κατάληκτα a καταλήγω desino, ut Baptista Pius antumat, sed κατάλεκτα, a verbo καταλέγεσθαι deligere dicta putat, quod ea carmina ex Virgilianis sint collecta.

In his al] In catalectis Virgilii reperta fuisse hæc vocabula Al, Tau, Min, Ausonius ait, quæ quidem Scager posita vult pro Allium, Taurus, Minium, quas voces, ut et alias Latinas Celtæ, Galli, Germani, Britanni, et alii Barbari sic truncare, decurtareque adhunc sint soliti.

* *In his al Celtarum posuit, &c.*] Scaliger proposuit et Tollius insecutus est: *Dic quid significent catalecta Maronis? in his, al, Et quod Celtarum posuit non lucidius tau, Et quod Germano mistum male letiferum min.* 'Al,' 'tau' et 'min' prioris syllabæ sunt allii, tauri, et minii. Scilicet cum Rhetor ille de quo Virgilius, declamaret de morte Themistoclis, qui epoto taurino sanguine extinctus est, pro tauro dicebat 'tau.' Cum de illo dissereret, qui, dum patri allium tereret, minium a noverca injectum imprudens contrivit, pro allio 'al,' pro minio 'min' dicebat. Hæc Jos. Scaliger feliciter quidem, at pro

[redacted]

[redacted]

Et quod germano mixtum male letiferum min?
Lintribus in geminis constratus ponto sit, an pons?
Bucolico sepes dixit Maro, cur Cicero seps?
Vox solita, et cunctis notissima, si memores, lac.
Cur condemnetur, ratio magis ut faciat lact?
An Libyæ ferale malum, sit Romula vox seps?

rum, cum perperam sumitur promiscue pro cognomine medicamento. An ponto, an pons dicendus sit, qui in duabus naviculis stratus est? Virgilius dixit in carmine Bucolico sepes, quare Cicero dixit seps? Lac est vocabulum usitatum et notissimum omnibus, si pronuntietur, quare damnetur, adeo ut ratio postulet ut potius dicatur lact? An seps funestum malum Africæ sit dictio Latina? Si insons ille est, qui

NOTÆ

Et initio cap. 13. 'Sile pingere instituere primi Polygnotus et Mycon, Attico duntaxat. Hoc secuta ætas ad lumina usa est. Ad umbras autem Scyrico et Lydio. Lydium Sardibus emebatur,' &c. Hinc dubitatio Ausonii an 'sil' vox Latina, an Græca, an barbara, puta, Lydia.

9 *Et quod germano mixtum male letiferum min*] 'Min' pro minio positum recte conjecit Scaliger, sed sensum hujus loci non aperuit, neque Ausonianorum interpretum quisquam, quod sciam. Petendus est loci hujus intellectus ex hoc Plinii loco, lib. XXXIII. cap. 7. 'Milton vocant Græci minium, quidam Cinnabari. Unde natus error Indico cinnabaris nomine. Sic enim appellant illi saniem Draconis elisi Elephantorum morientium pondere, permixto utriusque animalis sanguine, ut diximus. Neque alius est color qui in picturis proprie sanguinem reddat. Illa cinnabaris antidotis medicamentisque utilissima est. At hercule medici, quia cinnabarin vocant, pro ea utuntur hoc minio, quod venenum esse paulo mox docebimus.' Scilicet cum cinnabaris, et minium, et Draconis sanguinem significet, Medici vocum similitudine decepti, in antidotis conficiendis minium, quod cinnabari etiam dicitur, aliquando promiscue usurpant pro medicamento cognomine, cinnabari scilicet Indiæ, seu sanguine Draconis; sicque venenum pro remedio dant. Ad hunc Plinii locum respexisse Ausonium, et hanc esse veram ejus mentem, nemo puto inficiabitur.

11 *Bucolico*] Ecl. I. 'Hinc tibi, quæ semper vicino ab limite sepes Hyblæis apibus florem depasta salicti,' &c.

Cur Cicero seps] Incertum ubi, non extat certe in iis quæ habemus Ciceronis operibus.

* *Cur Cicero seps*] Cur vocem illam uti et 'Sepes,' quæ in eodem versu legitur, per diphthongum scripserit Tollius, ignoro. 'Seps' quoque occurrit apud Plinium l. xx. cap. 11. et Solinum cap. 30.

13 *Magis ut faciat lact*] Martian. Capella lib. III. 'Quidam cum lac dicunt, adjiciunt, T, propterea quod facit lactis; sed Virgilius: Lac mihi non æstate novum, non frigore defit. Quippe cum nulla apud nos nomina in duas mutas exeant, ideo veteres lacte in nominativo dixerunt.'

14 *Seps*] Serpentis genus a σήπω putrefacio est σήψ. Græca igitur non Romula vox est. Lucan. lib. IX. 'Ossaque dissolvens cum corpore tabificus seps.' 'Libyæ ferale malum' dixit, quia Libya seu Africa omni ser-

Si bonus est insons, contrarius, et reus est sons?
Dives opum cur nomen habet Jove de Stygio Dis?
Unde Rudinus ait, Divum domus altisonum cœl?
Et cujus de more, quod astruit, endo suam do?
Aut de fronde loquens, cur dicit populea frus?
  Sed quo progredior? quæ finis, quis modus, et calx?
Indulge, Pacate, bonus, doctus, facilis vir.

est innocens, sons nonne est ei oppositus, et nocens? Quare Dis locuples divitiis appellatur pro inferno Jove? Quare poëta Rudius dicit cœl alte sonans, sedes Deorum? Et ad cujus exemplum est id, quod usurpat in suam Do? aut quare loquens de fronde ait, frus populea?

At quousque procedo? Quis terminus, quis modus, et quod extremum harum nugarum? Condona mihi, o Pacate, qui homo es benignus, eruditus, comis. Uni-

—18 Pro, *quod astruit*, liber membraneus habebat, *quod addidit*.—19 *Frons* Vulg. pro quo legeret Accursius, *fruns*: sed *frus* absque n inscribebat codex Joannis Tilii. Vid. inf.—21 'Ita vetus cod. non, ut in excusis, *Pauline*.' Scaliger. Idem censet Vinetus. *Indulget* non ausim scribere, inquit Accursius. Sunt enim hi vocativi casus, *bonus doctus, facilis vir* antiqua forma.

NOTÆ

pentum genere abundat.

* *Ferale malum, &c. seps*] Sepem tradidit Mathiolus serpentem esse viperæ minimæ similem, colore cinereo, maculis ex intervallo varium, cauda brevi; relatum ab Aëtio inter viperarum genera et serpentes mortiferos. 'Feralem' dixit, quod eorum [redacted]

propter tonitru. Virg. 'Quem super ingens Porta tonat cœli.'

18 *Cujus de more*] Veterum: apud quos 'Endo' erat 'in;' unde 'Endoplorato,' pro 'Implorato,' et 'Endo procinctu' pro 'in procinctu' apud Festum; unde 'Endogredi' seu 'Indugredi' pro, 'ingredi,' et similia [redacted]

[redacted]

Totum opus hoc sparsum, crinis velut Antiphilæ. Pax.

versum hoc poëmation dissolutum est, ut coma Antiphilæ. Pax.

NOTÆ.

21 *Pacate*] Initio hujus Technopægnii. 'Pacato ut studeat ludus meus, esto operi dux.'

22 *Crinis velut Antiphilæ*] Amicæ Clitiphonis apud Terent. Heautontim. act. II. sc. 3. 'Capillus passus, prolixus, circum caput Rejectus negligenter. Pax!' Est autem πὰξ Græcum adverbium desinendi, teste Hesychio, et Prisciano, quasi dicas tantum, vel finis. Idem Terent. eadem Fab. act. IV. sc. 2. 'Unus est dies, dum argentum eripio, pax, nihil amplius.' Pluribus in locis apud Plautum eodem sensu reperias.

AUSONIUS PAULO[a] S. 350

PERLEGE hoc etiam, si operæ est, frivolum et nullius pretii opusculum: quod nec labor excudit, nec cura limavit: sine ingenii acumine, et moræ maturitate. 2. CENTONEM vocant,[b] qui primi hac concinnatione luserunt.[c] Solæ

Lege quoque hoc totum inane et nihili opusculum, si operæ pretium est: quod quidem neque labor fabricavit, neque studium expolivit: quod caret acumine ingenii, et non est temporis spatio perductum ad maturitatem. Ii qui primi concinnaverunt lusus hujusmodi, appellant eos Centones. Res est ad solam memoriam per-

NOTÆ

* [a] Paulum, cujus nomini inscribitur hæc Epistola, eundem esse nil dubito cum Axio Paulo Rhetore ac Poëta Bigerritano, cui plures Ausonius inscripsit Epistolas quæ supersunt, atque una serie videntur excusæ.

[b] *Centonem vocant*] Cento Græcis Κέντρων, unde derivatur abjecto ρ, ut ab ἄρθρον fit artus. Eustathius, in Homerum monet a κέντρον, stimulus, aculeus, venire κέντρων, et ἐγκεντρίζειν, hoc est, inserere, ἐμφυτεύειν, ἐμβάλλειν: ac quemadmodum ἐγκεντρίζειν de stirpibus dicitur, nec aliud est, quam plantæ cuipiam alius planta ramulum inserere; sic etiam κέντρωνα cum proprie sumitur, ita vocari quia παρακεντοῦνται, hoc est, consuuntur diversicolores panni, ut in vestibus et stragulis pauperiorum. At cum transfertur ad poëmatis genus, sic appellari, quia ad similitudinem centonis ex diversis versibus hinc atque inde accersitis consuatur. Addit hinc dici 'Ὁμηρόκεντρα, quod interpretatur 'Ὁμηρικοὶ κέντρωνες. Lucill. 'Sarcinatorem esse summum, suere centonem optime.' Plaut. Epid. act. III. sc. 4. 'Proin tu alium quæras, cui centones sarcias.' At apud Grammaticos, ait Isidorus lib. I. origg. cap. 38. 'Centones vocari solent, qui de carminibus Homeri vel Virgilii ad propria opera, more centonario, ex multis hinc inde compositis in unum sarciuntur corpus, ad facultatem cujusque materiæ.'

memoriæ [d] negotium sparsa colligere, et integrare lacerata: quod ridere magis, quam laudare possis. Pro quo, si per Sigillaria [e] in auctione veniret, neque Afranius Nauci da-

tinens, legere dispersa, et redigere lacera in unum corpus: quod quidem risum tibi potius exprimere, quam laudem mereri possit. Pro quo opusculo, si venderetur licitatione in nundinis, nec Afranius daret Naucum, neque Plautus offerret suum Ci-

NOTÆ

[a] *Centonem vocant*] Apud Catonem et Columellam inter Rusticorum vestes recensetur Cento, vestis e variis panniculis consuta. Ad hujus effigiem cento vocatur Carminis genus multis alieni carminis particulis consutum. Sic teste Tertulliano de Præscript. cap. 39. 'Ovidius Geta Medeam tragœdiam ex Virgilio planissime expressit.' Ex Homeri et Virgilii versibus ut plurimum centones conflati fuerunt. Eorum contexendorum præcepta a Julio Roscio Hortino tradita subjunxit Fabricius diversis centonibus quos edidit Helmstad. 1597. in 4°.

[c] *Qui primi hac concinnatione luserunt*] Quinam fuerint primi illi, non dicit. Meminit quorundam Tertullianus lib. de Præscriptionibus cap. 39. 'Vis hodie,' inquit, 'fabulam, in totum aliam, componi, materia secundum versus, versibus secundum materias concinnatis? Deni-

[redacted]

soli.

[e] *Per Sigillaria*] Macrob. Saturn. lib. I. cap. 10. in fine: 'Abunde jam probasse nos æstimo Saturnalia uno tantum die, id est, quarto decimo Kalend. solita celebrari: sed post in triduum propagata primum ex adjectis a Cæsare huic mensi diebus, deinde ex edicto Augusti, quo trium dierum ferias saturnalibus addixit. A sexto decimo igitur cœpta in quartum decimum desinunt; quo solo fieri ante consueverant. Sed Sigillariorum adjecta celebritas in septem dies discursum publicum et lætitiam religionis extendit.' Statim ergo post Saturnalia, mense Decembri Sigillaria celebrabantur per Ædiles tum curules tum plebeios, ut videre est ex his Ausonii versibus infra in Eclogario, ubi de Feriis Romanis: 'Ædilesque etiam plebei, Ædilesque curules Sacra, Sigillorum nomine dicta, colunt.' Ea sigilla, a quorum nomine sigillaria

[redacted]

ret,[1] nec Cicum suum[g] Plautus[g] offerret. 3. Piget enim Virgiliani carminis dignitatem tam joculari dehonestasse materia. Sed quid facerem? Jussum erat: quodque est POTENTISSIMUM IMPERANDI GENUS, rogabat, qui jubere

cum. Pœnitet enim dedecorasse tam ridiculo argumento majestatem Virgilianorum versuum. Verum quid agerem? Imperatum erat mihi, et, qui validissimus modus jubendi est, orabat qui poterat præcipere, sacratissimus nempe Imperator Valenti-

1 '*Nec stichum suum*] Alter Vossianus: *nec cæcum suum:* recte igitur Lip-

NOTÆ

faustis sacrificiis infausta mutarunt. Hinc mos ut Saturnalibus cerei mitterentur, et sigilla arte fictili fingerentur, ac venalia pararentur, non sine multis aliis mercibus, quas muneri sibi mitterent Saturnalibus; erantque sigillaria nundinæ quædam mercium omne genus, ut apud nos quibusdam in locis Xenia. Gell. lib. v. cap. 4. 'Apud Sigillaria forte in libraria ego et Julius Paulus, poëta, vir memoria nostra doctissimus, consederamus,' &c. Et lib. II. cap. 3. 'Ostendisse mihi librum Æneidos secundum mirandæ vetustatis, emtum in Sigillariis XX. aureis.' Non semper idem ejusmodi nundinarum locus fuit, ut ex hoc loco veteris Juvenalis Scholiastis cognoscitur: ad versum 152. Sat. VI. 'Mense quidem brumæ, quo jam mercator Iason, &c. Romæ,' inquit, 'in porticu Trajanarum Thermarum tempore Saturnaliorum Sigillaria sunt. Tunc mercatores casas de linteis faciunt, quibus picturæ obstant. Ideo autem dicit mercator Iason; quoniam antea in porticu Agrippinarum Sigillaria proponebantur, in qua porticu historia Argonautarum depicta est, et casæ cum fierent, picturæ obstabant.' Hæc vetus Scholiastes, in quibus, si non veram Juvenalis mentem assecutus est, sigillariorum certe morem et formam nobis expressit.

f *Neque Afranius Nauci daret*] Hac voce 'Nauci' usus in Attellanis suis erat sæpius Afranius, ut Plautus voce 'Cicum.' Hinc est quod utrumque nominat hic quasi quibus peculiaria fuerint hæc vocabula, quibus tamen et alii usi. De voce 'nauci' Festus: 'Naucum ait Ateius Philologus poni pro nugis: Cincius, quod in oleæ nucis, quod intus sit: Ælius Stilo omnium rerum putamen: Glossematorum autem scriptores fabæ grani, quod hæreat in fabulo: quidam ex Græco ναὶ καὶ οὐχὶ levem hominem significari: quidam nucis juglandis, quam Verrius juglandam vocat, medium velut dissepimentum.' Pro re nihili accipitur.

g *Nec Cicum suum Plautus*] In Rudente act. II. sc. 7. 'Eluas tu, an exungare, Cicum non interduim.' Festus: 'Ciccum membrana tenuis malorum Punicorum.' Idem habet Varro, qui et locum Plauti sed paulo aliter citat. Glossæ Philoxeni Ciccum ῥοᾶς ὑμὴν. Punici mali pellicula. Hesychius Κικκὸς διαχώρησις, 'Ciccus separatio seu discrimen.' Est igitur Cicus, seu Ciccus, seu Ciccum interior membrana, qua grana discriminantur in malis Punicis. Et per translationem γρὺ, ut habent eædem Philoxeni Glossæ, 'res nihili.'

poterat, S. Imperator[h] Valentinianus,[2] vir meo judicio eruditus: qui nuptias quondam ejusmodi ludo descripserat, aptis equidem versibus, et compositione festiva. Experiri deinde volens, quantum nostra contentione præcelleret, simile nos de eodem concinnare præcepit. 4. Quam scrupulosum hoc mihi fuerit, intellige. Neque anteferri volebam, neque posthaberi: cum aliorum quoque judicio detegenda esset adulatio inepta,[3] si cederem: insolentia, si ut æmulus eminerem. Suscepi igitur similis recusanti: feliciterque et obnoxius gratiam tenui, nec victor offendi. Hoc, die uno et addita lucubratione properatum, modo inter lituraríos meos[1] cum reperissem, tanta mihi candoris tui et amoris fiducia est, ut severitati tuæ nec ridenda subtraherem. 5. Accipe igitur opusculum de inconnexis[k] continuum, de diversis unum, de seriis ludicrum, de alieno nostrum:

nianus, vir doctus mea sententia; qui olim descripserat nuptias lusu simili, carminibus quidem appositis, et faceta connexione versuum. Postea cum vellet experiri certando mecum, quantum me superaret, jussit me contexere simile opus de eadem materia. Cognosce quam anceps hoc mihi fuerit. Neque cupiebam præferri, neque postponi ei: quoniam futurum erat, ut etiam judicio aliorum deprehenderetur infaceta mea adulatio, si concederem ei; arrogantia vero, si excellerem tanquam ejus rivalis. Suscepi ergo mandatum opus tanquam illud recusans: et bono meo fato factum est, ut quanquam cogerer obsequi, gratiæ tamen mihi apponeretur; et quanquam superior evaderem, non offenderem tamen animum Imperatoris. Cum non ita pridem invenissem inter schedas meas hoc opusculum, quod absolutum a me est uno die et adjecto labore unius noctis ad lucernam, adeo confido in sinceritate tua et studio erga me, ut ne subducerem quidem hæc tuæ gravitati deridenda. Accipe ergo opusculum connexum ex sententiis dissolutis, unum ex variis, joculare ex gravibus,

[redacted]

[redacted]

ne in sacris et fabulis, aut Thyonianum[l] mireris, aut Virbium;[m] illum de Dionysio, hunc de Hippolyto reformatum. Et si pateris, ut doceam docendus ipse, CENTO quid sit[n] absolvam. 6. Variis de locis, sensibusque diversis, quædam carminis structura solidatur: in unum versum ut coëant aut cæsi duo, aut unus et sequens cum medio. Nam duos junctim locare, ineptum est:[o] et tres una serie, meræ

nostrum ex alieno: ne admireris in sacris historiis et fabulis aut Thyoneum, aut Virbium; illum mutatum ex Baccho, hunc ex Hippolyto. Ac si permittis ut ego, qui a te docendus essem, te ipsum doceam, expediam quid sit Cento. Constructio quædam poëmatis compingitur ex variis locis et sententiis poëtæ alicujus: ita ut aut duo dimidiati versus jungantur in unum; aut unus, et sequens cum, cum dimidiato. Nam stolidum est ponere duos consequenter: et ineptiæ meræ locare

NOTÆ

[l] *Aut Thyonianum*] Turnebus Advers. lib. XII. cap. 8. 'Apud Catullum scribitur: Hic merus est Thyonianus. Quo versu significat meraca Bacchi pocula per transnominationem: redivivus enim Bacchus, matrique fulminatæ superstes, Thyonianus vocatus est: vel potius illum dilaceratum [a Gigantibus scilicet ut habet Phurnutus] reducem sospitemque vitæ redditum [a matre Rhea] hoc nomine sacra canebant arcana:' et laudat hunc Ausonii locum. Non tamen novum in altera vita nomen accepisse Bacchum Phurnutus, qui rem narrat, meminit. Alii aliud Thyoniani, seu Thyonei, etymon afferunt, a Thyone scilicet, nutrice Bacchi, ut quidam volunt, ut alii, matre. Ferunt enim Bacchum, Jove concedente, matrem Semelen ab Inferis eduxisse, et immortalitate donatam, Thyonen a sacris quæ illi attribuit, denominasse: θύω enim est, sacra facio. Alii ab ipso θύω, ob Sacra et Orgia ejus, unde et Thyades, Bacchæ. Acron vult Thyoneum Bacchi filium fuisse. Fortasse Thyoneus dictus est Bacchus pro Theœnius, hoc est, Θεοίνιος Deus vini; sic enim est appellatus Bacchus, teste Hesychio, et Θεοίνια apud Athenienses Bacchi sacra dicebantur.

[m] *Aut Virbium*] Hippolytus ab equis discerptus, cum ab Æsculapio revocatus ad vitam esset, Virbius, quasi bis vir, est appellatus Dianæ jussu, cui conjunctum numen coli cœpit. Vide Ovid. lib. XV. Metam. Virg. lib. VII. Æneid. versu 761. et Pers. Sat. VI. vers. 55.

[n] *Ne, &c. aut Thyonianum mireris, aut Virbium, &c.*] Totum centonem uti et Epistolam centoni præfixam Gallice, pro more suo, reddidit Marollius. Et cum in ludicris versemur, en tibi specimen illius interpretationis: *Afin que vous n'admiriez pas, dans les Fables ni dans les choses sacrées un personnage qu'on nomme* Thionica, *et un autre encore qu'on nomme* Virbie; *celui-ci reparé de la perte que l'on fit de Dionyse, et cet autre ressuscité du tombeau d'Hippolyte.* Supinos errores quibus ea scatet interpretatio notare non aggredior; neque ut notarem, locum hunc exscripsi, verum ut remissione quadam animus rediret acrior.

[n] *Cento quid sit*] Vide supra Notam b hujus Præfationis.

[o] *Nam duos junctim locare, ineptum*

nugæ. Diffunditur[4] autem per cæsuras omnes, quas recipit versus Heroicus, convenire ut possit, aut penthemimeris[5] [p] cum reliquo anapæsto:[q] aut trochaice[r] cum posteriore segmento: aut septem semipedes[s] cum anapæstico chorico:[t] aut post dactylum atque semipedem,[u] quicquid restat hexametro.[v] Simile ut dicas ludicro, quod Græci ὀστομα-τίων[6] [w] vocavere. 7. Ossicla ea sunt: ad summam quatu-

tres eodem ordine. Scinduntur autem per omnes sectiones, quas versus Heroicus admittit, ut vel quinque semipedes possint congruere cum anapæstico versu qui superest: vel cæsura trochaica cum sectione sequenti: vel septem semipedes cum anapæstico chorico: vel post dactylum et dimidium pedem, quicquid superest versui hexametro. Adeo ut dicas hoc esse simile lusui, quem Græci appellarunt lusum ὀστομαχίων. Ea sunt ossicula. Habent omnino quatuordecim formas Geometricas.

dere potest.' *Tollius.*—4 Legendum monet Accursius: *diffinduntur*, quod probat Scriverius, et in textum suum recepit Tollius. Legitur etiam *diffinditur*.—5 Vulg. *penthemimeres*.—6 Scaliger legit *στομάχιον*, et *Ossilla*, quod

NOTÆ

est] Quod tamen Ausonius hoc ipso in Centone fecit non semel, ut videri facile potest.

[p] *Penthemimeris*] Vel *penthemimeres* πενθημιμερὴς a πέντε quinque, ἥμισυ dimidium, et μέρος pars, quasi dicas quinque dimidias partes, hoc est, dimidios pedes, quinque semipedes, ut in tertio hujus Centonis versu, 'ambo florentes.'

dimidio continens, ut in hoc ejusdem Centonis: 'Auspici-is mani-festa fides.'

[t] *Cum anapæstico chorico*] Puta in eodem versu: 'Quo jus-tior al-ter.' Cujusmodi anapæsticum choricum (hoc est, in choris usitatum) monometrum hypercatalectum vocat Servius.

[u] *Aut post dactylum atque semipedem*]

[redacted]

ordecim figuras geometricas habent.[x] Sunt enim æquilatera :[y]

Nam illa sunt æquilatera: aut triangularia: ex lineis rectis: vel angulis rectis,

NOTÆ

Tormento. Fas est ludere virginibus. Frangunt, Marmaricis Elephas quod misit ab arvis, Per micas sparsum mox solidatur opus. De Pœno teneræ discunt cum fraude jocari. ' Nam ridere necis munere, fœmineum est. Angusta norunt res mille includere capsa: Omne ebur hoc, mulier, pectoris arca tui est.' Atilius Fortunatianus de metris, capite de Hendecasyllabo Phalæcio: ' Nam si loculus ille Archimedius quatuordecim eboreas lamellas, [observa totidem hic poni ab Ausonio figuras,] quarum anguli varii sunt, in quadrata forma inclusas habet, componentibus nobis aliter, atque aliter, modo galeam, modo sicam, alias columnam, alias navem figurat, et innumerabiles efficit species: solebatque nobis pueris hic loculus ad confirmandam memoriam plurimum prodesse: quanto majorem potest nobis afferre voluptatem, quantoque pleniorem utilitatem carmina inter manus habentibus metrorum varia tractatio, cum subinde apud poëtas ea, quæ fallunt imperitos, metra inserta numeris, et intermixta carminibus deprehendamus?' Ex his duobus locis, ludicrum illud ossiculorum seu lamellarum eburnearum graphice depingentibus, facile evincitur, legendum hic ὀστομαχίων hoc est, ossiculorum, et *ossicla*, id est, ossicula; non autem *oscilla*. Erant scilicet ossicula seu lamellæ eburneæ multæ (ad quatuordecim fuisse ex hoc, et Fortunatiani loco cognoscitur) in triangulorum variorum formas sectæ, ex quibus varie inter se commissis pueri varias exprimebant figuras inter ludendum. Simile quiddam nostrates pueri faciunt, cum complicata in multa triangula charta, mensam, gallinam, anatem, naviculam, et alia multa modo complicando, modo explicando imitantur.

[x] *Quatuordecim figuras, &c. Sunt enim æquilatera, &c.*] Quanquam non quatuordecim diversas figuras mox enumeret, ut tamen nihil in hoc numero mutatum velim, facit locus Fortunatiani supra allatus. Et certe triangularium formarum septem omnino variæ species fingi possunt: æquilaterorum quidem tantum unica, eaque oxygonia; crure pari, quæ Græci ἰσοσκελῆ vocant, tres, oxygonia seu acutis omnibus angulis, orthogonia, rectum unum angulum habens, et amblygonia quæ habet unum obtusum. Similiter, et scalenorum, seu lateribus omnibus inæqualibus triangulorum tres quoque pro angulorum ratione species esse possunt, oxygonia, orthogonia, et amblygonia. Quod si binæ uniuscujusque speciei lamellæ in eo loculo Archimedico, seu quadrata capsula, fuisse intelligantur, fiet numerus quatuordecim, quem Ausonius et Fortunatianus habent. Mitto, quod septem prædictarum unaquæque species variari multis modis potest, prout magis vel minus acuti, aut obtusi earum anguli fient, et quod aliæ quoque quam triangulares formæ fuisse intelligi possunt. Quidni enim per hæc verba Ausonii ' extentis lineis: aut tritis angulis, vel obliquis,' intelligamus parallelogrammum, rectangulum, et obliquangulum?

[y] *Sunt enim æquilatera, &c.*] Nullo ordine hæc ab Ausonio enumerantur. Ut aliquis in iis ordo statuatur, observandum triangula dividi vel ratione laterum seu linearum quibus comprehenduntur, (de rectilineis et planis triangulis loquimur, non de

vel triquetra:[a] extentis lineis: aut rectis angulis, vel obliquis: isoscele: vel isopleura: orthogonia quoque, vel scalena.[7] Harum vertibularum[8] [a] variis coagmentis simulantur species mille formarum: Elephantus bellua, aut Aper bestia, Anser volans, et Mirmillo in armis,[b] subsidens Venator,[c] et latrans Canis: quin et Turturis,[9] [d] et Cantharus, et alia hujusmodi innumerabilium figurarum, quæ alius alio scientius variegant. Sed peritorum concinnatio mira-

vel obliquis: æquicrura vel æquilatera; rectangula etiam, aut lateribus inæqualibus. Diversa connexione horum ossiculorum effinguntur figuræ innumeræ: puta Elephas bellua, aut Aper fera, Anser volans, Gladiator armatus, Venator demittens se ad insidias, et Canis latrans: quin etiam et Turtur, et Poculum, et alia ejusmodi formarum innumerabilium, quæ alii aliis peritius variant. At coagmentatio, quam

improbat Scriverius.—7 Ita legit Accursius: *Sunt .... obliquis. Isosceles ipsi, vel Isopleura vocant, orthogonia quoque et scalena.*—8 *Verticularum* Vulg.—9

NOTÆ

curvilineis, neque de sphæricis,) vel ratione angulorum, quos lineæ istæ seu latera concursu suo faciunt. Ratione quidem laterum, vel tria latera æqualia sunt, et æquilaterum triangulum dicitur, Græce ἰσόπλευρον; vel duo tantum æqualia sunt, et crure pari, Græce ἰσοσκελὲς; vel denique tribus lateribus inæqualibus, σκαληνόν. Ratione angulorum, vel triangulum habet tres angulos acutos, et [redacted]

cantem, 'articuli' sunt seu 'vertebræ;' apud Isidorum 'vertibulæ' idem significant, partes scilicet illas ossium, quæ ita sibi junguntur, ut facile flecti et verti ossa possint. Hic certe nihil aliud intelligere potest Ausonius, quam figuras illas osseas seu eburneas, de quibus locutus est supra.

[b] *Mirmillo in armis*] De hac voce ad Technopægnii vers. 102. diximus. [redacted]

[redacted]

culum est; imperitorum junctura ridiculum. Quo prædicto, scies, quod ego posteriorem[10][e] imitatus sum. 8. Hoc ergo Centonis opusculum ut ille ludus tractatur, pari modo, sensus diversi ut congruant: adoptiva quæ sunt, ut cognata videantur: aliena ne interluceant: accersita ne vim redarguant: densa ne supra modum protuberent: hiulca ne pateant. Quæ si omnia ita tibi videbuntur, ut præceptum, dices me composuisse Centonem. Et quia sub imperatore meo[f] tum merui, procedere mihi[g] inter frequentes stipendium jubebis: sin aliter, ære dirutum facies:[h] ut, cumulo carminis in fiscum suum redacto, redeant versus unde venerunt.[i] Vale.

faciunt periti, est aliquid admirandum; connexio, quam faciunt imperiti, est aliquid ineptum. Quod cum te monuero, agnosces me imitatum esse hanc posteriorem connexionem. Igitur hoc opusculum Centonis tractatur, quemadmodum lusus ille, ita ut similiter diversæ sententiæ inter se conveniant: ut quæ sunt adoptiva, videantur cognata: quæ aliena sunt, non dignoscantur inter cetera: quæ ascita sunt, non clament se huc violenter tracta: quæ stipata sunt, non excrescant immodice: quæ diducta sunt, non hient. Quæ omnia si tibi videbuntur hic facta juxta dictas regulas, dices me contexuisse Centonem. Et quia tunc militavi sub meo Imperatore, jubebis continuari mihi stipendium inter eos, qui sunt sub vexillis: secus, privabis me stipendio: ut congerie hac versuum redacta in fiscum, versus illuc revertantur unde venerunt. Vale.

Turris Vulg.—10 Tollius mavult, *posteriores*.

NOTÆ

[e] *Posteriorem*] Scilicet imperitorum.

[f] *Sub imperatore meo*] Valentiniano, cujus jussu id opusculum susceperat, ut monuit Præfationis hujus initio.

[g] *Procedere mihi, &c.*] Hæc e militari re petita allegoria. Contraria sunt, procedere militi stipendium, et militem esse ære dirutum. Sic vernacula nostra lingua dicimus, *ses gages courent*, et *il est cassé aux gages*. Festus: 'Ære dirutum militem dicebant, quod æs dirueretur in fiscum, non in militis sacculum.' Livius lib. v. 'Placere autem omnibus iis, voluntariam extra ordinem professis militiam, æra procedere, et equiti certus numerus æris est assignatus.' Et lib. v. 'Tribuni plebis ad populum ferrent, ut qui minores septem et decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si septem et viginti annorum, aut majores milites facti essent.'

[h] *Ære dirutum facies*] Cave cum Budæo, Turnebo, Vineto, nostro quoque Interprete 'ære dirutum' intelligas militia solutum; immo intellige militem, ob nescio quod delictum, sine stipendio militare coactum. Patet illud ex eo Cic. Verrin. v. 13. loco: 'Aleatoris Placentini castra commemorabuntur, in quibus cum frequens fuisset, tamen ære dirutus est.' Hæc me monuit Desposius jam annotavisse Janum Langlæum lib. Semest. XIII. cap. 2.

[i] *Unde venerunt*] Ad Virgilii loca, unde desumti sunt.

XIII. CENTO NUPTIALIS. 351

A. 5. Accipite hæc[a] animis: lætasque advertite mentes,
A. 11. Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis:
B. 7. Ambo florentes, * genus insuperabile bello. A. 4
A. 6. Tuque prior, * nam te majoribus[b] ire per altum A. 3
A. 3. Auspiciis manifesta fides, * quo justior alter A. 1
A. 1. Nec pietate fuit, nec bello major et armis.
A. 4. Tuque puerque tuus,[c] * magnæ spes altera Romæ, A. 12
A. 8. Flos veterum, virtusque virum, * mea maxima cura,[d] A. 1
A. 12. Nomine avum referens,[e] * animo manibusque parentem.
A. 6. Non injussa cano.[f] * Sua cuique exorsa laborem A. 10
A. 10. Fortunamque ferent. * Mihi jussa capessere fas est. A. 1

Percipite hæc mentibus, o Imperatores: et attendite animis faventibus: ambo clari forti pectore, et armis egregiis: ambo vigentes, stirpe invicta bello. Et tu præcipue, o Valentiniane, nam clare cognoscitur te evehi in cælum auspiciis grandioribus. Tu, inquam, quo non alius extitit justior, neque sublimior pietate, neque bello et præliis. Tu, et filius tuus, qui est secunda spes magnæ Romæ, habens in se selectas dotes et virtutes virorum priscorum, quem ego curo præ ceteris omnibus, qui repræsentat avum suum nomine, patrem vero virtute et factis. Non scribo hoc [redacted]

CŒNA NUPTIALIS. 352

A. 5. EXPECTATA dies aderat: * dignisque Hymenæis[a] A.11
A. 6. Matres atque viri, * juvenesque ante ora parentum G. 4
A. 1. Conveniunt: stratoque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, * onerantque canistris A. 8
Dona laboratæ Cereris,[b] * pinguisque ferinæ A. 1
A. 8. Viscera tosta ferunt. * Series longissima rerum: A. 1
A. 8. Alituum pecudumque genus, * capreæque sequaces G 1
G. 3. Non absunt illis, * nec oves, hædique petulci, G. 4
G. 3. Et genus æquoreum, damæ, * cervique fugaces. G. 3
A.11. Ante oculos, interque manus sunt * mitia poma. B. 1
A. 8. Postquam exemta fames, et amor compressus edendi:
A. 1. Crateras magnos statuunt, * Bacchumque ministrant. A. 8

Dies optata venerat: et matronæ ac viri, atque adolescentes coram patribus confluunt ad nuptias bene comparatas: et accumbunt super stragulis purpureis. Servi infundunt aquam manibus abluendis, et imponunt corbibus munera Cereris præparatæ, et ministrant mensis carnes assatas venationis opimæ. Longissimus ordo ciborum explicatur; omne genus avium et pecudum, neque desunt eis capreæ sequaces, neque oves et hædi petulantes, et pisces marini, et damæ, et cervi timidi. Dulcia poma versantur ante oculos, et in manibus convivarum. Postquam fames sublata est, et cupiditas cibi repressa: apponunt ingentes pateras, et suppeditant

NOTÆ

[a] *Dignisque Hymenæis*] Nuptiis in quibus par pari jungebatur.

[b] *Dona laboratæ Cereris*] Periphrastice, et Metonymice panem exprimit. Laborata dicitur Ceres, quia priusquam frumentum cibo humano aptum sit, molendum est, incernendum, pinsendum, et coquendum in panem.

A. 2. Sacra canunt. * Plaudunt choreas: et carmina dicunt. A. 6
A. 6. Nec non Threicius[c] longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum.
A. 9. At parte ex alia * biforem[d] dat tibia cantum. A.10
A. 4. Omnibus una quies operum; * cunctique relictis A. 8
Consurgunt mensis, * per limina læta frequentes A. 1
A. 9. Discurrunt, variantque vices * populusque patresque, A. 9
A.11. Matronæ, pueri, * vocemque per ampla volutant A. 1
Atria: dependent lychni laquearibus aureis. A. 1

vinum. Cantant sacra Cantica. Saltant in choreis; et recitant versus. Quin et Sacerdos Thracius, cum veste longa, exprimit modulis septem intervalla sonorum. Verum ex alia parte tibia edit sonum per foramen duplex. Universi simul quiescunt ab opere; et omnes surgunt mensis relictis; ambulant magno in numero per amœnum vestibulum, et varie commutant loca plebs, et senatores, matres familias, et pueri, et glomerant vocem per ingentia atria: lucernæ suspensæ sunt ex auratis lacunaribus.

NOTÆ

[c] *Nec non Threicius, &c.*] Hæc de Orpheo Virg. in VI. Æneid. Hic pro quovis citharœdo, qui chordas pulset in nuptiis.

[redacted]

tantum foramina modulatum, sed geminum et per duarum simul tibiarum, dextræ scilicet, et sinistræ foramina erumpentem, licet ab uno eodemque

[redacted]

A. 7. Jam matura viro, jam plenis nubilis annis:
A. 1. Virginis os, habitumque gerens, * cui plurimus ignem A.12
Subjecit rubor,[b] et calefacta per ora cucurrit:
A. 7. Intentos volvens oculos, * uritque videndo.[c] G. 3
A. 7. Illam omnis tectis, agrisque effusa juventus,
Turbaque miratur matrum, * vestigia primi A. 5
Alba pedis: * dederatque comam diffundere ventis. A. 1
A. 3. Fert picturatas auri subtegmine vestes,
A. 1. Ornatus Argivæ Helenæ:[d] * qualisque videri A. 2
A. 2. Cœlicolis, et quanta solet * Venus aurea contra: A.10
A. 6. Talis erat species. * Talem se læta ferebat A. 1
A. 2. Ad soceros; * solioque alte subnixa resedit. A. 1

matura nuptiis ætate: præferens vultum, et cultum virginis, cui magnus ardor suffudit ruborem, et pervasit vultum calentem: versans attenta lumina, et incendit aspectu suo. Omnes juvenes confluentes ex domibus, et agris, ac turba matronarum admirantur illam, et candorem pedis quem profert incedendo, et permiserat capillos auris spargendos. Gestat vestimenta picta filis aureis, cujusmodi erant ornamenta Helenæ Argolicæ: et qualis, ac quanta, Venus decora consuevit prodire in conspectum Deorum: talis erat ejus aspectus; talis progrediebatur hilaris ad futuros soceros: et consedit fulta sublimi sella.

NOTÆ

[b] *Cui plurimus ignem Subjecit rubor*] Hypallage, pro 'ignis subjecit ruborem.'

[c] *Uritque videndo*] Passive hic, ut et apud Virgilium. 'Videndo,' id est, 'cum videtur.'

* [d] *Ornatus Argivæ Helenæ*] In Centone ipso (cujus multa nescias, an aptius decentiusve apud ipsum Virgilium, unde arcessita sunt, locata videantur,) hemistichium est: *Ornatus Argivæ Helenæ. Cœlicolis et quanta solet Venus aurea contra.* Quod in mensuram justi carminis ex Ms. Cod. duntaxat uno, ita integrandum est: *Ornatus Argivæ Helenæ. Qualisque videri Cœlicolis, et quanta solet Venus aurea contra.* Mariangelus Accursius.

DESCRIPTIO EGREDIENTIS SPONSI. 354

A. 9. At parte ex alia * foribus sese intulit altis A.11
A. 9. Ora puer prima signans intonsa juventa,

Ex alia vero parte juvenis habens genas pubescentes primo flore juventutis in-

Pictus acu chlamydem auratam, * quam plu- A. 5
rima circum
Purpura Mæandro duplici Meliboea[a] cucurrit,
A. 10. Et tunicam molli mater quam neverat auro:
A. 1. Os, humerosque Deo similis, * lumenque ju- A. 1
ventæ.
A. 8. Qualis, ubi Oceani perfusus Lucifer[b] unda
Extulit os sacrum cœlo; * sic ora ferebat, A. 3
Sic oculos,* cursuque amens ad limina tendit. A. 2
A. 2. Illum turbat amor, figitque in virgine vultus.
A. 1. Oscula libavit, * dextramque amplexus in- A. 8
hæsit.

gressus est sublime ostium, amictus chlamyde aurata, opere Phrygio distincta, circa quam purpura Melibœensis gemino flexu ducta est, et indutus tunica, quam ei mater neverat ex auro flexili: similis Deo vultu, et humeris, et flos ipse juventutis. Qualis est Lucifer cum ablutus aqua Oceani sustulit in cœlum vultum suum sacrum. Sic sponsus ostendebat vultum et oculos, et impos animi currit ad januam. Amor agitat illum, et defigit oculos in puella. Carpsit suavia, et adhæsit complectens eam dextra.

NOTÆ

[a] *Meliboea*] Melibœensis, ex Melibœa Thessaliæ civitate, teste Servio.

[b] *Lucifer*] Phosphorus; stella Veneris, quam Oceano tingi ex more poëtarum dicit, qui mane emergere mari astra, et in illud condi vespere putarunt.

OBLATIO MUNERUM. 355

A. 5. INCEDUNT pueri, pariterque ante ora parentum

[redacted]

A. 1. Ingens argentum mensis, * colloque monile A. 1
Baccatum,[d] et duplicem gemmis auroque coronam.
A. 5. Olli serva datur,[e] * geminique sub ubere nati. A. 5
A.10. Quatuor huic juvenes, * totidem innuptæque puellæ: A. 2
A. 5. Omnibus in morem tonsa coma. * Pectore summo A. 5
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

ornandas mensas, et torquem e margaritis, quem collo gestaret, et coronam duplicem ex gemmis, et auro. Donatur ei sponsæ ancilla, et duo ejus filii adhuc lactentes. Sponso autem quatuor juvenes servi, et totidem ancillæ innuptæ: capillus est tonsus iis omnibus more solito. In summitate autem pectoris torquis flexilis ex auro intorto ambit iis collum.

NOTÆ

ornantur columnarum Corinthiarum capitula.

[d] *Monile Baccatum*] E baccis margaritarum.

[e] *Olli serva datur, &c.*] 'Olli' ad sponsam retuli in Interpretatione, 'huic' vero ad sponsum, respiciens ad munerum genus utrique conveniens.

EPITHALAMIUM UTRIQUE. 356

A.12. Tum studio effusæ matres * ad limina ducunt. A.10
G. 4. At chorus æqualis, * pueri innuptæque puellæ, A. 2
G. 2. Versibus incomtis ludunt: * et carmina dicunt. A. 6
B. 8. O digno conjuncta viro, * gratissima conjux, A.10
A. 1. Sis felix, * primos Lucinæ [a] experta labores, G. 4

Tunc matres officiosæ deducunt sponsam ad cubiculum sponsi. At cœtus ejusdem ætatis, juvenes et virgines innuptæ, jocantur carminibus inconditis: et canunt versus. O jucundissima uxor, copulata merito conjugi, sis fortunata, cum passa fueris primos dolores Lucinæ, et facta eris mater. Sume pocula Bacchi Mæonii. Projice

NOTÆ

[a] *Primos Lucinæ, &c.*] Metonymice primum partum exprimunt, quem sponsæ optant felicem. Notum, Lucinam, seu Junonem Lucinam, seu Ilithyiam Deam esse puerperiorum præsidem.

G. 4. Et mater. Cape Mæonii carchesia Bacchi.[b]
B. 8. Sparge, marite, nuces.[c] * Cinge hæc altaria vitta,[d] B. 8
A. 8. Flos veterum, virtusque virum: * tibi ducitur uxor, B. 8
A. 1. Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat; et pulchra faciat te prole parentem.
A. 9. Fortunati ambo, * si quid pia numina possunt. A. 4
A. 3. Vivite felices. * Dixerunt, currite, fusis, B. 4
Concordes stabili fatorum numine[e] Parcæ.

nuces, o sponse. Circumda has aras tænia. O tu, cui insunt selectæ dotes, et virtutes priscorum virorum; uxor ad te deducitur, ut transigat tecum ob ista tua merita omnes annos vitæ suæ: et faciat te patrem formosa sobole. Ambo eritis felices, si Dii propitii aliquid valent efficere. Vivite fortunati. Parcæ unanimes in constanti decreto fatorum, dixerunt fusis suis: Currite diu.

NOTÆ

[b] *Mæonii carchesia Bacchi*] Carchesia sunt tabulata illa, quæ in summis navium malis sunt: *les hunes.* Ab iis pocula quædam figuræ consimilis Carchesia dicta, ut hoc loco. Bacchus porro Mæonius dictus est, a Mæonia minoris Asiæ regione, in qua nullas præter vitem arbores nasci ferunt.

[c] *Sparge, marite, nuces*] Ex Ecloga VIII. Virgilii, ad quem locum Servius: 'Idem Varro spargendarum nucum hanc dicit esse rationem, ut Jovis omine matrimonium celebretur, ut strepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis possit audiri,' &c. Mos hic fluxisse a Græcis videtur. Apud Athenienses enim, novus maritus nuces juglandes, amygdalas, aliaque id genus spargebat largitionis gratia. Atque hæc *καταχύσματα* vocabant, quasi dicas, effusiones.

[d] *Cinge hæc altaria vitta*] Morem aliquem in nuptiis usitatum tangit. Cingebatur fortasse ara, ut uni addicta viro materfamilias pudicitiam adversus alienos munitam undique habere debere ostenderetur.

[redacted]

A. 8. Congressi jungunt dextras: * stratisque reponunt. A. 4
A. 1. At Cytherea novas artes, * et pronuba Juno [a] A. 4
A.11. Solicitat: suadetque ignota lacessere bella.
A. 1. Ille ubi complexu * molli fovet: atque repente A. 8
Accepit solitam flammam, * lectumque jugalem: A. 4
A. 6. O virgo, nova mi facies, * gratissima conjux, A.10
A. 6. Venisti tandem, * mea sola, et sera voluptas. A. 8
A. 2. O dulcis conjux, non hæc sine numine Divum
A.12. Proveniunt: * placitone etiam pugnabis amori? A. 4
A. 4. Talia dicentem jamdudum aversa tuetur:
A.12. Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit:
A. 1. Spemque metumque inter, * funditque has ore loquelas: A. 5
A.10. Per te, per, qui te talem genuere, parentes,
B. 2. O formose puer, * noctem non amplius unam A. 1
A. 9. Hanc tu, oro, solare inopem, * et miserere precantis. A.10
A.12. Succidimus. Non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires; nec vox aut verba sequuntur.

reclinant se in torum. Venus autem, et Juno conjugalis tentant novas artes: et invitant eos ad committendum certamen ipsis adhuc incognitum. Ille postquam, amplexus sponsam, tenero sinu fovit eam; et subito hausit consuetum ignem, et tetigit genialem torum: O puella, inquit, vultus mihi novus, uxor jucundissima: tandem venisti, unicum meum gaudium, et tardius meis votis. O suavis uxor, hæc non contingunt sine voluntate Deorum. Resisteme etiam amori tibi placenti? Hæc dicentem illa jam dudum aspicit aversa facie: et hæsitat præ timore: ac trepidat quia telum imminet; anceps inter spem et metum: et hæc verba ore profert: O pulcher juvenis, rogo te per te ipsum, et per parentes qui te procrearunt tam formosum, consolare me miseram, per hanc tantum noctem solam, et miserere mei te precantis. Collabor. Lingua mea non potest amplius loqui, robur solitum non suppetit meis membris; neque vox aut verba præsto mihi sunt. Ille vero: Frustra,

NOTÆ

[a] *Pronuba Juno*] Παράνυμφος Græcis. 'Zygia' Juno apud Apuleium. Medea apud Senecam: 'Dii conjugales, tuque Genialis tori Lucina custos.'

A. 9. Ille autem: Causas nequicquam nectis inanes.

A.12. Præcipitatque moras omnes, * solvitque pudorem. A. 4

inquit, vanas excusationes affers alias ex aliis. Et abrumpit omnes moras, et resolvit ejus pudicitiam.

PARECBASIS. 358

HACTENUS castis auribus audiendum mysterium nuptiale, ambitu loquendi, et circumitione, velavi. Verum quoniam et Fescenninos [a] amat celebritas nuptialis, verborumque petulantiam notus vetere instituto ludus admittit; cetera quoque cubiculi et lectuli operta prodentur, ab eodem auctore collecta: ut bis erubescamus, qui et Virgilium facimus impudentem. Vos, si placet, hic jam legendi modum ponite: cetera curiosis relinquite.

NOTÆ

[a] *Et Fescenninos*] Vossianus alter particulam *et* ante *Fescenninos* inserit.

IMMINUTIO.[a] 359

A.11. POSTQUAM congressi * sola sub nocte per umbram, A. 6

G. 3. Et mentem Venus ipsa dedit, * nova prælia tentant. A. 3

[redacted]

[redacted]

B.10. Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem,
A.12. Nudato capite, * et pedibus per mutua nexis, A. 7
A. 3. Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum,
A.10. Eripit a femore, et trepidanti fervidus instat.
A. 1. Est in secessu, * tenuis quo semita ducit, A.11
A. 8. Ignea rima micans: * exhalat opaca mephitim. A. 7
A. 6. Nulli fas casto sceleratum insistere limen.
A. 7. Hic specus horrendum. * Talis sese halitus atris A. 6
A. 6. Faucibus effundens, * nares contingit odore. A. 9
A.11. Huic juvenis nota fertur regione viarum:
A. 5. Et super incumbens * nodis et cortice crudo A. 9
A. 9. Intorquet summis adnixus viribus hastam.[e]
A.11. Hæsit: virgineumque alte bibit acta cruorem.
A. 2. Insonuere cavæ, gemitumque dedere cavernæ.
A.11. Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
G. 3. Altius ad vivum persedit * vulnere mucro. A.11
A. 4. Ter sese attollens, cubitoque innixa levavit:
Ter revoluta toro est. * Manet imperterritus ille. A.10
A. 3. Nec mora, nec requies: * clavumque affixus et hærens A. 5
Nusquam amittebat: oculosque sub astra tenebat.
A. 6. Itque, reditque viam totiens: * uteroque recusso A. 2
A. 9. Transadigit costas,* et pectine pulsat eburno. A. 6
A. 5. Jamque fere spatio extremo, fessique, sub ipsam
Finem adventabant: * tum creber anhelitus artus, A. 5

NOTÆ

[e] *Hastam*] Est illud festivissimum parodiarum genus, cum servatis iisdem verbis sententia longe alio detorquetur. Velut illud apud Ausonium in Centone, quem totum eo genere confecit: 'Intorquet summis adnixus viribus hastam.' Nam cum legisset apud Virgilium id de Pandaro dici, qui Turnum oppugnabat, ad nugas nuptiales transtulit. *Rutgersius Lect. lib.* II. *cap.* 2.

Aridaque ora quatit: sudor fluit undique rivis:
A.11. Labitur exsanguis:[a] destillat[1] [d] ab inguine vi- G. 3
rus.

1 *Distillat* Vulg.

NOTÆ

[d] *Destillat*] Sic in emendatioribus Virgilii libris omnibus hæc vox scribitur. *Grævius*.

360

Contentus esto, Paule mi,
Lasciva, Paule, pagina:
Ridere nil ultra expeto.

Sed cum legeris, adesto mihi adversum eos, qui, ut Juvenalis ait,

Curios simulant, et Bacchanalia vivunt:

ne forte[a] mores meos spectent de carmine.

Lasciva est nobis pagina, vita proba,

ut Plinius dicit.[b] Meminerint autem, quippe eruditi, probatissimo viro Plinio in poëmatis lasciviam, in moribus constitisse censuram. Prurire opusculum Sulpitiæ,[1] fron-

1 *Sulpitii* Vulg. Vid. inf.—2 *Euhemerum* legendum monet Tollius.—3 Γλυ-

NOTÆ

[redacted]

[redacted]

tem caperare:[c] esse Appuleium in vita philosophum, in Epigrammatis amatorem;[d] in præceptis omnibus extare severitatem, in Epistolis ad Cærelliam[e] subesse petulantiam. Platonis Symposion composita in ephebos Edyllia continere.[f] Nam quid Anniani Fescenninos?[g] quid antiquissimi poëtæ Lævii[h] Erotopægnion libros loquar? quid

NOTÆ

[c] *Prurire opusculum Sulpitiæ, frontem caperare*] Alter scriptus, teste Tollio, habuit: *Prurire opusculum, Sulpitiice frontem caperare*, nullo quidem sensu. In eo enim membro, ut in ceteris, debet esse oppositio. Præterea Sulpitiæ extat Satira, et apud Juvenalis Interpretem, obscœni, ut videtur, operis fragmentum, de quo jam verba fecimus in nostris animadv. 'Ne me Cadurcis destitutam fasciis Nudam Caleno concubantem proferat.' De eadem Sulpitia meminerunt quoque Martialis, et Sidonius Carm. IX. 'Non quod Sulpitiæ jocus Thaliæ Scripsit blandiloquum suo Caleno.'

[d] *In Epigrammatis amatorem*] Perierunt inter alia, hæc Apuleii Madaurensis amatoria, de quibus ipse in priore Magiæ Apologia.

[e] *In Epistolis ad Cærelliam*] Hic excidit nomen disertissimi nepotum Romuli. Nam Cærellia ista nihil ad Apuleium pertinet, sed studio philosophiæ familiaris fuit Ciceroni, cujus ipse meminit lib. XII. ad Atticum, et lib. XXIII. 'Mirifice Cærellia studio videlicet Philosophiæ flagrans,' &c. Cujus etiam consuetudinem viro sanctissimo exprobrant obtrectatores ejus Fusius Calenus non magis, quam Dio. Fuit igitur: *Ciceronis in præceptis omnibus*. Sic appellat innocentes jocos: si tamen illæ Ciceronis Epistolæ fuerunt, et non lascivientium ingeniorum: quales qui in eam Sallustii, et in Sallustium ejus declamationes subjecerunt. *Gronovius*.

Meminit harum Ciceronis ad Cærelliam Epistolarum Quintilianus lib. VI. Instit. cap. 3. 'Etiam illud quod Cicero Cærelliæ scripsit reddens rationem, cur illa C. Cæsaris tempora tam patienter toleraret:' Hæc aut animo Catonis ferenda sunt, aut Ciceronis stomacho. *Tollius*.

[f] *In ephebos Edyllia continere*] Platonis nulla carmina extant, nisi amoris elegia. Nam cetera omnia (credo, quod tam lepida non erant) igni dedissit: Apuleius Apologiæ fere initio; ubi et puerum quem amavit 'Astera' vocat; aliaque Epigrammata amatoria Platonis recenset, quæ vide. *Scriverius*.

[g] *Anniani Fescenninos*] Qui canebantur in nuptiis, ut Festus auctor est. Æqualem sibi fuisse tradit Gellius lib. XX. Noct. Attic. 'Annianus poëta in fundo suo, quem in agro Phalisco possidebat, agitare erat solitus vindemiam hilare atque amœniter. Ad eos dies me et quosdam familiares vocat.' Fescenninos autem sic dictos vult Festus, vel quia ab urbe Fescennia allati, vel quia fascinum putabantur arcere.

[h] *Lævii*] Perperam legitur *Livius*. *Lævius* est is qui poëma 'Io' scripsit: item 'Erotopægnia.' Quæ lascivissima fuisse indicat tum titulus, tum etiam Ausonius ipse. Sed molles ex illis afferuntur versiculi isti de corona plectili: 'Andromacha per ludum manu Lascivula, tenellula Capiti meo trepidans, lubens Insolita plexit munera.' Lævii mentio est apud Porphy-

Evenum,[a] [i] quem Menander sapientem vocavit? quid ipsum Menandrum? quid comicos omnes? quibus severa vità est et læta materia. Quid etiam Partheniam dictum causa pudoris?[k] qui octavo Æneidos,[l] cum describeret coitum Veneris atque Vulcani, *Αἰσχροσεμνίαν*[m] decenter immiscuit.

[a] χροσεμνίαν Vulg. Vid. Not. Var. et inf.

NOTÆ

rionem Horatii Interpretem Ode 1. l. III. 'CARMINA NON PRIUS AUDITA. Romanis utique non prius audita. Quamvis *Lævius* Lyrica ante Horatium scripserit.' *Scaliger*.

Hunc locum emendavit Had. Junius, reposuitque *Lævii*, pro *Livii*, quod antea legebatur. Citat e 'Lævii Erotopægniis' hæc Nonius: 'Nocte ut opertus amictu latibuletur.' Et istos Apuleius in Apologia versiculos, ut emendavit Salmasius: 'Antipathes illud quærito, Philtra omnia undique irruunt, Trochus, pili, ungues, tæniæ, Radiculæ, herbæ, surculi, Sauri, illices, bicodulæ, Hinnientium dulcedines.' E quibus patet, quare Lævium Poëta noster in sui defensionem adduxerit. *Tollius*.

[i] *Quid Evenum*] Huc multa ex Gyraldo congessit Scriverius de duobus Evenis, iisdemque e Paro insula, et [redacted]

[k] *Quid etiam Partheniam dictum causa pudoris*] Sic vulgo creditur Virgilium Neapoli appellatum fuisse ἀπὸ τοῦ παρθένος, quod instar Virginis moribus esset castissimis. Verum obstant Bucolica, et quæ de illius nimia in pueros propensione memoriæ prodita sunt. Igitur malim accedere Huetio. Censet nimirum idcirco Neapoli 'Partheniam' dictum, quod Virginium pro Virgilio gens Græca acciperet. *Huetian. pag.* 127.

[l] *Octavo Æneidos*] En versus quibus Veneris atque Vulcani coitum describit: 'Optatos dedit amplexus, placidumque petivit Conjugis infusus gremio per membra quietem.'

[m] Αἰσχρ. [Γλισχροσεμνίαν] Commutatione literarum haud imparilium, mendæ hic obscuritas contracta est. Primi quippe Græci elementi τοῦ Α linea, quæ medium intersecat, si in [redacted]

Quid in tertio Georgicorum de summissis in gregem maritis? nonne obscœnam significationem honesta verborum translatione velavit? Et si quid in nostro joco, aliquorum hominum severitas vestita condemnat, de Virgilio arcessitum sciat. Igitur cui hic ludus noster non placet, ne legerit: aut cum legerit, obliviscatur: aut non oblitus, ignoscat. Etenim fabula de nuptiis est: et velit, nolit, aliter hæc sacra non constant.[a]

NOTÆ

perstricta scilicet voce (ut ait Plato in Cratylo) quæ fuerit αἰσχέῤῥουν, quasi ἀεὶ ἴσχων ῥοῦν, id est, semper impediens fluxum, quod vituperandum sit agitationis obstaculum. *Mariangelus Accursius.*

[a] *Aliter hæc sacra non constant*] Erasmus Adagio 88. Centuriæ 4. Chiliad. 2. 'Hoc adagio licebit uti, si quando fatebimur culpam, sed quæ rei locoque conveniat.' *Vinetus.*

XIV. ROSÆ. 361

Ver erat: et blando mordentia frigora sensu
  Spirabat croceo mane revecta dies.
Strictior Eoos præcesserat aura jugales,
  Æstiferum suadens anticipare diem.
Errabam riguis per quadrua compita in hortis,
  Maturo cupiens me vegetare die.

Erat verna tempestas: et dies reducta luteo mane exhalabat frigus perstringens jucundo sensu. Ventulus tenuis anteibat equos Auroræ, incitans ad præveniendum diem allaturum calorem. Ambulabam in hortis irriguis per ambulationes quadratas,

NOTÆ

[a] Anacreon præiverat Ausonio quem permulti Recentiores imitati (namque cui non dicta Rosa est) Passeratius, Valens Acidalius, Joach. Camerarius, Janus Gulielmus, &c. Rosas cecinerunt. Elegantissime Poëta noster Rosarum incrementa a primis initiis ad finem usque descripsit.

1 *Ver erat*] Hoc Edyllion, et quæ 'Vir bonus,' Ναὶ καὶ οὔ, 'Ætates animalium,' 'Herculis ærumnæ,' et 'Musarum inventa' inscribuntur, inter Virgilii opera reperta et edita fuerant, ac propter suam elegantiam, ejus esse diu credita sunt. Verum ea inter scripta Ausonii, quem magis quam Virgilium redolent, cum reperissent Hieronymus Aleander, et Mariangelus Accursius, auctori illa suo asseruerunt.

5 *Per quadrua compita*] Translate 'quadrua compita' appellat concurrentes, inter areas horti, semitas seu ambulationes quatuor: cum proprie de magnis viis concurrentibus ex-

Evenum,[i] quem M ...
sum Menandrum ...
est et læta mater ... ...is.
pudoris ? [k] qui ... ...ias.
Veneris atque V...

... Vulg. ...

... ...borem,
... ...lies.
... ...e duorum.
... ...a Venus.

rionem Horatii l ...
III. ' Carmin...
Romanis ut...
Quamvis L...
tium scrips...
Hunc lo...
nius, rep...
quod ant...
Erotopa...
te ut ...
Et ist...
culos, ...
tipatl...
und. :
gue...
cai .

... rorem collectum pendere per herbas ... gravi- ... rosaria lata cultu Pæstano, ... albicabant in fruticibus pruina ... an Aurora traheret rubedi- ... inficeret suo colore illos flores. ... gratia amborum. Scilicet eadem

... Vulg. In scriptis fuit : *Diffluit:*

... III. Metamorph. ' Hortulum quendam prospexi satis amœnum, in quo præter ceteras gratas herbulas, rosæ virgines matutino rore fluebant.' Et lib. IV. ' Jam enim loco proximus,

[redacted]

[redacted]

Forsan et unus odor: sed celsior ille per auras
  Diffluit: exspirat proximus iste magis.
Communis Paphie Dea sideris, et Dea floris,
  Præcipit unius muricis esse habitum.
Momentum intererat: quo se nascentia florum,
  Germina comparibus dividerent spatiis.
Hæc viret angusto foliorum tecta galero:
  Hanc tenui folio purpura rubra notat.
Hæc aperit primi fastigia celsa obelisci,
  Mucronem absolvens purpurei capitis.
Vertice collectos illa exsinuabat amictus,
  Jam meditans foliis se numerare suis:

Venus domina est astri, et floris. Fortasse et idem est odor utriusque: verum ille sublimior diffunditur per aërem: hic vero proximus magis exhalat. Venus numen commune astri, et floris, vult utrumque induere eandem purpuram. Paululum intercedebat temporis: per quod flores nascentes sese explicarent in spatia similia. Hæc rosa viridis est operta stricto tegmine foliorum: ostrum rubens pingit hanc exiguo folio. Hæc profert altum fastigium coni sui nascentis, perficiens acumen sui rubri verticis. Illa explicabat amictus contractos in capite suo, jam parans

et spirat: ex quo Tollius: *Diffluit: exspirat.*—23 Vossian. scriptus: *nectentia florum.*—26 Vossianus alius: *hanc tenus et folio.*—29 Idem Voss. liber, *exundabat*, qui et versu superiore: *Hæc aperit primæ florens præludia formæ.*

NOTÆ

ris osculo, Deque gemmis, deque flammis, deque solis purpuris,' &c.

18 *Sideris, et floris, &c.*] Luciferi, quæ stella Veneris est, et Rosæ, qui flos Veneri sacer, ex quo ejus spinis punctæ cruore ruber factus est qui prius albus erat.

* *Floris nam domina una Venus*] Huic Fabulæ in Epist. Hieronymum alludere notavit Thomas Munckerus: 'Hi norunt, quod flos Veneris Rosa est, quia sub ejus purpura multi latent aculei.'

Notum et pervulgatum, ex versibus repertis in marmore, Harpocratem a Cupidine Rosa donatum fuisse; inde Rosam mensis suspensam, ut sub ea dicta convivæ scirent tacenda.

19 *Sed celsior ille*] Odor sideris.

20 *Proximus iste*] Odor rosarum.

* *Exspirat proximus iste magis*] Τόδε γὰρ θεῶν ἄημα. Anacr. *εἰς ῥόδον*. *La Rose est le parfum de Dieux*. Regnier. Χαρίεν ῥόδῳ δὲ γῆρας Νεότητος ἔσχεν ὀδμήν. Anacr. *Elle conserve en ses vieux ans Toute l'odeur de son jeune âge*. Regn.

25 *Galero*] Involucro. Metaph. Galerus proprie capitis tegmentum est.

27 *Obelisci*] Floris sui, priusquam aperiatur in obelisci, seu coni et

Nec mora: ridentis calathi patefecit honorem,
  Prodens inclusi semina densa croci.
Hæc modo, quæ toto rutilaverat igne comarum,
  Pallida collapsis deseritur foliis.
Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam,
  Et dum nascuntur, consenuisse rosas.
Ecce et defluxit rutili coma punica floris,
  Dum loquor: et tellus tecta rubore micat.
Tot species, tantosque ortus, variosque novatus
  Una dies aperit: conficit una dies.
Conquerimur, Natura, brevis quod gratia florum est.
  Ostentata oculis illico dona rapis.
Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum,
  Quas pubescentes juncta senecta premit.
Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,
  Hanc rediens sero vespere vidit anum.

exponere folia sua numeranda, et statim aperuit decus sui jucundi calicis, patefaciens spissa sua semina lutei coloris, quæ inclusa gerebat prius. Mox illa, quæ fulserat toto rubore foliorum, pallescens nudatur cadentibus foliis. Admirabar fugiens ævum tam cito auferre eis suum honorem, et rosas exoriendo consenuisse. Ecce etiam, dum hæc dico, coma purpurea floris micantis collapsa est: et humus operta foliis rubicundis rutilat. Una dies incipit tot varias formas, tot exortus, et tot diversas mutationes, et eadem absolvit. O natura, querimur, quod decor florum brevis est, vix ostendisti nostris oculis tua munera, cum statim ea nobis eripis. Ævum rosarum tam longum est, quam unus dies est longus, quippe quas senium contiguum juventæ opprimit in ipsa adolescentia. Quam rosam micans Lucifer mox vidit exorientem, eandem serus Vesper revertens aspexit vetulam. Sed bene

[redacted]

Sed bene, quod paucis licet interitura diebus,
Succedens ævum prorogat ipsa suum.
Collige, virgo, rosas, dum flos novus, et nova pubes,
Et memor esto ævum sic properare tuum.

habet ; quod rosa quanquam peritura intra paucos dies, aliarum rosarum successione producit suam ætatem. Puella carpe rosas, donec earum flos est recens, et juventus nova, ac memineris tuam ætatem sic currere.

NOTÆ

Solis parte ad Orientalem sive progrediendo, sive retrogrediendo transierit, quod diei unius spatio, ut fieri possit, conspici certe ob solaris orbis, et radiorum viciniam non potest.

* *Quam modo nascentem, &c.*] In eandem sententiam Poëta Florus Epigram. 'Venerunt aliquando Rosæ, proh Veris amœni Ingenium! Una dies ostendit spicula florum. Altera pyramidas nodo majore tumentes: Tertia jam calathos, totum lux quarta peregit Floris opus. Pereunt hodie, nisi mane legantur.' Et e nostratibus Malherb. de Pererii filia quam ipsi mors abstulerat: *Mais elle étoit du monde, où les plus belles choses Ont le pire destin: Et Rose-elle a vêcu ce que vivent les Roses, L'espace d'un matin.*

* 49 *Collige, virgo, rosas, &c.*] Ita fere omnes Poëtæ, Mimnermus præsertim, cujus consilia huc spectabant ut juventæ flores decerperentur. Solent illi vitæ spatium cum Rosarum spatio conferre, hincque inferunt lucro apponendam quamlibet diem, ac genio indulgendum. Rectius profecto Lyricus Poëta, dum canit: *Si tel est le destin des hommes Qu'un instant peut les voir finir, Vivons pour l'instant où nous sommes, Et non pour l'instant à venir.* Quæ quidem optimo sensu possunt intelligi.

Monendus Lector hoc quoque Edyllium versibus Gallicis redditum fuisse a Marollio, iisque, judice Pinone, tam elegantibus ut Rosa Marolliana vincat Ausonianam: sic enim ille quodam Epigrammate ad ipsum Interpretem: 'Mane novo Ausonii rosa conspicienda sereno. At tua formosa est, vespere, mane, die.' Cur autem perpetuo formosam dixerit Marollii Rosam certe non intelligo. Etenim si de eodem flore Poëta Latinus dixit: 'Ecce et defluxit rutili coma punica floris Dum loquor; et tellus tecta rubore micat.' Dixit quoque Marollius: *Au moment que j'en parle, on voit que sa perruque Tombe en s'élargissant, qu'elle devient caduque, &c.*

XV. EX GRÆCO, PYTHAGORICUM DE AMBIGUITATE ELIGENDÆ VITÆ. 362

Quod vitæ sectabor iter? si plena tumultu
Sunt fora: si curis domus anxia: si peregrinos

Quam viam vitæ sequar? Si forum refertum est tumultu: si domus est inquieta solicitudinibus: si solicitudo domus comitatur eos qui peregrinantur: si nova

[redacted]

Cura domus sequitur: mercantem si nova semper
Damna manent: cessare vetat si turpis egestas:
Si vexat labor agricolam; mare naufragus horror
Infamat; pœnæque graves in cœlibe vita,
Et gravior cautis custodia vana maritis:

semper dispendia expectanda mercatori: si pauperies inhonesta prohibet otiari: si labor fatigat aratorem; horror naufragiorum reddit æquor infame; et cruciatus molesti sunt in cœlibatu, et inanis custodia uxorum magis molesta

NOTÆ

Ex Græco] Ex hoc, ut videtur, Epigrammate Posidippi, vel Cratetis Cynici, quod extat lib. I. Anthologiæ cap. 13. et apud Stobæum Serm. 96. Ποίην τὶς βιότοιο τάμοι τρίβον; εἰν ἀγορῇ μὲν Νείκεα, καὶ χαλεπαὶ πρήξιες· ἐν δὲ δόμοις Φροντίδες· ἐν δ' ἀγροῖς καμάτων ἅλις· ἐν δὲ θαλάσσῃ Τάρβος· ἐπὶ ξείνης δ', ἢν μὲν ἔχεις τι, δέος. Ἢν δ' ἀπορῇς, ἀνιηρόν. Ἔχεις γάμον; οὐκ ἀμέριμνος Ἔσσεαι· οὐ γαμέεις; ζῇς ἔτ' ἐρημότερον. Τέκνα, πόνοι· πήρωσις, ἄπαις βίος· αἱ νεότητες Ἄφρονες· αἱ πολιαὶ δ' ἔμπαλιν ἀδρανέες. Ἦν ἄρα τοῖν δυοῖν ἑνὸς αἵρεσις· ἢ τὸ γενέσθαι Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον. Id est: 'Quam quis vitæ secet semitam? In foro quidem Lites et molestæ actiones. In ædibus vero Curæ. In agris, laborum satis. In mari autem Terror: in peregrinatione autem, si quidem habeas aliquid, timor. Si egeas, grave est. Habes uxorem? non sine solicitudine Eris. Non ducis? vivis adhuc desolatius. Liberi, labores. Trunca est, orba liberis vita. Juventæ Insipientes: canities e contrario imbecilles. Erat itaque duorum unius electio, aut natum fuisse Nunquam, aut decessisse statim nascentem.' Post quod quidem Epigramma, aliud Metrodori in contrariam sententiam lepidissimum; quod hic subjicere e re fuerit. Est hujusmodi: Ἐκ τοῦ ἐναντίου Πιθανά. Μητροδώρου. Παντοίην βιότοιο τάμοις τρίβον· εἰν ἀγορῇ μὲν Κύδεα, καὶ πινυταὶ πρήξιες· ἐν δὲ δόμοις Ἄμπαυμ'· ἐν δ' ἀγροῖς φύσιος χάρις· ἐν δὲ θαλάσσῃ Κέρδος· ἐπὶ ξείνης, ἢν μὲν ἔχῃς τι, κλέος. Ἢν δ' ἀπορῇς μόνος οἶδας· ἔχεις γάμον; οἶκος ἄριστος Ἔσσεται· οὐ γαμέεις; ζῇς ἔτ' ἐλαφρότερον. Τέκνα, πόθος· ἄφροντις ἄπαις βίος· αἱ νεότητες Ῥωμαλέαι· πολιαὶ δ' ἔμπαλιν εὐσεβέες. Οὐκ ἄρα τῶν δισσῶν ἑνὸς αἵρεσις· ἢ τὸ γενέσθαι Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν. πάντα γὰρ ἐσθλὰ βίου. Id est: 'Omnimodam vitæ insistas semitam. In foro quidem Gloria, et prudentes actiones. In ædibus autem Requies. In agris naturæ oblectatio. In mari vero Lucrum. In peregrinatione, si quidem aliquid habes, gloria: Sin indigeas, solus nosti. Habes nuptias? Domus optima Erit. Non ducis uxorem? Vivis adhuc liberius. Liberi amor sunt. Sine cura est orba vita. Juventus Robusta, senectus rursus pia. Non igitur duorum alterum eligendum est, aut nasci Nunquam, aut mori. Omnia enim in vita bona sunt.'

6 *Infamat*] Proprie. Horat. 'Infames scopulos,' naufragiis scilicet. Sic 'infamis cædibus terra' apud Ovid. Et 'infames frigoribus Alpes' apud Livium.

* 7 *Custodia vana maritis*] Hinc apud D. Hiero. Theophrastus dicebat impudicam servari non posse, pudicam non debere. *Mussipont.*

[redacted]

Sanguineum si Martis opus: si turpia lucra
Fœnoris, et velox inopes usura trucidat?
Omne ævum curæ: cunctis sua displicet ætas.
Sensus abest parvis lactentibus: et puerorum
Dura rudimenta, et juvenum temeraria pubes.
Afflictat fortuna viros per bella, per æquor,
Iras, insidiasque, catenatosque labores
Mutandos semper gravioribus: ipsa senectus
Expectata diu, votisque optata malignis,
Objicit innumeris corpus lacerabile morbis.
Spernimus in commune omnes præsentia: quosdam
Constat nolle Deos fieri. Juturna reclamat,
Quo vitam dedit æternam? cur mortis ademta est

et viris suspiciosis: si ars bellica est cruenta: si quæstus ex usura inhonestus est, et fœnus properans jugulat pauperes? Omnis ætas suam habet solicitudinem: omnibus sua ætas displicet. Infantes lactentes carent sensu, et initia institutionis puerorum molesta sunt, et adolescentia juvenum temeritatis plena est. Fortuna vexat viros bellis, navigatione, simultatibus, insidiis, et laboribus sibi mutuo nexu hærentibus, et commutandis perpetuo in molestiores. Senecta ipsa, dudum expectata, et exoptata votis improbis, exponit corpus laniandum morbis innumerabilibus. Cuncti in universum aspernamur præsentia. Certum est nonnullos nolle evadere Deos. Juturna exclamat: Quorsum mihi tribuit vitam perpetuam? quare ablata

---

14 Legendum potius monet Accursius: *Irasque:* et sic habent edd. Delph. et Toll.—15 Vetus liber: *Multandos.*—18 'Sex hi versus, *Spernimus*, et quin-

NOTÆ

* 11 *Et puerorum Dura rudimenta, &c.*] Hoc respexit Lyricus Poëta modo laudatus in Rosis. Sic autem ex hoc Edyllio quædam exprimit ut ne imitari quidem videatur: quod ex dicendis patebit. *Dans l'enfance toujours des pleurs, Un Pedant porteur de tristesse, Des livres de toutes couleurs, Des châtimens de toute espece.*

14 *Catenatosque labores*] Martial. Epig. 72. lib. I. 'Expectant curæque, catenatique labores.' Id est: connexi, et sese invicem trahentes catenæ instar.

* 15 *Ipsa senectus, &c. Objicit innumeris corpus lacerabile morbis*] Quæ Latinus Poëta per genus delibavit, sigillatim ita persequitur Poëta Gallicus, seu quæ apud Ausonium sparsa sunt, (nam v. 44. habetur, 'Contemnitur orba senectus,') ita connectit: *Vieux, on le méprise, on l'évite. Mauvaise humeur, infirmité, Toux, gravelle, goute, pituite, Assiégent sa caducité.*

19 *Juturna reclamat, &c.*] Lib. XII. Æneid. ubi Juturna Turni soror immortalitate a Jove donata, ob ereptam virginitatem, videns futurum ut frater Turnus ab Ænea cædatur, mortem optat iisdem, quæ hic referuntur, verbis.

Conditio? Sic Caucasea sub rupe Prometheus
Testatur Saturnigenam, nec nomine cessat
Incusare Jovem, data sit quod vita perennis.
Respice et ad cultus animi: sic nempe pudicum
Perdidit Hippolytum non felix cura pudoris.
At contra illecebris maculosam ducere vitam
Quem juvat, aspiciat pœnas, et crimina regum,
Tereos incesti, vel mollis Sardanapali.
Perfidiam vitare monent tria Punica bella:
Sed prohibet servare fidem deleta Saguntos.
Vive, et amicitias semper cole: crimen ob istud

mihi est sors mortalis? Similiter Prometheus in caute Caucasi montis affatur Jovem, Saturno satum, neque desinit accusare eum, compellando ipsum nomine, quod vita perpetua concessa sibi sit ab eo. Considera etiam animi dotes: scilicet infelix studium pudicitiæ ita sustulit e vivis Hippolytum. Contra vero ille qui amat degere vitam contaminatam voluptatibus, attendat flagitia, et supplicia regum, Terei incesti, vel Sardanapali effœminati. Tria bella Punica suadent fugere perfidiam: at Saguntus eversa deterret a servanda fide. Vive et cole semper amicitias:

que sequentes de Juturna et Prometheo, non fuerunt in Lugdunensibus membranis, sed in omnibus aliis nostris exemplaribus.' *Vinetus.*—27 Sic ex optimo

NOTÆ

21 *Caucasea sub rupe Prometheus, &c.*] Vide Prometheum Æschyli. Et vers. 77. Technopægnii, supra.

24 *Ad cultus animi*] Virtutes, qui- [redacted]

ad Medos. Vid. Justin. lib. I. cap. 3. Herodot. et Diodorum.

29 *Tria Punica bella*] Quorum ultimo deleta a Romanis Carthago ci- [redacted]

[redacted]

Pythagoreorum periit schola docta sophorum.
Hoc metuens igitur, nullas cole: crimen ob istud
Timon Palladiis olim lapidatus Athenis.
Dissidet ambiguis semper mens obvia votis.
Nec voluisse homini satis est: optata recusat.
Esse in honore placet: mox pœnitet: et dominari
Ut possit, servire volet: idem auctus honore,
Invidiæ objicitur. Pernox est cura disertis:
Sed rudis ornatu vitæ caret. Esto patronus,
Et defende reos: sed gratia rara clientis.
Esto cliens: gravis imperii persona patroni.
Exercent hunc vota Patrum: mox aspera curis
Solicitudo subit: contemnitur orba senectus,
Et captatoris præda est hæredis egenus.
Vitam parcus agas: avidi lacerabere fama.
Et largitorem gravius censura notabit.

erudita schola Philosophorum Pythagoreorum periit ob id crimen. Itaque hoc timens nullas amicitias exerce: Timon obrutus est quondam ob id crimen apud Athenas Minervæ sacras. Animus sibi perpetuo contrarius incertis cupiditatibus discordat secum. Neque sufficit homini optavisse. Respuit quod optaverat. Juvat eum magistratus genere. Statim pœnitet eum. Atque ut possit imperare, etiam animum appellet ad serviendum. Idem, cum pervenit ad magistratum aliquem, telis patet invidiæ. Qui student eloquentiæ, soliciti sunt noctes atque dies: at ignarus vitam ducit ingloriam. Patronus esto, et defende accusatos: verum clientes raro grati sunt in patronum. Sis cliens: persona patroni tibi videbitur intoleranda ob dominatum quem in te exercebit. Hic præficitur rebus agendis suffragiis Senatorum. Repente cura molesta anxietate penetrat ejus animum. Senex liberis carens spernitur, et qui non habet hæredem fit præda captatoris hæreditatum. Si vivas parce; laborabis avaritiæ infamia. Sed si fias largus, aspergeris nota

Ms. codice Tollius pro *aspice et ad*, quod est in Vulgatis.—42 Vetus liber: *gravis imperiis*.—47 *At l.* legendum monet Græviu: et sic exhibent edd.

NOTÆ

tati suæ a tot amicorum inter se conspiratione metuebant, fuisse interfectum.

34 *Timon*] Μισάνθρωπος ille, seu hominum exosor. Hujus meminit in Alcibiade Plutarchus, et fusius adhuc in Antonio. Lapidationis tamen hujus non meminit.

39 *Pernox*] Per noctem durans. Sic apud Apuleium nostrum 'perdia et pernox.' In vetere Onomastico, Perdius πανημέριος: Pernox παννύχιος.

45 *Captatoris*] De hujusmodi captatoribus senum orborum, inhiantibus alienæ hæreditati, vide Petronii Satyricon, ubi de Crotone; et Horatii Sat. 4. lib. II. quæ incipit: 'Hoc quoque Tiresia.'

Cuncta sibi adversis contraria casibus. Ergo
Optima Graiorum sententia: quippe homini aiunt
Non nasci esse bonum, natum aut cito morte potiri.

graviori. Omnia inter se pugnant casibus contrariis. Itaque placitum Græcorum est sapientissimum: dicunt scilicet, optimum esse homini non nasci, aut propere mori cum natus est.

Delph. et Toll.—48 *Cuncta tibi* Vulg.

NOTÆ

50 *Non nasci esse bonum*] Vide adagium, 'Optimum non nasci,' apud Erasmum.

* *Non nasci esse bonum, natum aut cito morte potiri*] Quam vellem huic clausulæ non adeo similem fuisse Poëtæ Gallici clausulam! *C'étoit bien la peine de naître.* Immo quam vellem similem fuisse, at duntaxat quod ad ultimam partem: 'Bonum cito morte potiri.' Hæc quidem illa vividior, at falsitate quæ subest non parum venustatis carmini detrahitur. Pervulgatum autem illud: *Rien n'est beau que le vrai, le vrai seul est aimable.*

XVI. DE VIRO BONO, Πυθαγορικὴ ἀκρόασις. 363

VIR bonus, et sapiens, qualem vix reperit unum
Millibus e multis hominum consultus Apollo,
Judex ipse sui, totum se explorat ad unguem:
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi
Securus, mundi instar habens, teres, atque rotundus:

Vir probus, et sapiens, cujusmodi Apollo interrogatus ægre invenit unum inter [redacted]

[redacted]

Externæ ne quid labis per lævia sidat.
Ille, dies quam longus erit, sub sidere Cancri,
Quantaque nox tropico se porrigit in Capricorno,
Cogitat, et justo trutinæ se examine pendit,
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus ut coëat, nil ut deliret amussis,

teres et rotundus: ut nihil extraneæ sordis adhæreat in polita superficie. Ille, quantumvis dies erit longus, dum Sol est in signo Cancri, et quantum longa nox sese extendit, cum Sol est in Tropico Capricorni, meditatur et sese ponderat æquo examine libræ, ut nihil sit hiulcum, nihil nimis tumeat, ut angulus committatur equalibus lineis, ut regula nequaquam aberret, ut quodcumque interius est, sit

---

versus glossemata videntur.' *Tollius.*—9 Sic emendavit Heinsius, ex veterrimo

NOTÆ

totus in se collectus ut mundus.

Teres atque rotundus, &c.] Expressa hæc ex Horat. lib. II. Sat. 7. 'Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus: Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent: Responsare cupidinibus, contemnere honores Fortis: et in seipso totus teres atque rotundus, Externi ne quid valeat per læve morari: In quem manca ruit semper fortuna,' &c. Simonides tamen, apud Platonem in Protagora, quadratum vult bonum virum esse; qualem Mercurium, qui ipsa Ratio est, Veteres effingebant.

7 *Sub sidere Cancri*] In primo gradu Cancri, ad quem Sol cum pervenit, diem efficit in hoc Boreali hemisphærio totius anni longissimum.

8 *Tropico se porrigit, &c.*] A τροπὴ reversio fit tropicus adjectivum, quod tamen sæpius absolute ponitur, subintelligendo circulum; ut tropicus Æstivus, tropicus Hybernus, tropicus Cancri, aut Capricorni, scilicet circulus. Hi duo nempe termini sunt, ad quos cum Sol pervenit, reverti incipit Boream aut Austrum versus. Brevissima porro totius anni dies, quæ bruma dicitur, cum contingat Sole in Capricorni principio constituto, longissimam tunc esse noctem necesse est.

9 *Justo trutinæ se examine*] Vetus Scholiastes Persii ad hunc ejus vers. Sat. I. 'Examenve improbum in illa Castiges trutina.' 'Examen,' inquit, 'est lingua, vel linum, quod mediam hastam ad pondera adæquanda tenet. Castigare autem est digito libram percutere, ut temperetur, et præ agitatione post æquum conquiescat. Trutina vero est foramen, intra quod est lingula, de qua examinatio est.' Trutinam tamen pro statera manifeste accipit Vitruvius lib. x. cap. 8. 'Id autem,' inquit, 'ex trutinis, quæ stateræ dicuntur, licet considerare.' Hic porro continua Metaphora est.

10 *Angulus æquis Partibus ut coëat*] Vinetus hæc exponit de angulo recto. Ego malim intelligere de angulo, cujus crura sive lineæ angulum ipsum comprehendentes, sint inter se æquales.

11 *Nil ut deliret amussis*] Delirare est a lira, hoc est, sulco recto deflectere. Amussis regula, aut etiam perpendiculum, quo opera examinare fabri solent.

Sit solidum quodcunque subest: nec inania subtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.
Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longi reputaverit acta diei.
Quæ prætergressus? quid gestum in tempore? quid non?
Cur isti facto decus abfuit; aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit?
Quam melius mutare fuit? miseratus egentem,
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?

solidum: neque ictus impactus digitis prementibus ostendat subesse aliquid vacuum. Non ante claudit oculos in suavem soporem, quam recogitaverit cuncta quæ fecit per solidum diem. Qua in re peccavi? inquit. Quid a me factum est opportune? quid non factum? Quare istud gestum est turpiter; aut illud stulte? Quid a me prætermissum est? Quare consilium hoc fixum animo meo fuit, quod tamen satius erat mutare? Quare, cum misererer inopis, sensi aliquem dolorem molli nimis

codice. Vulg. est, *pensat.*—12 Ex veteri libro Tollius corrigit, *subter.*—14 In antiquo libro, *declinans.*—16 ‘ *Qua, Quo*, et *Quæ* hic habent nostra exemplaria, pro Græco πῆ.’ *Vinet.*

NOTÆ

12 *Nec inania subtus Indicet admotus digitis, &c.*] Ut fieri solet, cum doliorum plenitudo exploratur.

14 *Non prius in dulcem, &c.*] Hæc ex aureis carminibus Pythagoreorum expressa sunt, quæ sic habent: Μήδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι, Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν. Πῇ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; Ἀρξάμενος δ' ἀπὸ πρώτου, ἐπέξιθι· καὶ μετέπειτα Δειλὰ μὲν ἐκπρήξας, ἐπιπλήσσεο· Χρηστὰ δὲ, τέρπου. Id est: ‘ Neque somnum teneris in oculis accipe Prius, quam diurnorum factorum ter unumquodque commemoraveris. Qua sum transgressus? Quid feci? quid mihi, quod oportuit non factum est? Orsus autem a primo recole. Et postea Mala quidem si feceris, dole: bona vero, gaude.’ Juxta morem hunc Horatius lib. I. Sat. 4. ‘ Neque enim, cum lectulus, aut me Porticus excepit, desum mihi: Rectius hoc est; Hoc faciens vivam melius: sic dulcis amicis Occurram. Hoc quidam non belle. Numquid ego illi Imprudens olim faciam simile? Hæc ego mecum Compressis agito labris,’ &c.

16 *Quæ prætergressus*] Magis accedet ad Græcum archetypum πῆ, si legas *qua*, quam *quæ*.

* *Quæ prætergressus, &c.*] Expressum illud e Laërtio in vita Pythagoræ: Πῇ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; Idem consilium apud Ciceronem in Senectute: ‘ Quid quoque die dixeris, audiveris, egeris, vespere commemorandum.’ Hoc factitabat P. Sextius, qui, teste Seneca lib. III. cap. 37. de Ira, consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogabat animum suum, ‘ Quod hodie malum tuum sanasti? Cui vitio obstitisti? Qua parte melior es?’ Idem usurpavit semper in aula, in conjugio, in studio aut negotio Seneca, ut de se ipse refert ibidem.

* 19 *Miseratus egentem, Cur aliquem fracta persensi mente dolorem*] Hæc

[redacted]

Quid volui, quod nolle bonum foret? utile honesto
Cur malus antetuli? num dicto, aut denique vultu
Perstrictus quisquam? cur me natura magis, quam
Disciplina trahit? Sic dicta et facta per omnia
Ingrediens, ortoque a vespere cuncta revolvens,
Offensus pravis, dat palmam et præmia rectis.

animo? Quid cupiri quod bonum esset non cupere? Quare ego pravus anteposui utile honesto? An aliquis a me læsus est verbo, aut etiam significatione aliqua vultus? Quare magis rapior propensione naturæ, quam præceptis Philosophiæ? Sic procedens per cuncta dicta et facta sua, et revocans in mentem omnia ab ortu Luciferi, detestans mala, laudat tantum ea quæ bene gessit.

NOTÆ

juxta Stoicorum placita, qui sapientem suum negabant misereri. Per misericordiam intelligebant animi ægritudinem, ob alienarum miseriarum speciem. Ægritudo autem, inquiebant, in sapientem virum non cadit: non quod inhumani essent, aut suppetias fere nollent; verum omnia quæ, qui miserentur, dolentes facerent, alacri animo ac libentes facere se profitebantur. Errabant scilicet, dum putabant misericordiam esse animi ægritudinem, quæ potius, ut ait Clemens Strom. 4. Θεῖόν τι ἐστὶν, ὡς οἱ Προφῆται λέγουσι. 'Divinum quoddam, sicut Prophetæ loquuntur.'

20 *Cur aliquem fracta persensi mente dolorem*] Quamvis enim Philosophi, utpote viri boni, esset opitulari egenis; Philosophicum tamen non erat, viso alterius malo, mœrorem, miserationem, aliamve animi permotionem sentire: præsertim apud austerioris sectæ Philosophos, quales Pythagorei et Stoici. Hallucinatur hic Vinetus cum exponit: 'Ægre opem tuli, non libenter ut debui.'

25 *Ortoque a vespere*] Vesper et Lucifer idem astrum Veneris sub vario nomine, prout Solem sequitur vel præcedit, ut jam observatum ad Rosas. Hic nomen Vesperi præpostere usurpat Ausonius pro Lucifero, nomen Vespertinum sideris pro Matutino.

XVII. Ναὶ καὶ Οὐ Πυθαγορικόν. 364

Est, et Non, cuncti monosyllaba nota frequentant.

Omnes usurpant in sermone pervulgatas voces unius syllabæ Est et Non. His

NOTÆ

Ναὶ καὶ Οὐ] Latine vertas, etiam, et non. Cic. IV. Academ. 104. 'Ut sequens probabilitatem ubicumque hæc aut occurrat, aut deficiat, aut etiam, aut non respondere possit.'

Πυθαγορικόν] Quare Pythagoricum potius, quam Stoicum, Academicum, aut alicujus alius sectæ? Innuit fortasse has tantum duas voces Pythagoricis per quinquennale illud silentium pronuntiare licuisse.

His demtis, nihil est, hominum quod sermo volutet.
Omnia in his, et ab his sunt omnia, sive negotî,
Sive otî quicquam est, seu turbæ, sive quietis.
Alterutro pariter nonnunquam, sæpe seorsis
Obsistunt studiis: ut mores, ingeniumque
Vel faciles, vel difficiles contentio nacta est.
Si consentitur, mora nulla intervenit, Est, Est.
Sin controversum, dissensio subjiciet, Non.
Hinc fora dissultant clamoribus: hinc furiosi
Jurgia sunt Circi: cuneati hinc læta Theatri
Seditio: et tales agitat quoque Curia lites.
Conjugia, et nati cum patribus, ista quietis
Verba serunt studiis, salva pietate loquentes.
Hinc etiam placitis schola consona disciplinis

sublatis nihil est quod oratio humana verset. Cuncta continentur in iis, et cuncta constant ex iis, sive aliquid est negotii, sive aliquid otii, sive tumultus, sive quietis. Aliquando utuntur simul altero horum, sæpe rapti in contraria studia contendunt ambobus: prout disputatio incidit inter homines indolis, et morum facilium, vel difficilium. Si sentiunt idem, statim interponitur, Est, Est. Si vero dissentiunt, contentio reponet, Non. His vocibus fit, ut fora resonent dissonis vociferationibus. Ab his vocibus procedunt rixæ Circi insani. Ab his hilaris tumultus Theatri in cuneos divisi. Et similes etiam controversiæ jactantur in Senatu. Conjuges inter se, et filii cum parentibus, admiscent illas voces affectibus tranquillis, nihil dicentes contra officium pietatis. Iis quoque vocibus schola concordans in eadem asserenda

6 *Studiis* hic legere malit Vinetus, quam *dubiis*, ut Vulg.—7 Vetus liber: [redacted]

[redacted]

Dogmaticas agitat placido certamine lites.
Hinc omnis certat dialectica turba sophorum.
Est lux: estne dies ergo? Non convenit istuc.
Nam facibus multis, aut fulguribus quotiens lux
Est nocturna homini, non est lux ista diei.
Est et Non igitur, quotiens lucem esse fatendum est,
Sed non esse diem: mille hinc certamina surgunt.
Hinc pauci, multi quoque talia commeditantes
Murmure concluso rabiosa silentia rodunt.
Qualis vita hominum, duo quam monosyllaba versant!

doctrina ventilat leni contentione controversias super placitis ortas. His vocibus tota multitudo dialecticorum sophistarum disputat. Exempli causa, lux est: an igitur est dies? Hoc non cohæret. Nam quoties lucet homini per noctem propter multas faces, vel fulgura, lumen illud non est lumen diei. Ergo utendum est vocibus, Est, et Non, quotiescunque concedendum est lucere, sed non diem esse. Mille inde contentiones oriuntur. Hinc nonnulli, multi etiam cogitantes similia, compresso interius murmure arrodunt rabide labra, tacendo. O qualis est vita hominum, quam duæ voces monosyllabæ agitant!

NOTÆ

16 *Dogmaticas .... lites*] De dogmatis, hoc est, placitis ortas. Quæ enim Græci δόγματα, placita seu decreta Latini dixerunt.

18 *Est lux, &c.*] Affert pro exemplo dialecticarum altercationum tritum sophisma: 'Si lux est, dies est. Atqui noctu accensis lampadibus lux est: ergo noctu dies est.'

23 *Talia commeditantes, &c.*] Expressa hæc videntur ex illis Persii Sat. 3. 'Murmura cum secum, et rabiosa silentia rodunt, Atque exporrecto trutinantur verba labello, Ægroti veteris meditantes somnia.'

* 25 *Qualis vita hominum, duo quam monosyllaba versant*] Frigidam certe clausulam, et quæ falsi aliquid continet: an ideo contemtui habenda hominum vita, quod duo eam versant monosyllaba! Hæc quidem monosyllaba prout efferuntur, aut verum quid, aut falsum quid enuntiant, et eo sensu res tum divinas tum humanas complectuntur. De illis utinam inter se homines nunquam contenderent, et veritas quæ una est minime scinderetur. De his vero eosdem contendere veri indagandi causa, et salva amicitia, non modo non a ratione alienum est, verum etiam rationi maxime consentaneum. Rectius Poëta ipse Epist. ult. vers. 43. et seqq. 'Est respondebat, vel non. O certa loquendi Regula! nam brevius nihil est nec plenius istis: Quæ firmata probant, aut infirmata relidunt.'

XVIII. DE ÆTATIBUS ANIMALIUM, HESIODION. 365

Ter binos deciesque novem super exit in annos
Justa senescentum quos implet vita virorum.
Hos novies superat vivendo garrula Cornix:
Et quater egreditur cornicis sæcula Cervus.
Alipedem cervum ter vincit Corvus: et illum
Multiplicat novies Phœnix, reparabilis ales.

Plena ætas hominum ad senectutem pervenientium extenditur ad sex et insuper nonaginta annos quos complet. Cornix loquax vincit eos novies vivacitate: et Cervus excedit quater ætatem cornicis. Corvus ter superat cervum pernicem; et Phœnix ex seipso renascens multiplicat ejus ætatem novies. Quam quidem avem

* * * * * * * * * * * *

De ætatibus Hesiodion fuit titulus in membranaceo codice.—5 *At* pro *Et*

NOTÆ

Hesiodion] Ἡσιόδειον, petitum ex Hesiodo poëma; cujus versus hi extant apud Plutarchum lib. de Oraculorum defectu: Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα Κορώνη Ἀνδρῶν ἡβώντων vel, ut Demetrius apud eundem Plutarchum legi quoque meminit, et legisse Ausonius noster videtur: γηρώντων· Ἔλαφος δέ τε τετρακόρωνος, Τρεῖς δ' Ἐλάφους ὁ Κόραξ γηράσκεται· αὐτὰρ ὁ Φοῖνιξ Ἐννέα τοὺς Κόρακας· δέκα

* 1 *Ter binos, &c.*] Aliter Solon, quin et ipse Propheta regius, qui septuaginta annis hominum vitæ spatium definit.

3 *Hos novies superat, &c.*] Cornix sic vivat novies nonaginta sex annos, hoc est, 864.

4 *Et quater, &c.*] Sic Cervus vivat 3456 annos.

5 *Alipedem*] Quasi qui alatis sit pedibus. 'Æripedem' dixit in Gripho

[redacted]

Quam vos perpetuo decies prævertitis ævo,
Nymphæ Hamadryades: quarum longissima vita est.
Hi cohibent fines vivacia fata animantum.
Cetera secreti novit Deus arbiter ævi
Tempora: quæ Stilbon volvat, quæ sæcula Phænon,
Quos Pyrois habeat, quos Jupiter igne benigno

vos, o Nymphæ Hamadryades, quarum ætas est longissima, superatis decies tota ejus ætate.

Hi sunt termini intra quos vitæ animalibus fato concessæ clauduntur. Deus dispensator arcanorum temporum cognoscit ceteras ætates: puta, per quæ sæcula Mercurii stella circumagatur, per quæ Saturnus, quos Mars gyros habeat, et quos

habent quædam exemplaria.—9 *Hæc cohibet finis* Vulg.—17 Hi septem versus

NOTÆ.

et Lactantius millenos. Alii, ut est apud Tacitum, 1461. Chæremon Ægyptius, referente Tzetze, sexennium et septies millenos. Poëta noster secum ipse dissidet, quippe qui Epistola XX. mille tantum annos Phœnici tribuat, cum eidem hic 93312. assignet. Ceterum de ave illa fabulosa vide quæ annotavimus ad Griphum ternarii numeri.

6 *Reparabilis ales*] Claudian. de Phœnice: 'Hic neque concepto fœtu, nec semine surgit: Sed pater est, prolesque sui: nulloque creante, Emeritos artus fœcunda morte reformat, Et petit alternam totidem per funera vitam.'

7 *Decies prævertitis ævo, Nymphæ Hamadryades*] Sic Nymphæ illæ viverent 933120 annos, ex egregia illa Hesiodi supputatione, quam tamen Cleombrotus apud Plutarchum, loco supra laudato de Oraculorum defectu, sic explicat, ut γενεὰν hominis, cujusmodi novem Cornici Hesiodus tribuit, unum tantum annum esse putet, sicque Cornicis vita fiat annorum 9, Cervi 36, Corvi 168, Phœnicis 972, et Nympharum 9720 annorum.

8 *Nymphæ Hamadryades*] More Græcorum poëtarum extremam diphthongum vocis 'Nymphæ' non elidit, sed contrahit ante vocalem sequentem.

11 *Stilbon*] A στίλβω luceo, corusco, est στίλβων, quo nomine appellari Mercurii stellam testes sunt Aristoteles lib. de Mundo, Cicero lib. II. de Natura Deorum, Plutarchus, lib. II. de placitis Philosophorum. Apud eosdem Phaëton, Φαέθων, est Sol, Phænon, Φαίνων, est Saturni astrum, utrumque a φάω luceo, et Pyrois, Πυρόεις, Mars, a πῦρ ignis.

Quæ sæcula Phænon] Sic optime Vinetus restituit, pro *Phæton* quod legebatur in quibusdam. Cum infra de Titane seu Sole loquatur, qui Phaëton est, verosimilius multo est hic de Phænone seu Saturno loqui eum, (de quo nulla alia in toto hoc poëmate mentio,) quam bis Solem commemorare.

12 *Quos Jupiter igne benigno*] Quo Saturni inclementiam retundere etiam creditus est. Horat. lib. Carm. II. Ode 17. ad Mæcenatem. 'Te Jovis impio Tutela Saturno refulgens Eripuit, volucrisque fati Tardavit alas,' &c.

Circuitus: quali properet Venus alma recursu:
Qui Phœben, quanti maneant Titana labores:
Donec consumto, Magnus qui dicitur, anno,
Rursus in antiquum veniant vaga sidera cursum;
Qualia dispositi steterant ab origine mundi.

Jupiter cum suo astro benefico: cujusmodi circuitu alma Venus currat; quanti labores sint tolerandi Lunæ, et Soli. Quoad usque peracto illo anno, qui appellatur Magnus, stellæ errantes redeant iterum in pristinum suum cursum: quales fuerant ab initio constituti orbis.

in Lugdunensibus membranis erant, qui non legebantur in codicibus impressis ante editas Mariangeli diatribas.

NOTÆ

14 *Quanti maneant Titana labores*] An Eclipses? ut apud Virg. 'Defectus Solis varios, Lunæque labores,' an labores circumversionis assiduæ? in posterius hoc magis propendeo. Circuitus porro horum omnium Planetarum his vulgo temporibus definiuntur: Lunæ quidem viginti septem diebus, et horis circiter octo; Solis 365. diebus et horis quinque, aut plus paulo, quod anni spatium est; quo quidem fere spatio Venus et Mercurius Zodiacum una cum Sole percurrunt: Mars vero duobus fere annis; Jupiter annis circiter duodecim; Sa- [redacted]

profecti semel sunt. Quod non nisi longissimo annorum circuitu fieri potest. Atque periodus illa, seu circuitus annorum, 'Annus Magnus' dicitur.

15 *Consumto, Magnus qui dicitur, anno*] De hoc Cicero lib. II. de Natura Deorum supra laudato: 'Quarum' vagantium stellarum 'ex disparibus motionibus Magnum Annum Mathematici nominaverunt, qui tum efficiatur, cum Solis et Lunæ, et quinque errantium ad eandem inter se comparationem, confectis omnium spatiis, est facta conversio. Quæ, [redacted]

Proxima Lernæam ferro et face contudit hydram.
Mox Erymantheum vis tertia perculit aprum.
Æripedis quarto tulit aurea cornua cervi.
Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto.

hydram Lernæam ferro et flamma. Deinde tertius labor interfecit aprum Erymantheum. Quarto labore reportavit cornua aurata cervi æripedis. Quinto prælio fu-

NOTÆ

* Græci Herculem quasi Ἥρας κλέος dictum volunt. Ejusdem labores apud Virg. *Æneid.* VIII. Juvenum Chorus et Senum canit. Si quis Chemia delectatur, adeat Tollium in fortuitis p. 45. Hanc de Hercule fabellam, totamque fabularem historiam, ad Chemiam pertinere ibi asseritur. 'Angues duo,' duo sunt spiritus volatiles, Acidus et Alcalicus, quos Hercules fixos reddidit, hoc enim Chemicis est, 'interficere' et 'mori.' 'Œchalia' est domus salis οἶκος ἁλὸς: unde Herculi in vetere nummo ara, cui ignis in salini formam impositus. 'Hylæus' et 'Pholus' spiritus impuri sunt, ac terrestres et impetuosi. Talibus piget immorari, quæ vel eo confutantur argumento, quod fabella de Hercule non magis ad Chemiam, quam ad quamlibet aliam artem seu disciplinam referri potuit.

1 *Prima Cleonæi, &c.*] Præter hæc Monosticha, extant in Virgilianis Catalectis et hæc alia, Virgilio etiam, ut reor, perperam attributa: 'Compressit Nemeæ primum virtute leonem. Extincta est anguis quæ pullulat hydra secundo. Tertius evictus sus est Erymanthius ingens. Cornibus auratis cervum necat ordine quarto. Dejicit horrisono quinto Stymphalidas arcu. Abstulit Hippolytæ sexto sua vincula vinctæ. Septimus Augiæ stabulum labor egerit undis. Octavo domuit magno luctamine taurum. Tum Diomedis equos, nono, cum rege peremit. Geryonem, decimo, triplici cum corpore vicit. Undecimo, abstractus vidit nova Cerberus astra. Postremo, Hesperidum victor tulit aurea mala.' Vide Senecæ Herculem Œtæum act. I. sc. 1.

Prima ærumna] Primus labor Herculi imperatus ab Eurystheo Mycænarum rege, Junonis instinctu.

Cleonæi . . . leonis] Leonis in Nemea sylva interfecti, juxta Achaiæ oppidum Cleonas, situm in via quæ ab Argis Corinthum ducit.

2 *Lernæam hydram*] Lernæ lacus monstrum multiceps, quod, cum ferro non posset, abscissis capitibus repullulantibus, igne demum vicit. Unde Seneca: 'Quid sæva Lernæ monstra, numerosum malum, Non igne demum vicit, ac docuit mori?'

3 *Erymantheum*] Illum scilicet, ut ait Seneca, 'Solitum densis hispidum Erymanthi jugis Arcadica petere nemora Mænalium suem.'

4 *Æripedis*] De hac voce jam supra in ætatibus animalium, et in Gripho ternarii numeri.

Tulit aurea cornua cervi] Cum eum cursu, aut potius jaculo, assecutus esset in Mænalo Arcadiæ monte. 'Cervam' dixit Virg. *Æneid.* VI. 'Fixerit æripedem cervam licet.'

5 *Stymphalidas pepulit volucres*] Aves in Stymphalo Arcadiæ lacu immorantes, tantæ magnitudinis, ut Solis radios obumbrarent volantes: quæ aves Arcadiam vastabant.

Threiciam sexto spoliavit Amazona baltheo.
Septima in Augeis stabulis impensa laboris.
Octava expulso numeratur adorea tauro.
In Diomedeis victoria nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.
Undecimo mala Hesperidum destricta triumpho.
Cerberus extremi suprema est meta laboris.

gavit aves Stymphalidas. Sexto detraxit peltam Amazoni Thraciæ. Septimus labor collocatus ab eo est in stabulis Augeæ purgandis. Octava victoria ejus numeratur, quum retulit fugato tauro. Nona ejus victoria fuit in equis Diomedis. Hispania tribuit ei decimam victoriam, interfecto Geryone. Undecimo triumpho carpsit mala aurea Hesperidum. Cerberus eductus ex Inferis est ultimus terminus novissimi ejus laboris.

NOTÆ

6 *Threiciam . . . Amazona*] Hippolyten Amazonum, juxta Thraciam et Scythas habitantium, reginam, quam Theseo uxorem dedit, ex qua suscepit Hippolytum.

7 *Augeis*] Augeæ Elidis regis.

Stabulis] Ter mille boum capacibus, et triginta annorum fimo repletis, quæ Hercules mercede pacta purgavit, immisso Alpheo fluvio.

8 *Adorea*] Ab ador, quod farris genus. Festus: 'Adoream laudem sive gloriam dicebant, quia gloriosum cum putabant esse, qui farris copia abundaret.'

quos ille advenarum carnibus pascebat. Ipsum autem Hercules interfecit, et equis illis epulandum apposuit.

10 *Geryone*] Tricorpore illo rege Balearidum insularum, vel, ut Solinus ait, Erythrææ insulæ, quam Pœni lingua sua *Gadir*, id est, sepem, appellarunt, in capite Bæticæ sitæ; cujus Geryonis interfecti boves abduxit Hercules.

Iberia] Hispania, ab Ibero amne.

11 *Mala Hesperidum*] Aurea mala filiarum Hesperi fratris Atlantis, quæ mala pervigil draco custodiebat.

[redacted]

[redacted]

MELPOMENE tragico proclamat mœsta boatu.
Comica lascivo gaudet sermone THALIA.

*tristis exclamat ululatu tragico. * Thalia comica delectatur oratione molli. Euterpe*

NOTÆ

* Etsi de Musarum numero inter scriptores non convenit; usu tamen receptum, atque Homeri auctoritate confirmatum est, novem omnino extitisse. Μοῦσαι δ' ἐννέα πᾶσαι. Odyss. Ω. Hesiodus quoque novem recenset, ac iisdem nominibus appellat quæ etiamnum usurpamus: Ἐννέα θυγατέρες μεγάλου Διὸς ἐκγεγαυῖαι, Κλειώ τ', Εὐτέρπη τε, Θάλειά τε, Μελπομένη τε, Τερψιχόρη τ', Ἐρατώ τε, Πολύμνιά τ', Οὐρανίη τε, Καλλιόπη τ', &c. Theog. vers. 76. et seqq. De earum inventis nihil apud veteres illos Poëtas, nisi quod Hesiodus tradit iis carmina curæ esse, ἧσιν ἀοιδὴ Μέμβλεται. vs. 60. eas pedibus tripudiare, ἐνεῤῥώσαντο δὲ ποσσίν. vs. 8. Mores Deorum celebrare, ἤθεα κεδνὰ Ἀθανάτων κλείουσιν. vs. 67. Præsentia, futura, ac præterita concinere, τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα φωνῇ ὁμηρεῦσαι. vs. 38. Calliopen omnium præstantissimam Reges comitari: Προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων, Ἡ μὲν γὰρ βασιλεῦσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ. Nec illis quidem temporibus suæ cuique partes assignatæ fuerant: unde Latinis nullo ferme delectu habito invocatæ. Hinc et emersit ea opinionum varietas, ut unum illud extra controversiam positum videam, ingenuis artibus præesse Musas; quæ cuique arti, lis etiamnum sit sub judice. Si quid tamen ea de re, quæ videtur ex Poëtarum arbitrio pependisse, statutum quis vellet, deberet is, mea quidem sententia, quod Musarum attinet Chorum, nummis Pomponiæ gentis definire, quos ea propter hic exhibere placuit e Schedis Morellianis, et cum Ausonii Edyllio conferre.

1 *Clio gesta canens*] Referuntur et hi versus in Catalectis Virgilii. Alios ejusdem argumenti refert Tollius ex scripto papyraceo, Juvenalis satiras continente, margini ascriptos a quodam Petro Joannis de Gonda anno 1478. ineptos quidem illos, et contra prosodiæ leges peccante extremo. Musas porro finxerunt Jovis esse et Mnemosynes, id est, Memoriæ, filias, quarum nomina sic interpretantur. Clio ἀπὸ τοῦ κλέους, a gloria, quam affert iis quorum gesta canit. Melpomene a μέλπομαι modulor, Thalia a θάλλειν virere, germinare, florere. Euterpe, et Terpsichore a τέρπω oblecto. Erato ἀπὸ τοῦ Ἔρωτος ab Amore. Calliope, a Καλὸς pulcher, et ὄψ, vox, quod pulchram habeat vocem. Uranie Cœlestis, ab οὐρανὸς Cœlum. Polyhymnia a πολὺς et ὕμνος, a multitudine cantus, vel Polymnia, Πολύμνεια, a magnitudine memoriæ: μνεία enim memoria est.

* *Clio gesta canens transactis tempora reddit*] Nonnullis, quos inter Carolus *Patin*, Clio est quæ citharam tenet. Eam suspicor esse, cui volumen in manibus convolutum, quæque innititur columna, ut mansura in ævum significentur, quæ Clio Historiæ parens literis mandaverit.

* 2 *Melpomene tragico proclamat mœsta boatu*] Scriptor modo allegatus vult eam esse cui pro symbolo Barbiton: quod cum pluribus, quam Cithara, fidibus instructum esset, Polymniæ videtur magis competere. Igitur Melpomenen esse arbitror quæ citharam tenet, ac fingitur Ausonio Tragœdiam invenisse, forte quod in ejusdem Choris Cithara adhiberi solita; etsi Melpomenen Lyricæ poësi præesse lubentius censeo.

Dulciloquos calamos EUTERPE flatibus urget.
TERPSICHORE affectus citharis movet, imperat, auget.
Plectra gerens ERATO, saltat pede, carmine, vultu.
Carmina CALLIOPE libris heroica mandat.
URANIE cœli motus scrutatur, et astra.
Signat cuncta manu, loquitur POLYHYMNIA gestu.

inflat spiritu fistulas suave sonantes. Terpsichore citharis motus animi ciet, moderatur, et incitat. Erato tenens plectrum, componit ad numeros pedes, versus, et os. Calliope committit chartis poëmata Heroica. Urania investigat motus cœli, et sidera. Polyhymnia exprimit omnia manu, et loquitur gestu. Vigor Phœbeæ


NOTÆ

* 3 *Comica lascivo gaudet sermone Thalia*] Duæ in marmoribus nummisque exhibentur larvam in manu habentes, nisi earum altera bifrons est, et clava innititur. Alterutram Thaliam esse quæ comœdiam invenerit, apud omnes in confesso est. Utra sit Thalia, in nummis tertio et quarto subjectis, controvertitur. Aliis Thalia est, quæ clavæ cernitur innixa; propterea quod, ut aiunt, ex Aristophanis Βατράχοις intelligitur comœdia Herculi dicata. Alii Thaliam censent esse quæ personam tenet duntaxat. Quibus accedo; melius enim clava Tragœdiam innuit, [redacted]

sexto denario exhibetur, plectrum tenens, Deorumque Hymnos reperisse fertur. Consentit cum Ausonio Poëta Græcus: Ὕμνους ἀθανάτων Ἐρατὼ πολυτερπέας εὗρεν.

* 7 *Carmina Calliope libris heroica mandat*] Ea videtur esse, quæ tenet citharæ genus columna innixum, ut pateat Heroum laudes quos celebrat ad seros nepotes transmittendas. Hesiodus versu jam laudato mihi suffragatur: Βασιλεῦσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ. Quin et Poëta Græcus: Καλλιόπη σοφίην ἡρωΐδος εὗρεν ἀοιδῆς.

* 8 *Uranie cœli motus scrutatur et astra*] Cum Ausonio conveniunt mar- [redacted]




Mentis Apollineæ vis has movet undique Musas.
In medio residens complectitur omnia Phœbus.

mentis agitat undique has Musas. Apollo autem sedens in medio continet in se cuncta munia earum.

NOTÆ

Τέρψιας ὀρχηθμοῖο Πολύμνια πάνσοφος εὗρεν. 'Harmoniam numeris saltusque Polymnia junxit.'



AUSONII

ECLOGARIUM.

DE RATIONE LIBRÆ. 368

MIRARIS quicumque manere ingentia mundi
Corpora, sublimi cœli circumdata gyro,
Et tantæ nullam moli intercedere labem;
Accipe, quod mirere magis. Tenuissima tantis

Quisquis es qui admiraris magna corpora orbis perstare cincta alto vertice cœli, et nihil labascere in tanta massa; audi aliquid magis admirandum. Tanta cor-

NOTÆ

Eclogarium] Collectio quædam opusculorum sequentium, 'de ratione Libræ,' 'de ratione puerperii maturi,' &c. quæ in Vineti editione, absque [redacted]

plumbi aut gravis alicujus alius corporis ope, exploramus an areæ, parietesve, aut arrectaria recta sint, an propendeant in partem aliquam, [redacted]

Principia, et nostros non admittentia visus,
Parvarum serie constant connexa atomorum:
Sed solidum in parvis, nullique secabile segmen.
Unde vigor viresque manent, æternaque rerum
Mobilitas: nulloque unquam superabilis ævo.
Divinis humana licet componere: sic est
As solidus, quoniam bis sex de partibus æquis
Constat: et in minimis paribus tamen una manet vis.
Nam si quid numero minuatur, summa vacillat;
Convulsæque ruunt labefacto corpore partes.
Ut medium si quis vellat de fornice saxum,

pora habent primordia minutissima, et fugientia nostros obtutus, quæ conflata sunt ex congerie tenuium atomorum. Sed soliditas inest tenuibus illis, et parva illa segmenta materiæ secari iterum a nemine possunt. Atque hinc fit ut robur et firmitas maneat in rebus, et perpetua agilitas, quæ vinci nullo temporis spatio possit. Fas est conferre humana divinis. Sic as est solidus, quia conflatus est ex duodecim partibus æqualibus: et tamen eadem virtus inest in parvis illis æqualibus partibus. Si enim demalur aliquid de numero, totum labascit, et partes divulsæ cadunt toto labefactato. Quemadmodum si aliquis revellat de testudine lapidem

8 '*Unde vires virgoque manent*] Hoc sic quidam emendabat: *Unde viri virgoque*: sed malim: *Unde vigor viresque*, hoc sensu: ex eo, quod hæc minuta corpuscula sunt solida et individua, vigor illis ineat et vis.' *Vinetus.*—23

NOTÆ

6 *Parvarum serie . . . atomorum*] Hæc ex Epicuri post Leucippum et Democritum doctrina, quam libris sex Latinis versibus exposuit Lucretius. Atomos illas insecabilia corpora recte vertas: est enim ἄτομος qui secari nequit, a τέμνω scindo, seco.

7 *Solidum in parvis*] Quia nullum habent in se corpuscula illa vacuum: unde fit ut dividi non possint, quanquam variæ designari in iis possint partes.

* *Sed solidum, &c. nullique secabile, &c.*] Tullio similiter Fin. I. 6. 'Atomi sunt corpora individua propter soliditatem.' De atomis, in quibus rerum principia statuebat Epicurus, Virgil. Eclog. VI. 'Namque canebat uti magnum per inane coacta Semina terrarumque animæque marisque fuissent.'

8 *Æternaque rerum Mobilitas, &c.*] Æternas quippe atomos ingenerabiles ipsas et incorruptibiles per inane volitare, existimarunt Epicurei; at ex iis generari omnia, prout illæ motu suo in varias moleculas congregarentur; corrumpi vero, prout eodem motu a se invicem divellerentur.

11 *Bis sex de partibus*] Duodecim unciis, ex quibus as seu libra conflatur. Alterum enim promiscue pro altero hic usurpat.

12 *Una manet vis*] Constituendi totius assis, qui desinit esse as, si desit vel minima uncia.

Incumbunt cui cuncta, simul devexa sequentur
Cetera, communemque trahent a vertice lapsum.
Non aliter libra est: si defuit uncia, totus
Non erit as: nomenque deunx jam cassus habebit.
Nec dextans retinet nomen, sextante remoto.
Et dodrans, quadrante carens, auctore carebit.
Divulsusque triens prohibet persistere bessem.
Jam quincunx tibi nullus erit, si prima revellas.
Et semis, cui semis erit pereuntibus assis
Partibus: et cujus libræ pars septima, septunx?

medium, in quem omnes alii recumbunt, reliqui lapides inclinati una sequentur, et simul ducent ruinam a culmine. Haud secus libra se habet. Si uncia defecit, non erit as solidus: et quod supererit, tunc inaniter appellabitur deunx. Neque dextans servat nomen suum, cum duæ unciæ ablatæ sunt. Et dodrans privatus quadrante, privabitur auctore sui nominis. Et triens abstractus vetat bessem permanere. Jam vero nullum habebis quincuncem, si auferas partes priores. Et a quo semis vocabitur semis, sublatis reliquis partibus assis: et septunx solus cujusnam libræ erit

Mavult Gronovius: *septena revellas.*—24 *Cui semis, tot pereuntibus* conjicit Gronovius.—25 Conjicit hic quoque Gronovius: *et si cui pars una et tertia*

NOTÆ

19 *Nomenque deunx jam cassus habebit, &c.*] His quæ sequuntur nihil aliud significare vult, nisi sublatis aliquot assis partibus, seu unciis, reliquas nomen quod eis vulgo tribuitur ad ostendendum quota assis pars sint, puta deunx, dodrans, bessis, &c. [redacted]

que sextam partem assis significat, hoc est, duas uncias.

21 *Quadrante carens*] Sic emendat Gronovius. Vulgo legitur *quadrante satus*, quod sensum habet aliquem, sed qui nihil ad hunc locum facit.

Auctore carebit] Quadrante scilicet, [redacted]

Libra igitur, totum si nulla in parte vacillet.
Ponderis, et numeri, morumque, operumque, et aquarum
Libra: nec est modulus, quem non hoc nomine signes.
Telluris, medio quæ pendet in aëre, libra est,
Et Solis Lunæque vias sua libra coërcet.
Libra die somnique pares determinat horas.
Libra Caledonios sine littore continet æstus.
Tu quoque certa mane morum mihi libra meorum.

partes septem? Libra ergo erit, si totus as non labefactetur in parte ulla. Libra spectat ad pondus, numerum, mores, opera, et aquas: neque ulla est mensura, quam non possis appellare hoc nomine. Terra quæ sustinetur in medio aëre, habet suam libram. Libra quoque propria regit vias Solis et Lunæ. Libra facit æquales horas diei, et noctis. Libra coërcet intumescentiam Oceani Caledonii absque ope littoris. Tu etiam, o libra, sis mihi semper determinata regula meorum morum.

septunx.—31 Veteres membranæ habuerunt: *Libra dii*, pro *diei*.

NOTÆ

25 *Cujus libræ pars septima, septunx*] 'Pars septima' durius paulo hic ponitur, pro 'septem partes.' Septunx quippe septem continet uncias. Mutare tentat Gronovius, sed frustra. Durum quidem, at in hoc poëta ferendum; cujus exemplum in Martiali reperias, lib. VIII. Epig. 15. 'Dat populus, dat gratus eques, dat thura senatus, Et litant Latiæ tertia dona Tribus.' Ubi 'tertia dona,' terna seu tria intelligenda sunt. Est enim quædam recapitulatio donorum populi, Equitum, et Senatus.

27 *Et aquarum Libra*] Instrumentum ad fastigium seu inclinationem locorum deprebendendam, ad aquæductus construendos. Vide Vitruvium lib. VIII. cap. 6. ubi tria hujusmodi instrumenta commemorat, Dioptram, Libram aquariam, et Chorobaten.

29 *Telluris, medio, &c.*] Respexit ad hos Ovidii versus lib. I. Metamorph. 'Nec circumfuso pendebat in aëre tellus, Ponderibus librata suis.'

30 *Sua libra*] Sua determinata semita, Zodiacus scilicet circulus.

31 *Libra die, &c.*] Virgilianum est in Georgicis: 'Libra die somnique pares ubi fecerit horas.' 'Die' antiquum pro Diei. Hic legitur in plerisque *Dii* contractum pro Diei. Libram autem hic intellige signum Zodiaci, in cujus primo puncto cum Sol fuerit, Æquinoctium est Autumnale; cum vernum sit in primo puncto Arietis.

32 *Libra Caledonios*] Libramentum aquæ.

Libra Caledonios sine littore, &c.] A Caledonia Sylva Britanniæ insulæ, Caledonios æstus dixit Oceani Britannici. Respexit procuIdubio ad hunc Plinii locum lib. II. cap. 67. 'Octogenis cubitis supra Britanniam intumescere æstus Pythias Massiliensis auctor est. Interiora autem maria terris clauduntur ut portu.' E littore quidem mare spectantibus tumere in altum videtur, sed littoribus opus esse ad continendum Oceanum satis docent tot variis temporibus submersæ regiones, et summa cura subinde reficiendæ in Hollandia littorum moles.

DE RATIONE PUERPERII MATURI. 369

Omnia, quæ vario rerum metimur in actu,
Astrorum dominatus agit: terrenaque tantum
Membra homini: e superis fortuna et spiritus auris,
Septeno moderanda choro: sed præsidet ollis
Sortitus regimen nitidæ Sol aureus æthræ.
Nec sola in nobis moderatur tempora vitæ,
Dum breve soliciti spatium producimus ævi:
Creditur occultosque satus, et tempora vitæ
Materno ducenda utero, formare videndo,
Et nondum exortæ leges componere vitæ.
Namque ubi conceptus genitali insederit arvo,

Imperium siderum regit cuncta, quæ observamus in diversis rebus agendis. Et homo habet solum artus corporis a terra. Fortuna et anima veniunt ipsi ab æthere summo, dirigendæ a cœtu septem planetarum. Verum Sol cui obtigit moderamen clari ætheris præest illis. Neque regit tantum in nobis horas vitæ nostræ, donec degimus curta tempora vitæ anxiæ, sed existimatur etiam fingere aspectu suo secretas generationes, et spatium vitæ quod degendum est in ventre matris, et efficere fata vitæ nondum editæ in lucem. Etenim cum fœtus adhæserit arvo genitali, cer-

6 Sic reposuit Tollius. Vid. inf.—8 *Satos* Vulg.—11 '*Genitali infuderit alvo*] Possunt hæc ferri. Videtur tamen Ausonius scripsisse: *genitali infuderit arvo*.' Grævius. Vid. Not. Var. 'Legit Grævius *infuderit*: qua auctoritate nescio, (nam Vinetus aliique legunt *insederit*,) certe nullo sensu, nisi

NOTÆ

[redacted]

Haud dubium, Solem cuicumque insistere signo.
Qui cum vicini stationem ceperit astri,

tum est solem esse in aliquo signo Zodiaci. Qui cum pervenerit ad proximum signum, nullam lucem immittit in locum conceptionis sibi proximum.


NOTÆ

nino legendum, non *alvo*. Respexit ad illud Virgilii Georg. 'Nimio ne luxu obtusior usus Sit genitali arvo.' 'Arvum genitale' Metaphorice pro ipsa vulva, in qua seruntur animalia, seu in arvo fruges. Hoc non intelligentes librarii, pro *arvo* reposuerunt *alvo*.

12 *Haud dubium, &c. cuicumque*] In aliquo signo Zodiaci, quodcumque tandem illud sit. Expressit illud Censorini: 'Quo tempore partus concipitur, Sol in aliquo signo sit, necesse est.'

13 *Qui quum vicini stationem, &c.*] Censorinus: 'Sol ergo cum in proximum signum transcendit, locum illum conceptionis aut imbecillo videt conspectu, aut etiam nec conspicit.' Ut hoc et quæ sequuntur de variis Solis procedente tempore in locum ubi conceptionis momento erat conspectibus intelligantur, operæ pretium erit oculos in subjectam figuram conjicere.

Figura aspectuum Solis in Zodiaco.



Contiguos nullum transfundit lumen in ortus.
Ast ubi conversis post menstrua tempora habenis,
Scandit purpureo jam tertia sidera curru;
Obliqua exilem demittit linea lucem,
Aspirans tenues per inertia pondera motus.
Quarta in sede viget primi indulgentia Solis:
Suadet et infusus teneros coalescere fœtus.
Fulgor tetragono aspectu vitale coruscat,

Sed cum versis equorum suorum loris post spatium mensium duorum, jam ascendit curru suo candenti tertium signum; linea obliqua aspectus ejus vibrat in locum ortus tenue lumen, inspirans parvos motus in lentam fœtus massam. Sol incipit benignius aspicere in quarto loco: et infundens sese efficit ut tener fœtus concrescat in corpus solidius. Splendor solis in aspectu quadrato rutilat modo

forte mendum sit in Tolliana ed.' *Souchay.*—14 Sic legit Scaliger, qui etiam vs. 20. *infusus* pro *infusos*, quod est Vulg. idem quoque Vinetus.—21 '*Fulgur tetragono aspectus*] Lege: *Fulgor*, ex veteri libro: sic et *aspectus* in *aspectu*

NOTÆ

14 *Contiguos nullum transfundit, &c.*] Id demum verum esse possit, si Sol ab ea tantum sui parte, quam nobis obvertit, radios luminis emittat. Sic enim luce tantum obliqua, et admodum tenui ac pæne nulla, locum illum, in quo erat ortus seu conceptionis tempore, post unum tantum elapsum mensem illustraret: at quis [redacted]

regularis, (hoc est æquilateri, et æqui anguli,) Zodiaco inscripti.

17 *Obliqua exilem, &c.*] Censorinus: 'At cum in tertio est signo, hoc est, uno medio interposito, tum primum illum locum, unde profectus est, videre dicitur, sed valde obliquo, et invalido lumine.'

18 *Aspirans tenues, &c. motus*] Pli- [redacted]

[redacted]

Clarum et lene micans: quinti qui cardine signi
Incutit attonitam vegetato infante parentem.
Nam sexto vis nulla loco: quia nulla tuendi
Æquati lateris signatur regula Phœbo.
Ast ubi signiferæ media in regione cohortis
Septimus accepit limes rutilantia flammis
Recto castra situ, turgentis fœdera partus
Jam plena sub luce videt: nec fulgura parci
Luminis intendens, toto fovet igne coronæ.
Hinc illud, quod legitimos Lucina labores

vitali, fulgens nitide, et leniter: qui in primo puncto quinti signi efficit ut infans robustior percutiat, sese movendo, matrem id mirantem. Nam nulla virtus est in sexto signo: quia Sol non aspicit tunc locum ortus per ullam lineam quæ efficiat in Zodiaco figuram aliquam æquilateram. Verum cum in medio astriferi circuli septima sedes excepit castra Solis igne coruscantia positu directo, tunc aspicit sub pleno lumine fœtum jam grandiorem. Et vibrans splendorem lucis non exiguæ, calefacit eum flammis totius sui orbis. Hinc est, quod tunc Lucina aliquando præ-

cum Vineto mutes.' *Tollius.*—22 ' *Quintique*] In exemplari fuit q̄. pro *que*: sed brevis hæc particula, cum hoc loco longam syllabam versus postulet. Præpositionem *in* potest librarius prætermisisse: *quintique in cardine signi*: aut q̄ pro q́, id est, *qui*, scripsisse. Est autem trigonus hic conspectus.' *Vinet.*—23 Al. *attonitum.*—26 Ita erant hi vss. ex ipsa Mathesi distinguendi. In duos versus superiores.

NOTÆ

22 *Quinti qui cardine signi*] Ubi aspectus est κατὰ τρίγωνον, secundum triangulum, seu trinus.

23 *Incutit*] Vehementius scilicet. Nam moveri infantem ante quintum mensem, ex Plinio, et Hippocrate observatum supra. Sed cum antea lente, et segniter moveretur, quinto mense agitat sese validius.

Attonitam] Eo quod nihil tale illatenus experta sit.

24 *Nam sexto vis nulla loco, quia, &c.*] Idem habet Censorinus: ' Quæ duæ visiones τετράγωνοι καὶ τρίγωνοι perquam efficaces in incrementum partus multum adminiculant. Ceterum a loco sexto conspectus omni caret efficientia. Ejus enim linea nullius Polygoniæ efficit latus.'

26 *Signiferæ media in regione cohortis*] Quocumque sensu intelligenda sit vox ' cohortis,' sive pro caterva, (ut Zodiacus sit caterva quædam astrorum ordine dispositorum, ut sunt in cohorte milites,) sive pro consepto quodam, (ut Zodiaco inclusa intelligantur variorum animalium nominibus appellata signa, tanquam in cohorte, seu certe varia domestica animalia Gallinæ, Anseres, &c.) certe nihil aliud his verbis designare voluit Ausonius, quam medium Zodiaci locum.

27 *Septimus . . . limes*] Initium, seu primus gradus septimi signi.

Rutilantia flammis, &c.] Periphrasis Solis metaphorica.

28 *Recto situ*] Ita ut Sol loco conceptionis, unde profectus intelligitur, oppositus sit e diametro.

31 *Legitimos*] Novimestres.

Prævenit; et gravidos sentit subrepere nixus
Ante expectatum festina puerpera votum.
Quod nisi, septeno cum lumina fudit ab astro,
Impulerit tardi claustra obluctantia partus,
Posterior nequeat, possit prior: an quia sexto
Æmulus octavi conspectus inutilis astri
Nescit compariles laterum formare figuras?
Sed nono incumbens signo, cunctantia matrum
Vota levat, trigono vires sociante sequenti.

vertit statum tempus laborum puerperii, et mulier sentit oboriri sibi nisus parturitudinis propinqua, facta puerpera propere, priusquam speraverat et optaverat. Quod si Sol non pulsaverit claustra obsistentia partus morantis, quando vibravit lucem a septimo signo Zodiaci, non possit postea, quod prius potuerat: an quoniam inanis conspectus octavi signi imitans conspectum sexti, non potest efficere in Zodiaco figuram laterum æqualium? Verum ingrediens nonum signum, sublevat matres partu quem jam diu optabant, trino conspectu, qui talem Solis positum consequitur, eu-

exemplari fuit: *signifer:* sed *signiferi* scribit Vinetus.—36 *Poscit* conjicit Vinetus. Vid. inf.—40 *Trigono viris* fuit in vetusto libro.—41 ' Penultimus

NOTÆ

Lucina] Dea partus in lucem edens, f. unde et nomen habet, Juno est, et Diana quoque, sic enim sæpe numina sua confundebant. Sic Sol et Luna sub Liberi et Cereris nominibus invocantur a Virgil. Georgicon initio. Cicero lib. II. de Natura Deorum : [redacted]

mo, quo mense editi vitales. ' Sunt ita tamen,' inquit Plinius, ' si pridie aut postridie plenilunii, aut interlunio sint concepti.'

* *Posterior nequeat, possit prior*] Desposius legendum putat *nequit et possit.* At vero nihil immutandum ; [redacted]

[redacted]

At si difficilis partus trahit Ilithyia,
Tetragono absolvet dubiarum vincla morarum.

jungente virtutem suam. Verum si Lucina difficilis differt adhuc partum, solvet vincula moræ ancipitis in aspectu quadrato.

versus interpolatus est ab audace Correctore Lugdunensi: nam in vetere libro longe aliter erat, ita: *At si difficilis trahit hilithisidera.* Ego lego: *At si difficilis* * *trahit Ilythyia.* Desideratur autem vox *nixus* ita: *At si d. nixus trahit Ilythyia.*' Scaliger. 'Facile suppleri potest hic versus, legendo: *partum trahit Ilithyia: nam sidera cursum*, quod in vetarrimo codice legitur, manifestum librariorum glossema est: posset et *cursum trahit* defendi, uti bellum trahere dicimus, id est, ducere, *vitam trahere* pro producere: ut sit: *At d. trahit Ilythyia cursum.*' Tollius.

NOTÆ

40 *Trigono vires sociante sequenti*] Trino aspectu qui fit in nono signo, quemadmodum in quinto. Observa penultimam vocis 'trigono,' et infra vocis 'Tetragono' correptam licenter contra rationem Græcæ scripturæ *τρίγωνον*, et *τετράγωνον*, ubi penultima per *ω* scribitur vocalem natura sua semper longam.

41 *At si difficilis, &c.*] Supple lacunam, auctore Scaligero, interserta voce *nixus*, vel *partus*, ut sit versus: *At si difficilis partus trahit Ilithyia, &c.*

Ilithyia] Lucina ab *ἐλίττεσθαι*, evolvere, ut quidam volunt. Malim ego ab eodem etymo deducere, a quo aliud est ejusdem nomen apud Pindarum, Ἐλευθὼ scilicet, *παρὰ τὸ εἰς τικτούσας ἐλεύθειν*, quod ad parturientes accedat.

42 *Tetragono absolvet, &c.*] Censorinus: 'Sol enim a nono Zodio particulam conceptionis rursum conspicit *κατὰ τρίγωνον*, et a decimo *κατὰ τετράγωνον*. Qui conspectus, ut supra jam dictum est, perquam efficaces sunt.'

SIGNA CŒLESTIA. 370

Ad Boreæ partes Arcti junguntur, et Anguis.

Aquilonem versus Ursæ ambæ positæ sunt prope se invicem, et Serpens. Post

1 Vetus quoddam exemplar habebat: *vertuntur*. Vid. Not. Var.—5 Ve-

NOTÆ

1 *Ad Boreæ partes, &c.*] Hos versus de signis cœlestibus Prisciano tribuunt Franciscus Daniel et Mariangelus Accursius, moti auctoritate Mss. codicum, in quibus eos Prisciani nomine inscriptos invenerunt. Scaliger auctori alicui Prisciano antiquiori assignat, hoc argumento, quod eos repererit in veteri scheda Jacobi Cujacii Senatoris Gratianopolitani absque auctoris nomine, cum aliis versibus de septem Planetis et duodecim Signis conjunctos, præfixa Præfatione versibus quoque scripta,

Post has Arctophylax, pariterque Corona, Genuque
Prolapsus, Lyra, Avis, Cepheus, et Cassiopea,
Auriga, et Perseus, Deltoton, et Andromedæ astrum,
Pegasus, et Delphinus, Telum, Aquila, Anguitenensque.

illas Bootes, et simul Corona, et Nixus Genibus, Lyra, Cygnus, Cepheus, et Cassiopea, Auriga, et Perseus, Triangulum, et Sidus Andromedæ, Equus Pegasus, et Delphin, Sagitta, Aquila, et Anguemtenens. Postea Zodiacus circulus sequitur

tus exemplar: *P. et Delphin, telumque, A. A.*—6 Legendum monet Floridus:

NOTÆ

cujus Præfationis versum ultimum: 'Ver, Æstas, Autumnus, Hyems, redit annus in annum:' D. Hieronymus, auctor Prisciano antiquior, citat in commentariis in Ezechielem. Quicquid de auctore sit, hos certe versus Ausonianos non esse plerique consentiunt. Nequid tamen deesse huic editioni queri possit lector, eos etiam damus, quo in vulgatis loco referuntur.

Arcti junguntur] Ambæ ursæ Major et Minor, Helice, et Cynosura. A similitudine currus, Major ursa ἅμαξα a Græcis, id est, planstrum, et Arctophylax, seu ursæ custos, βοώτης, bubulcus, est appellatus, quasi qui plaustri boves agat. De horum, et ceterorum, quæ sequuntur, signo-

thenes Herculem esse dicit, supra Draconem collocatum; Hegesianax, Thesea saxum extollere nitentem; nonnulli Ixiona brachiis vinctis: alii Promethea in Caucaso vinctum: alii denique Cetea Lycaonis filium.

3 *Lyra*] Orphei, quibusdam 'vultur cadens.'

Avis] Hygin. 'Hunc Græci Cygnum appellant: quem complures, propter ignotam historiam illis, communi genere avium Ornin nominaverunt.' Cygnus ille est, teste eodem, sub quo Jupiter delitescens vim Nemesi intulit, vel, ut alii volunt, Ledæ.

Cepheus, et Cassiopea] Cepheus Æthiopum rex, Andromedæ pater. Cas-

[redacted]

[redacted]

Signifer inde subest, bis sex et sidera complent.
Hic Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, et Urnam
Qui tenet, et Pisces: post hos in partibus Austri
Orion, Procyon, Lepus, ardens Sirius, Argo,

quem duodecim signa replent. Ibi sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, et Aquarius, et Pisces. Post illos in regione Australi sunt Orion, Canis minor, Lepus, Canis major flagrans,

****

Bissex quem s. complent. Vetus exemplar habebat: *complens.* Malit Tollius: *Bissex hunc s. complent.*—8 Ita exemplaria omnia: neque debuit, dicit Vinetus, quidam addere conjunctionem post *Libra*, *Libraque.*

NOTÆ

dentem interfecit; vel, ut vult Eratosthenes, sagitta Apollinis, qua interfecit Cyclopas.

Aquila] Quæ Ganymedem rapuit.

Anguitenensque] Ophiuchus Græcis; quibusdam Carnubutas Getarum rex altero e Triptolemi draconibus interfecto; aliis Hercules ad flumen Sangarim anguem interficiens; aliis Phorbas Draconem in Rhodiorum insula interficiens; aliis denique Æsculapius cum angue ad baculum adrepente. Atque hæc signa novemdecim Borealia recenset tantum Hyginus. Sunt alia quædam, ut Aselli, Coma Berenices; sed illa ad alicujus e prædictis regionem pertinent, v. g. Aselli ad Cancrum, Coma Berenices ad Leonem.

7 *Aries*] Phryxi et Helles per Hellespontum vector; ut aliis videtur, Ammonis simulacrum.

Taurus] Vector Europæ Agenoris filiæ, sub cujus forma latebat Jupiter. Unde Taurum hunc 'Agenoreum' appellat Carm. sequenti.

Gemini] Castor et Pollux.

Cancer] Qui, e Lernæa palude emergens, Herculis contra Hydram jamjam pugnaturi pedem mordicus arripuit.

Leo] Nemeæus, prima Herculis victoria.

Virgo] Astræa; aliis Fortuna; aliis Ceres spicam tenens; aliis Erigone Icari (qui et Arctophylax esse a quibusdam existimatur) filia.

8 *Libra*] Pars prior Scorpii Chelæ dicta Hygino, Arato, et aliis quibusdam, Astrææ Virginis, quæ Justitia est, gestamen.

Scorpius] Orionis interfector.

Arcitenens] Sagittarius, quem Centaurum Chironem quidam esse putaverunt. Quanquam alius est in Australibus signis centaurus.

Capricornus] Ægipan.

Et Urnam Qui tenet] Aquarius. Ganymedes a multis creditus; Deucalion Hegesianacti; Cecrops Eubulo.

9 *Pisces*] In quos Venus et filius Cupido, Typhona gigantem metuentes, cum sese vertissent, in Euphratem se conjecerant.

10 *Orion*] Tentator Dianæ.

Procyon] Canis minor ante majorem exoriens. Unde ei nomen Procyon.

Lepus] Canem fugiens. Vide de eo Hyginum lib. II.

Ardens Sirius] Stella in capite ca-

Hydrus, Chiron, Thuribulum quoque, Piscis et ingens.
Hunc sequitur Pistrix, simul Eridanique fluenta.
Sed vaga præterea dicuntur lumina septem,
Luna et Mercurius, Venus, ac Sol, Mars quoque fulgens.
Hic Jovis et sidus super omnia sidera lucens.
Celsior his Saturnus, tardior omnibus astris.

Navis Argo, Hydra, Centaurus Chiron, Thuribulum seu Ara, et Magnus Piscis. Cetus sequitur eum, et una fluvius Eridanus. Verum septem aliæ præterea stellæ appellantur errantes, scilicet Luna, et Mercurius, Venus, et Sol, Mars etiam coruscans. Ibi quoque stella Jovis fulgens supra omnia astra. Saturnus sublimior est illis, lentior ceteris planetis.

NOTÆ

nis majoris, a qua per Synecdochen canis ipse appellatur Sirius. Libro tamen II. Argonauticon Apollonii pro ipso Procyone sumitur.

Argo] Navis Jasonis, quam in cœlum translatam fabulati sunt.

11 *Hydrus*] Seu Hydra, non Lernæa illa quidem, sed alia, cujus fabulam vide apud Hyginum lib. II.

Chiron] Centaurus, Saturni et Philyræ filius, Æsculapii et Achillis nutricius.

Thuribulum] Seu ara a Cyclopibus fabricata, in qua primum (ut ait Hyginus) Dii existimantur sacra et conjurationem fecisse adversus Titanas.

[redacted]

dicti 'vaga lumina,' non quod motum habeant erroneum, cum eorum motus æquabilis constansque sit, sed quod spatiis diversis intervallisque moveantur.

* 16 *Saturnus, tardior omnibus astris*] Siquidem periodum suam absolvit, non nisi intra viginti novem annos, dies 174. et horas quinque aut circiter: cum Jupiter (quem Poëta seu Grammaticus, quicumque tandem Eclogarii sit auctor, super omnia sidera lucere ait, fortasse ob duas tresve fascias quasdam lucidiores, quibus ab Occasu in Ortum cingitur) periodum suam absolvat intra duodecim annos aut circiter. Mars in- [redacted]

RATIO DIERUM ANNI VERTENTIS. 371

NONAGINTA dies et quatuor ac medium Sol
Conficit, a tropico in tropicum dum permeat astrum,
Octipedem in Cancrum Phryxeo ab Ariete pergens.
Hoc spatio æstivi pulsusque, et meta diei.
Semidiemque, duosque dies, deciesque novenos,
A Cancro in Chelas, æquatæ tempora noctis

Sol peragit nonaginta et quatuor dies cum dimidio, dum transit ab æquinoctiali puncto usque ad sidus Tropicum, tendens ab Ariete Phryxi ad Cancrum octipedem. Intervallum illud est transitus, et terminus tempestatis æstivæ. Sol fulvus conficit secundo cursu decies novem et duos dies ac diem dimidium a sidere Cancri usque ad

NOTÆ

1 *Nonaginta dies et quatuor ac medium*] Similiter Ptolemæus lib. III. magnæ Syntaxeos. Quam lectionem secutus sum in Interpretatione.

2 *A tropico in tropicum*] Ab Æquinoctio Verno ad Solstitium Æstivum. Tropici proprie circuli dicuntur tantum duo, in quibus Sol constitutus retro redire incipit a Boreali Zodiaci parte ad Australem, aut vice versa ab Australi ad Borealem; Tropicus scilicet Cancri, et Tropicus Capricorni, ut ex doctrina Sphærica notum. In quibus Solis τροπαί, hoc est, ut Cicero interpretatur lib. II. de Natura Deorum, 'reversiones' fiunt. At hic Ausonius Tropica etiam appellat puncta æquinoctiorum: non aliam puto ob causam, quam quod in æquinoctio quidem verno Sol ab Australi Hemisphærio transeat ad Boreale, in Autumnali vero a Boreali migret in Australe.

3 *Octipedem in Cancrum*] Plin. lib. IX. c. 31. 'Cancris vita longa, pedes octoni, omnes in obliquum flexi.' Hinc octipedem appellat Ausonius Cancrum cœleste sidus.

Phryxeo ab Ariete] Vide Carm. sup. Notas ad vocem Aries.

4 *Hoc spatio æstivi*] Tollius monet legendum: *Hoc spatium Æstivæ, &c.*

Pulsusque] Infra Noster in Trochaico cui titulus, A solstitio in æquinoctium ratio: 'Sol profectus a teporo veris æquinoctio, Post semidiem, postque totos nonaginta et quatuor, Fervidis flagrans habenis pulsum æstivum conficit:' ubi Grævius *pulsum* mutat in *cursum*. Quod si genuinum est, et hic quoque *cursus* pro *pulsus* erit legendum. At nihil mutandum. 'Pulsus' hic meta est, vel transitus. Ut etiam supra in Precatione Kalendis Januariis, quod est Edyllium IX. 'Contraria Phœbus Ut momenta ferat servata parte dierum, Et novus hyberno reparet sua lumina pulsu.'

5 *Semidiemque, &c.*] Nonaginta duos dies cum dimidio. Hæc spatia eadem ponit tempestatum anni Ptolemæus, ut jam monui.

6 *In Chelas*] Libram. Hyginus lib. II. de Scorpio loquens: 'Hic,' inquit, 'propter magnitudinem membrorum in duo signa dividitur, quorum unius effigiem nostri libram dixerunt.' Idem lib. III. 'Scorpii prior pars, quæ Chelæ dicitur, ita premitur ab æquinoctiali circulo, ut eum susti-

Atque dii, cursu peragit Sol aureus altero,
Autumni æstatisque simul confinia miscens.
Unde autumnales transcurrens ordine menses,
Ad tropicum pergit signum gelidi Capricorni,
Octo dies decies octonis insuper addens,
Quadrantemque dii: quinto qui protinus anno
Mense Numæ extremo nomen capit embolimæi.

Chelas, quod tempus est æquationis noctis ac diei, confundens tum inter se termines Autumni et Æstatis. Deinde peragrans ex ordine menses Autumni, tendit ad sidus Tropicum Capricorni frigidi, diebus decies octo superadjiciens octo dies et quartam diei partem, quæ quarta pars deinde quinto quoque anno diem efficit, qui insertus posteriori mensi Numæ appellatur intercalaris. Deinde Sol aureus properans ad

NOTÆ

nere videatur,' &c. Aratus in Phænomenis: *Παρθένος αἱ δ' ἐπί οἱ χηλαὶ, καὶ σκορπίος αὐτὸς*, &c. 'Virgo, atque prope eam Chelæ, et Scorpius ipse.' Chelæ sunt Scorpii brachia bifurca. Cui constellationi alii figuram, ut supra dictum, tribuere libræ bilancis.

7 *Dii*] Contractione pro *diei*.

12 *Quadrantemque dii*] Non omnino. Desunt quippe sex horis minuta aliquot. Quæ annis quater centum tres proxime dies conficiunt. Unde inductum in reformatione Kalendarii sub Gregorio XIII. Pontifice Maximo, ut cum juxta legem summam a Juliana correctione ad Gregorianam excreverant minuta illa quæ deesse quadranti singulis annis diximus. Quam expunctionem cum Protestantes admittere noluissent, orta est illa computandi temporis varietas inter eos et nos, quam veterem et novum stylum appellant.

Quinto qui protinus anno, &c.] Quarto potius, inquit Vinetus, sed fallitur. *Quinto* scripsit Ausonius, et sic intelligendus est, ut comprehendas in illo numero et bissextilem annum proxime elapsum, et bissextilem proxime sequentem. Et sic dicitur

[redacted]

Inde ad Agenorei festinans cornua tauri,
Scandit Lanigeri tropicum Sol aureus astrum,
Nonaginta dies decreto fine coërcens.
Hic tibi circus erit semper vertentibus annis,
Tercentum ac senis decies et quinque diebus.

cornua Tauri Agenorei, ascendit sidus Tropicum Arietis lanati, certo definiens nonaginta dies. Hic tibi erit circulus, annis perpetuo gyrantibus, constans trecentis sexaginta et quinque diebus.

NOTÆ

cœpit esse, et Februarium. Hoc posteriori mense qui 28. tantum dierum erat, Julius Cæsar præcepit intercalari unum diem singulis quartis annis, ante vigesimum-quartum mensis diem, qui sextus erat ante Kalendas Martias, ut quadrantis illius, qui singulis annis abundabat, ratio constaret; eumque diem sextum etiam Kalendas appellari, ut eo anno bis diceretur sexto Kalendas Martias; unde ei nomen Bissextilis.

Embolimæi] Ἐμβόλιμος, et ἐμβολιμαῖος intercalaris seu intersititius. Hoc nomine appellat diem illum anno bissextili insertum. At ἐμβολιμαῖον et ἐμβολισμικὸν appellaverunt Græci tertium quemque annum, qui lunarium mensium terdecim erat, cum duo priores duodecim tantum essent.

14 *Agenorei*] Vide Notas Carm. superiori, ad hanc vocem, 'Taurus.'

15 *Lanigeri tropicum ... astrum*] Vide initio hujus Carminis Notas, ad hæc verba 'a tropico in tropicum.'

17 *Vertentibus annis*] Censorinus de die natali: 'Annus vertens est natura, dum Sol, percurrens duodecim signa, eodem unde profectus est redit.'

18 *Et quinque diebus*] Et quarta ferme diei parte, ut jam observatum.

DE NOMINIBUS SEPTEM DIERUM. 372

Nomina, quæ septem vertentibus apta diebus
Annus habet, totidem errantes fecere planetæ.

Nomina, quæ annus habet convenientia septem diebus recurrentibus in orbem, imposita sunt a totidem planetis vagantibus. Quos mundus agitans perpetua rota-

In exemplari fuit titulus: *Incipit Eclogarum de nominibus septem dierum.*

NOTÆ

2 *Totidem errantes fecere planetæ*] Hebdomadem dierum in se recurrentium certum est ex illa hebdomade initium sumsisse qua Deus orbem condidit, et quievit. Ad cujus exemplum jussi sunt Judæi sex dies operari, septimo quiescere. Genes. 1. et 2. et Exod. 21. Septimum illum diem Sabbatum appellarunt, reliquos a Sabbato numerando, primam diem

Quos indefessa volvens vertigine mundus,
Signorum obliqua jubet in statione vagari.
Primum, supremumque diem radiatus habet Sol.
Proxima fraternæ succedit Luna coronæ.
Tertius assequitur Titania lumina Mavors.
Mercurius quarti sibi vindicat astra diei.
Illustrant quintam Jovis aurea sidera Zonam.
Sexta salutigerum sequitur Venus alma parentem.

tione, cogit errare per obliquum tractum signorum Zodiaci. Sol rutilans tenet primum et summum diem. Luna sequitur proxime orbem fratris sui. Mars sequitur tertius jubar Solare. Mercurius sibi asserit sidus quarti diei. Jubar aureum Jovis illuminat quintum tractum hebdomadæ. Alma Venus sexta succedit

NOTÆ

Sabbati, secundam Sabbati, tertiam Sabbati, quartam, quintam, sextam seu Parasceven. At quis primum, et quando planetarum nomina septimanæ diebus imposuerit, dicere in promtu non est.

* *Nomina, &c. totidem errantes fecere planetæ*] Vetusta sane a planetis dierum appellatio, quam ab Ægyptiis, etsi Græcis antiquitus ignotam, ad ceteras gentes ævo suo jam fluxisse auctor est Dion Histor. lib. XXXVII. Hujus autem appellationis duplicem [redacted]

diei naturalis horas ita partitur, ut singulis horis suus planeta, eo quem in cœlo obtinent ordine, assignetur, primæ Saturnus, secundæ Jupiter, tertiæ Mars, quartæ Sol, quintæ Venus, Mercurius sextæ, Luna demum septimæ. Hinc fieri ut vigesimam quartam Mars occupet, Solque novum auspicetur diem, ac Venus terminet; sicque Luna det sequentis diei initia, et similiter si reliquos dies percurras, cuilibet diei congruentem Deum fore.

[redacted]

Cuncta supergrediens Saturni septima lux est.
Octavum instaurat revolubilis orbita Solem.

salutari astro sui patris. Astrum Saturni superans omnia alia septimum est. Orbis dierum in se rediens reducit octavo loco Solis vices.

NOTÆ

11 *Cuncta supergrediens, &c.*] Cujus cœlum ceteros omnes planetas longe superat altitudine, et eos ambit suo circuitu.

HIC VERSUS SINE AUCTORE EST. QUID QUOQUE DIE DEMI DE CORPORE OPORTEAT. 373

UNGUES Mercurio, barbam Jove, Cypride crines.

Seca ungues die Mercurio, tonde barbam die Jovis, et capillos die Veneris.

HOC SIC REFELLENDUM. 374

MERCURIUS furto probat ungues semper acutos,
Articulisque aciem non sinit imminui.

Mercurius amat ungues perpetuo acuminatos ad rapinas, neque permittit ut acu-

1 'Sic ed. Jansonii anno 1629. quod magis placet, quam quod in aliis multis legitur, *furti.* Nisi *furtis* reponere maluerimus.' *Floridus.*—4 '*Ut*

NOTÆ

* Non possum quin huc afferam ex Antiq. explanatæ suppl. Tom. I. p. 41. quæ ex illis Ausonii versibus de elegante gemma Mercurium, Jovem, et Venerem, duodecimque Zodiaci signa exhibente conjecit ingeniosus Scriptor. Antumat eundem morem, qui hoc versu exprimitur, *Ungues Mercurio, barbam Jove, Cypride crines*, a Sculptore uti et Poëta per jocum exhibitum fuisse, dum uterque finxit Mercurium, Jovem, et Venerem a tali consuetudine abhorrere, quasi et illam sequi cogerentur. Mercurius, in gemma qua de agitur, refert virum jam alio proficiscentem, digitumque ostendit, an ut significet, nolle se sibi unguem resecari? Jupiter hastam et fulmen utrimque flammam emittens tenet, quasi in utrumque paratus, aut barbam servare, aut tonsorem ad umbras fulmine adigere. Venus Jovem affatur, et comam ad summum verticem reductam convolvit, a tondendis capillis alienam se indicans. Ut ut sit, certe e gemma illa lux maxima quatuor his versibus, et vicissim: *Mercurius furto probat ungues semper acutos, Articulisque aciem non sinit imminui. Barba Jovi, crines Veneri decor; ergo necesse est, Ut nolint demi quo sibi uterque placet,*

Barba Jovi, crines Veneri decor: ergo necesse est,
  Ut nolint demi, quo sibi uterque placet.
Mavors imberbes, et calvos Luna adamasti.
  Non prohibent comi tum caput atque genas.
Sol et Saturnus nihil obstant unguibus: ergo
  Non placitum Divis tolle monostichium.

men deteratur digitis. Barba honori est Jovi, capilli Veneri: oportet igitur ut nolint illud auferri, quod ambo in se amant. O Mars amavisti glabros, et tu o Luna amavisti calvos. Hæc numina non vetant diebus suis caput, et malas purgari. Sol et Saturnus nequaquam repugnant unguibus secandis. Igitur aufer versum illum Diis ingratum.

nollent demi] Præferam, *Ut nolint demi:* mox, *uterque placent* pro *placet*, in vetustissimo libro.' *Toll.*

NOTÆ

5 *Mavors imberbes*] Amavit Alectryona puerum, quem postea ob excubias somniculose actas, in Gallum mutavit, ut ex Luciano retulimus ad hæc verba Griphi vers. 26. ubi vide Notas. 'Ter clara instantis Eoi Signa canit serus deprenso Marte satelles.'

Et calvos Luna adamasti] Amavisse fertur Endymionem Luna, atque eum in Latmo Cariæ monte dormientem osculari solita. Sed an calvus fuerit Endymion, juxta scio cum iis qui nesciunt.

* *Mavors imberbes, et calvos Luna adamasti*] Utriusque rationem allatarum se pollicetur in fortuitis Tollius, at fidem obligatam non liberavit. Dicit quidem idcirco 'imberbes' a Marte adamari, quod fervidi, ignei, acres, quodque pugnantibus obstat barba, unde Alexandrum suos jussisse sibi genas radere. De Luna, nihil quod ad rem pertineat.

[redacted]

[redacted]

DE MENSIBUS MONOSTICHA. 376

Primus Romanas ordiris, Jane, Kalendas.
Februa vicino mense Numa instituit.
Martius antiqui primordia protulit anni.
Fœtiferum Aprilem vindicat alma Venus.
Majorum dictus patrum de nomine Maius.
Junius ætatis proximus est titulo.

O Januari, tu primus incipis Kalendas Romanas. Numa instituit mense proxime sequenti Februa sacra. Martius olim fecit initium anni. Venus mater capit sibi Aprilem fœcundum. Majus appellatus est de nomine parentum Majorum. Junius sequitur eum cum nomine sumto ab ætate juniorum. Julius Cæsar addit Quintili

4 Alii libri, *Floriferum*.—9 In alio vetere libro: *pomisque suum*.

NOTÆ

2 *Februa ... Numa instituit*] Qui et Januarium instituerat. Romuli enim annus a Martio mense incipiens, decem tantum erat mensium, et Decembri finiebatur. 'Februa' porro, a quibus Februarius dictus est, teste Ovid. lib. II. Fastorum, 'Romani dixere piamina patres: Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem. Pontifices a rege petunt et flamine lanas, Queis veterum lingua Februa nomen erat. Quæque capit lictor domibus purgamina certis, Torrida cum mica farra, vocantur idem. Nomen idem ramo, qui cæsus ab arbore pura, Casta sacerdotum tempora fronde tegit. Ipse ego Flaminiam poscentem Februa vidi; Februa poscenti pinea virga data est. Denique quodcumque est, quo corpora nostra piantur, Hoc apud intonsos nomen habebat avos.'

3 *Martius antiqui, &c.*] Regnante scilicet Romulo, qui mensem hunc in Martis patris honorem, primum anni fecerat: sed additis postea a Numa duobus ad annum mensibus, Januarius primus fuit.

4 *Fœtiferum Aprilem vindicat alma Venus*] Ovid. Fast. IV. 'Nec Veneri tempus quam Ver erat aptius ullum. Vere nitent terræ, Vere remissus ager. Nunc herbæ rupta tellure cacumina tollunt, Nunc tumido gemmas cortice palmes agit. Et formosa Venus formoso tempore digna est, Utque solet, Marti continuata suo est,' &c. Idem a Græco Veneris nomine 'Αφροδίτη dictum Aprilem innuit: 'Sed Veneris mensem Graio sermone notatum Auguror: a spumis est Dea dicta maris:' quanquam alii ab aperiendo derivant. Idem eodem libro: 'Nam quia Ver aperit tunc omnia, densaque cedit Frigoris asperitas, fœtaque terra patet, Aprilem memorant ab aperto tempore dictum, Quem Venus injecta vindicat alma manu.'

5 *Majorum dictus, &c.*] Triplex habet etymon Ovidius lib. v. Fastorum, a 'Majestate,' a 'Majoribus,' et a 'Maia' matre Mercurii.

6 *Junius ætatis, &c.*] Huic quoque triplicem assignat originem Ovid. lib. VI. Fast. a 'Junone,' a 'Juventute,' et a 'Junctione' Sabinorum cum Romanis.

Nomine Cæsareo Quintilem Julius auget.
  Augustus nomen Cæsareum sequitur.
Autumnum, Pomona, tuum September opimat.
  Triticeo October fœnore ditat agros.
Sidera præcipitas pelago, intempeste November.
  Tu genialem hyemem, feste December, agis.

suum nomen. Post illum succedit mensis Augustus, et ipse dictus de nomine Cæsaris Augusti. O Pomona, September ditat tuum Autumnum. October locupletat arva satione frumenti. O November parum utilis agendo, mergis astra Oceano. Tu, o December otiose, ducis Hyemem qua genio indulgetur.

NOTÆ

7 *Quintilem*] Quod nomen ordinis ejus in anno erat. Est quippe quintus mensis a Martio, qui anni tunc erat initium.

8 *Augustus*] Qui eadem ratione prius dicebatur Sextilis.

Nomen Cæsareum] Octavii Augusti Cæsaris.

9 *Pomona*] Pomorum Dea, cui ut et Baccho sacer Autumnus erat.

September] Hic, et reliqui tres, priscum ab ordine nomen retinent.

10 *Triticeo . . fœnore*] Tritici semente; quod triticum arvis tum creditur, grandi cum fœnore in messe reddendum.

11 *Sidera præcipitas pelago, &c.*] Infra in Distichis de iisdem mensibus: 'Quique Salo mergens solennia signa November Præcipitat, cœlo mox reditura suo.' et in Dodecasticho signorum: 'Scorpion hybernus præceps jubet ire November:' unde apparet 'Sidera' hic non alia intelligi debere, quam Scorpii stellas, et Solem ipsum, dum in eo signo est, in quo jam breves admodum fieri dies incipiunt.

12 *Genialem hyemem*] Virgilius lib. 1. Georg. 'Invitat genialis Hyems,' hoc est, convivalis et voluptuosa, inquit Servius. Decembri mense Saturnalia Romæ celebrabantur, quibus convivia agitabantur, et indulgebatur genio.

[redacted]

[redacted]

Post Superum cultus, vicino Februa mense
Dat Numa cognatis Manibus inferias.
Martius et generis Romani præsul et anni,
Prima dabas Latiis tempora Consulibus.
Æneadum genitrix vicino nomen Aprili
Dat Venus: est Marti namque Aphrodita comes.
Maia Dea, an major, Mai, te fecerit ætas,
Ambigo: sed mensi est auctor uterque bonus.
Junius hunc sequitur duplici celebrandus honore,
Seu nomen Juno, sive Juventa dedit.
Inde Dionæo præfulgens Julius astro,
Æstatis mediæ tempora certa tenet.
Augustus sequitur, cognatum a Cæsare nomen:
Ordine sic anni proximus, ut generis.

simul duo tempora. Post honorem Deorum, Numa instituit mense proximo festum Februorum, ad mittendas inferias umbris consanguineorum. Tu mensis Martius, caput generis et anni Romani, exhibebas Consulibus Romanis tempus ineundi Consulatus. Venus mater Æneadum imponit nomen proximo mensi Aprili; quippe Venus est juncta Marti. Incertus sum utrum Dea Maia dederit tibi nomen, o Mai, an vero grandior ætas. At ut ut res est, uterque auctor est idoneus ad nomen mensi dandum. Excipit hunc Junius memorandus gemino titulo, sive Juno imposuit ei nomen, sive Juventus. Post hunc Julius, micans sidere Venereo, obtinet certo spatium æstatis mediæ. Augustus mensis sequitur, nomen habens ab Augusto cognato Julii Cæsaris: proximus Julio mensi serie temporis, quemadmodum

NOTÆ

3 *Vicino Februa mense Dat Numa cognatis Manibus, &c.*] Vide Notas ad vocem 'Februa' poëmatio superiori; et ad versus Ovidii illic laudatos adde hos ex eodem loco: 'Mensis ab his dictus: secta quod pelle Luperci Omne solum lustrant: idque piamen habent. Aut, quia placatis sunt tempora pulchra sepulcris, Tunc cum ferales præteriere dies.' Ferales dies illi erant, quos Februario mense mittendis inferiis et placandis Manibus Numa dicaverat. Idem Ovid. initio lib. I. Fast. 'At Numa nec Janum, nec avitas præterit umbras.'

5 *Martius, &c.*] De hoc disticho et duobus sequentibus vide notata ad superius Carmen.

13 *Dionæo præfulgens Julius astro*] Stella crinita, quæ in funere Cæsaris Romæ, die medio, apparuisse dicitur mense Quintili, qui inde Cæsari consecratus, et Julius appellatus est. Dionæum astrum dicitur a Διώνη Dione, quod Veneris nomen est, ad quam Julia gens per Iulum et Æneam originem suam referebat. Virg. Ecl. 9. 'Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.'

15 *Augustus sequitur*] De hoc et sequentibus vide Notas Carminis superioris.

Nectuntur post hos, numerumque ex ordine signant:
September, Bacchi munere prela rigans;
Et qui sementis per tempora, fœnore lætus,
October, cupidi spem fovet agricolæ;
Quique salo mergens solennia signa November
Præcipitat, cœlo mox reditura suo.
Concludens numerum, genialia festa December
Finit, ut a bruma mox novus annus eat.

stirpis. Post illos junguntur, et indicant nomine suo quoti sint ordine anni menses: September madefaciens torcularia vini liquore: et October, qui gaudens emolumento, per tempus sationis, nutrit spem avidi coloni: et November qui tingens mari sidera consueta, præcipitat ea, brevi reversura in suum cœlum. December claudens seriem mensium, finem imponit festis voluptariis, ut statim post solstitium novus annus procedat.

NOTÆ

23 *Genialia festa*] Opalia, Sigillaria, et Saturnalia.

24 *A bruma*] Brevissima anni die, quam hic Ausonius extremam Decembris fuisse innuit, alii aliter locant.

Præter Monosticha et Disticha de mensibus supra relata, sunt et alia Monosticha et Tetrasticha, quæ quanquam in Lugdunensi codice inter cetera Ausonii opera non reperirentur, nec ejus esse viderentur, tamen reperta a se in alio vetusto codice, una excudenda curavi. Sunt autem Monosticha hæc: ‘Dira patet Jani Romanis Janua bellis. Vota Deo Diti Februa mensis habet. Incipe Mars anni felicia fata reduci. Tunc Aries Veneri lutea serta legit. Dulcia, Maia, tuis lucent examina Nonis. Arce poli Geminos Junius ecce locat. Julius ardenti divertit lumina Solis Aëre. Flammigero cuncta Leone calent. Poma legit Virgo maturi mitia Solis. Fundit et October vina Falerna lacis. Aret tota soli species vi dura

[redacted]

[redacted]

Unum ter denis cumulatius adde diebus
Per septem menses, Jani Martisque Kalendis,
Et quas Maius agit, quas Julius, Augustusque,
Et quas October, positusque in fine December.
Unus erit tantum duodetriginta dierum,
Quem Numa præposito voluit succedere Jano.
Sic tercentenis decies accedere senos,
Quadrantemque, et quinque dies sibi computat annus.

spatium quique sui mensis. Adjice amplius unum diem triginta diebus per septem menses, scilicet mensibus Januario, Martio, Maio, Julio, Augustoque, et Octobri, ac Decembri, qui collocatus est in fine anni. Unus solum mensis erit dierum octo et viginti, ille scilicet quem Numa voluit ire post Januarium sibi præeuntem. Ita annus numerat dies in se sexaginta, et quinque cum quadrante, ultra trecentos.

NOTÆ

7 *Unus erit, &c.*] Februarius dierum octo et viginti; quarto tamen quoque anno dierum est viginti novem.

DE TRIBUS MENSTRUIS MENSIUM. 379

Bis senas anno reparat Lucina Kalendas:
Et totidem medias dat currere Jupiter Idus.
Nonarumque diem faciunt infra octo secundi.

Juno renovat per annum Kalendas duodecim: et Jupiter efficit, ut totidem Idus fluant in medio mensium. Et duo numeri pares infra octonarium dant diem Nona-

NOTÆ

1 *Reparat Lucina Kalendas*] Juno Kalendarum Dea præses Ovid. Fast. I. 'Vindicat Ausonias Junonis cura Kalendas. Idibus alba Jovi grandior agna cadit. Nonarum tutela Deo caret.'

2 *Medias*] Non accurate medias, quatuor enim quidem mensibus Idus sunt die decimo quinto, at reliquis decimo tertio, ut infra fusius explicabitur.

3 *Nonarumque diem faciunt infra octo secundi*] Nihil hic videre se prorsus fatetur Vinetus. Non tamen adeo profundæ sunt tenebræ. Postquam medias dixit in mensibus esse Idus, quo die Nonæ sint exponit, dicendo numeros duos infra octo (qui Iduum numerus est) positos, eique similes et pares, nempe senarium et quaternarium, facere Nonas. Eæ quippe mensibus Martio, Maio, Julio, et Octobri contingunt sexto post Kalendas die, ceteris mensibus quarto, juxta illud tritum: 'Sex Maius Nonas, October, Julius, et Mars; Quatuor at reliqui: dabit Idus quilibet octo.' Et illud nostri infra: 'At Nonas modo quarta aperit, modo sexta refert lux.'

Hæc sunt Romano tantum tria nomina mensi.
Cetera per numeros sunt cognomenta dierum.

rum. Romanus mensis habet solum hæc tria nomina. Nomina reliquorum dierum exprimuntur numeris.

NOTÆ

5 *Per numeros*] A sequentibus Kalendis, Nonis, aut Idibus denominatos: puta quarto Nonas, septimo Idus, decimo Kalendas, &c.

QUO MENSE QUOTÆ NONÆ, VEL IDUS SINT. 380

At Nonas modo quarta aperit, modo sexta refert lux.
Sexta refert Maii, Octobris, Martisque recursu,
Et qui solstitio sua tempora Julius infert.
Cetera pars mensum quartis est prædita Nonis.
Omnes vero Idus octava luce recurrunt.

Verum nunc quartus dies profert Nonas, nunc sextus dies reducit illas. Sextus dies reducit Nonas, cum redeunt Maius, October, et Martius, ac Julius, qui subjungit suum tempus solstitio. Reliqui menses habent Nonas quarto die. Omnes autem Idus redeunt octavo die.

NOTÆ

1 *Quarta aperit, modo sexta*] Post Kalendas scilicet, quæ est mensis quinta, aut septima.

4 *Mensum* [*Mensium*] Duabus tan- [redacted]

mensum, Jane biformis, eras.'

5 *Octava luce*] Octavo die post Nonas, qui dies in quatuor prædictis mensibus decimus quintus est, in re- [redacted]

[redacted]

Dum rursumque iterumque * * vocantur,
Ut tandem oblati procedant temporis ortus.
Ter senis unoque die genialia festa
Porrigit, ut Janum arcessat nova bruma morantem.
Hoc numero mensisque Numæ redit, autumnique
Principium referens Bacchi September alumnus.

nominati recurrunt diverso numero: dum illi appellantur iterum atque iterum a nomine mensis proximi, ut demum dies cupitus proximarum Kalendarum adveniat. Nova bruma extendit festa Saturnaliorum per dies novemdecim, ut adducat Kalendas Januarias morantes. Post eundem numerum dierum a Kalendis appellatorum, mensis Numæ revertitur, et September nutritor Bacchi reducens initium Autumni.

3 '*Expleto mense vocantur*] Mancum in suo exemplari versum Lugdunenses his duobus verbis, *expleto mense*, compleverunt. Iidem *oblati* legerunt, ubi *obtati* erat, pro *optati* nisi fallor.' *Vinet.* *Optati* legendum monet Scaliger: quia veteres librarii scribebant *obtati*. Vid. etiam inf.—4 *Ortu* Vulg.—

NOTÆ

3 *Dum rursumque, &c.*] Mutilum hunc versum sic supplet Gronovius: *Dum rursumque, iterumque sequenti a mense vocantur.* Quod in Interpretatione secutus sum.

5 *Ter senis unoque die*] Hoc est, December, in quo bruma est, numerat novemdecim dies, ante Kalendas Januarii, per quos dies celebrantur genialia festa, Opalium, Sigillariorum, et Saturnaliorum, ut jam observatum supra. Ut porro et hæc et quæ sequuntur de Kalendis facilius intelligantur, notandum 1°. uniuscujusque mensis dies, qui Idus sequuntur, denominari a Kalendis mensis sequentis, puta XIX. aut XVIII. aut XVII. Kalendas Januarias, hoc est, ante Kalendas, &c. Notandum 2°. ex supradictis menses Martium, Maium, Julium, et Octobrem Idus suas habere die decimo quinto, sicque a decimo sexto duntaxat die incipere a Kalendis mensis sequentis dies denominare, reliquos vero menses a decimo quarto incipere numerare Kalendas mensis proximi, quia Idus habent die decimo tertio. Notandum 3°. mensium quosdam esse dierum triginta, quosdam triginta et unius, Februarium vero viginti octo tantum, aut ad summum, in Bissextilibus annis, viginti novem. Et pro numero illo dierum uniuscujusque mensis, variare numerum dierum qui in eo a Kalendis proximis nominantur. His observatis, ad singula veniamus. Decimo quarto Decembris die, qui postridie Idus est, dicitur XIX. Kal. Januarii, quia cum December habeat dies 31. supersunt a 13°. qui Iduum dies est ad finem ejus dies octodecim, quibus si diem ipsum Kalendarum proximarum adjicias (ut fit in ejusd. Kalend. Nonarum et Iduum numerationibus,) fiet XIX. Kal. Jan. Eadem est ratio Kalendarum Februarii et Septembris, quoniam menses Januarius et Augustus, qui eas præcedunt, dierum etiam sunt 31. et habent Idus die etiam decimo tertio.

7 *Mensisque Numæ*] Februarius. Vide Notas supra.

Julius, et Maius, positusque in fine December,
Octoberque die revocatur tardius uno.
Inde die redeunt minus uno quatuor ultra,
Quos numero adjiciam, Sextilis, Junius, atque
Aprilis, post quos pænultima meta November.
Ter quinis unoque die, Junonie Mavors,
Ut redeas, referasque exordia prima, cieris.
Hoc numero, ad plenum vertens reparabitur annus.

Julius, et Maius, et December locatus in fine anni, atque October reducuntur tardius uno die. Postea quatuor numero menses, quos subjungam, recurrunt minus uno die, nempe Julius, Junius, et Aprilis, et post eos November pænultimus anni terminus. O Mars, Junonis fili, vocaris per sexdecim dies, ut reverteris, et reducas tuum initium. Hoc numero Nonarum, Iduum, et Kalendarum annus recurrens plene renovabitur.

10 Gronovius scribit, *revocantur*.—11 *Inde dies* Vulg.

NOTÆ

9 *Julius, et Maius, &c. die revocatur tardius uno*] Hoc est, in mensibus præcedentibus hos menses, remotissimus ab horum Kalendis dies, Idus illorum sequens, numeratur tantum XVIII. Kal. Maii, Julii, Octobris, et Decembris. Ratio est quod menses eos præcedentes, Aprilis, Junius, September, et November, dierum sint tantum 30.

11 *Inde die redeunt minus uno*] Ita [redacted]

præmonui.

14 *Ter quinis unoque die, &c.*] Id est, dies Februarii decimus quartus, qui postridie Idus est, numeratur tantum XVI. Kal. Martii. Ratio est quod Februarius est dierum tantum 28. Nec refert quod quarto quoque anno sit dierum 29. Tunc enim non ideo die 14. numeratur XVII. Kal. Mart. sed bis dicitur VI. Kal. Mart. diebus scilicet 24. et 25. Atque hinc bissex- [redacted]

Mense Numæ in medio solidi stat sidus Aquari.
Procedunt duplices in Martia tempora Pisces.
Respicis Apriles, Aries Phryxee, Kalendas.
Maius Agenorei miratur cornua Tauri.
Junius æquatos cœlo videt ire Laconas.
Solstitio ardentis Cancri fert Julius astrum.
Augustum mensem Leo fervidus igne perurit.
Sidere, Virgo, tuo Bacchum September opimat.
Æquat et October sementis tempore Libram.
Scorpion hybernus præceps jubet ire November.
Terminat Arcitenens medio sua signa Decembri.

Aquarii plenum est in medio mense Numæ. Gemini Pisces progrediuntur in tempus mensis Martii. O Aries vector Phryxi, spectas ad Kalendas Apriles. Maius suspicit cornua Tauri Agenorei. Junius videt gradientes simul per cælum gemellos Spartanos. Julius adducit sidus Cancri flagrantis per solstitium. Leo ardens torret mensem Augustum suo ardore. O Virgo, September tumefacit Bacchum sub tuo astro. Et October adducit tempore sationis Libram æquantem dies noctibus. November hyemalis præcipitem agit Scorpium. Sagittarius definit suum sidus medio Decembri.

2 *Solidi dat*, et *Sol distat* etiam legitur.—11 *Scorpius*, et *Scorpios*, et *Scorpios* hic legitur, et *November*, et *Novembrem*. *Scorpion hybernum* Vulg.

NOTÆ

In quo mense, &c.] Hoc dodecastichon ait Vinetus invenisse se sine titulo inter Carmina et alia scripta Fortunati Episcopi Pictaviensis, et in libro Bedæ de temporum ratione.

1 *Principium Jani, &c.*] Si bruma sit postremus dies Decembris, recte primum Capricorni gradum assignaverit Januariis Kalendis. Sed hæc non ita stricte accipienda sunt, quasi primis ipsis mensium diebus in signa illa Sol intret, sed Solem tunc in illis esse signis, quæ nominantur, in quæ revera aliquot ante diebus mensis prioris sit ingressus.

5 *Agenorei*] Qui rapuit Europam filiam Agenoris, et in Cretam avexit.

6 *Laconas*] Geminos, Castorem et Pollucem Lacedæmoniæ Ledæ filios.

11 *Scorpion hybernus præceps jubet ire November*] Supra in Monostichis de mensibus: 'Sidera præcipitas pelago, intempeste November;' ubi vide notata.

Q. CICERONIS VERSUS EO PERTINENT UT QUOD SIGNUM QUO TEMPORE ILLUSTRE SIT NOVERIMUS. QUOD SUPERIUS QUOQUE NOSTRIS VERSIBUS EXPEDITUR. 383

FLUMINA verna cient obscuro lumine Pisces.
Curriculumque Aries æquat noctisque diique.
Cornua quem condunt florum prænuntia Tauri,
Aridaque æstatis Gemini primordia pandunt.
Longaque jam minuit præclarus lumina Cancer.
Languificusque Leo proflat ferus ore calores.
Post, modicum quatiens Virgo fugat orta vaporem.
Autumni reserat portas, æquatque diurna
Tempora nocturnis dispenso sidere Libra.
Et fœtos ramos dinudat flamma Nepai.

Pisces stellis suis obscuris excitant pluvias veris. Et Aries æquat cursum noctis, et diei. Quem abscondunt cornua Tauri promittentia flores. Et Gemini aperiunt sicca initia æstatis. Et Cancer præfulgidus incipit abbreviare longos dies. Et Leo morbos ferens exhalat ferociter æstus ore suo. Postea Virgo exorta paulum abigit calorem, eum ventilans. Libra aperit Autumni valvas, et exæquat spatium diei spatio noctis, astro suo æqualiter posito. Sidus Scorpii spoliat foliis arbores quæ

2 *Diei* erat in exemplari.—3 *Comunt* ed. Toll.—12 Lego: *jubare spirans*

NOTÆ

[redacted]

Pigra Sagittipotens jaculatur frigora terris.
Bruma gelu glacians jubare spirat Capricorni.
Quam sequitur nebulas rorans liquor altus Aquarî:
Tenta supra circaque vigent ubi flumina mundi.
At dextra lævaque ciet rota fulgida Solis
Mobile curriculum, et Lunæ simulacra feruntur.
Squama sub æterno conspectu torta Draconis
Eminet: hunc inter fulgentem sidera septem

deposuerunt fructum suum. Sagittarius vibrat in terras frigus iners. Bruma constringens glacie flat sub signo Capricorni. Quam excelsus humor Aquarii excipit stillans nubes: ubi scaturiunt orbis fluenta extensa supra et circa. Verum dextrorsum et sinistrorsum currus micans Solis peragit cursum suum mobilem, et diversæ facies Lunæ illac errant. Squama incurvata perpetuum apparet sub aspectu Draconis. Hunc micantem inter septem astra valde concutit major ursa



Capricorni. Sunt autem ii versus alieno loco positi, nam debent poni post carmen, cujus Lemma: *In quo mense quod signum sit.* Eorundem versuum Lemma ostendit, ab Ausonio ipso eos versus huc insertos.' *Scaliger.* '*B. g. g. jubar est spirans Capricorni*] Non satis video, quid sibi velit hic versus: quem nec mendo vacare puto.' *Vinetus.*—14 'Sic ediderunt Lugdunenses. Ceterum quod divinarunt *vigent humi*, hoc erat *vigent tumi* in suo exemplari: et sequens verbum *flamina*, non *flumina*.' Vinetus.—18 *Hunc inter fulgentes ethera septem* Vulg. Vid. Not. Var.

NOTÆ

terpretatione.

Flamma Nepai] Sidus Scorpii. Paulus Festo conjunctus: 'Nepa Afrorum lingua sidus, quod Cancer appellatur, vel, ut quidam volunt, Scorpius.' Plautus: 'Dabo me ad parietem, imitabor Nepam:' et melius Nonius Marcellus: 'Nepam quidam Cancrum putant ob illud Plauti: Retroversum cedam, imitabor Nepam. Et illud aliud: aut cum Nepa esset. Dubium in utroque. Nam vere Nepa Scorpius dicitur.' M. Tull. de finibus bonorum et malorum l. v. 'Serpere anguiculos, natare anaticulas, volare merulas, cornibus uti videamus boves, Nepas aculeis, suam denique cuique naturam esse ad vivendum ducem.'

14 *Tenta supra, &c.*] Si sanus hic locus, quod vix puto, innuere vult fluvios et humorem omnem mundi originem ducere ab Aquario cœlesti.

15 *At dextra lævaque, &c.*] Borealem versus et Australem mundi partem. Zodiacus enim circulus ab æquatore in duas æquales partes sectus signa sex habet ad Septemtrionalem plagam vergentia, et sex ad Australem. Porro dextra poëtis Occasum spectantibus est ad Boream; sinistra vero ad Austrum. Quo sensu dixit Lucanus: 'Ignotum vobis Arabes venistis in orbem, Umbras mirati nemorum non ire sinistras.'

17 *Squama sub æterno, &c.*] Hæc intricata et obscura admodum sunt, fortasse etiam non omnino sana. Ex his sensum elicui qualem potui in Interpretatione.

17 *Draconis*] Qui ursam utramque discriminat corpore suo, et spiris

Magna quatit stellans: quam servans serus in alta
Conditur Oceani ripa cum luce Bootes.

stellis distincta: quam custodiens Bootes mergitur tarde in summa ripa Oceani, pæne servans lumen suum.

NOTÆ

quodammodo involvit. Vide Hyginum.

18 *Sidera septem*] Septemtriones.

19 *Magna*] Supplendum *ursa* procul dubio. Hæc ἅμαξα, id est, plaustrum, etiam dicta est, et arctophylax, seu custos ursæ; etiam Bootes seu bubulcus, plaustri boves agens.

In alta] Verti summa, hoc est, extima, non autem profunda. Parum enim mergitur Bootes, ac brevi post emergit.

20 *Cum luce*] Intelligo, ita ut etiam conditi lux adhuc aliqua appareat.

A SOLSTITIO IN ÆQUINOCTIUM RATIO. 384

Sol profectus a teporo veris æquinoctio,
Post semidiem postque totos nonaginta et quatuor,
Fervidis flagrans habenis pulsum æstivum conficit.
Inde Autumnus noctis horas librans æquo lumine,
Octo et octoginta gœris, et super trihorio.
* * * * *
Inde floridum reflexis ver revisit oreis,
Additis ad hos priores gœros geminis orbibus.

*Sol procedens a tepido æquinoctio veris, quatiens lora ardentia, peragit cursum æstatis post solidos dies nonaginta quatuor et diem dimidium. Postea Autumnus mensurans æqualiter spatium noctis et diei peragit cursum suum octoginta et octo circuitibus et tribus horis insuper. * * * Postea ver florens redit ad nos frænis reflexis, adjectis duobus circuitibus ad circuitus superiores.*

[redacted]

DE FERIIS ROMANIS. 385

NUNC et Apollineos Tiberina per ostia ludos,
 Et Megalesiacæ matris operta loquar.
Vulcanique dies Autumni exordia primi,
 Quinquatrusque Deæ Pallados expediam:
Et medias Idus, Maii Augustique recursu,
 Quas sibi Mercurius, quasque Diana dicat.

Jam dicam et ludos Apollinares, qui fiunt in ostiis Tiberis, et secreta magnæ Matris Deorum. Et explicabo dies festos Vulcano, qui sunt initium Autumni incipientis, et Quinquatrus Deæ Minervæ: et Idus medias redeuntes Maio et Augusto redeuntibus, quas Mercurius, et quas Diana sibi consecrant. Quænam

NOTÆ

De Feriis] Hoc est, Festis.

1 *Apollineos*] Ludos Apollinares, ex Carmine Marci Vatis, perplexo scripturæ genere concepto, victoriæ de hostibus reportandæ ergo institutos. De his vide Livium lib. xxv. et Rosin. Antiq. Rom. lib. v. cap. 17. ad III. Non. Quintiles statuta est ludorum illorum dies, quæ prius incerta erat.

2 *Megalesiacæ matris operta*] Ludos Megalenses, Græcis μεγαλησίους, in Cybeles magnæ Deorum matris honorem institutos, cum ea ab urbe Pessinunte Romam est advecta. Hi per dies sex magna pompa celebrabantur in Palatio, a pridie scilicet Nonas Apriles ad v. Idus ejusdem mensis.

Operta] Eaque turpissima. De quibus vide D. Augustinum lib. II. de Civitate Dei cap. 5.

3 *Vulcanique dies, &c.*] Vulcanalia in Vulcani honorem celebrari solita mense Augusto, teste Columella lib. II. de Re Rustica, x. scilicet Kal. Septemb. Eo die populus animalia pro se in ignem mittebat, teste Varr. lib. v. de lingua Latina.

4 *Quinquatrusque*] Et Quinquatria Palladis festum a quinque dierum, per quos celebrabatur, numero sic dictum. Celebrari incipiebant Quinquatrus XIV. Kal. Aprilis, qui 19. Martii dies est, et eæ dicebantur Majores; nam aliæ erant Quinquatrus Minusculæ Idibus Junii, tibicinum festum. Varro lib. v. de lingua Latina: 'Quinquatrus Minusculæ dictæ Juniæ Idus, ab similitudine Majorum, quod tibicines tum feriati per urbem vagantur, et conveniunt ad ædem Minervæ.' Similia habet Festus.

5 *Idus, Maii . . . Quas sibi Mercurius, &c.*] Idus Maii festus erat dies mercatorum, quod eo die Mercurii ædes dedicata esset. Eo die e Mercurii fonte ad portam Capenam mercatores aspergebant se laureo termite immerso, ut sibi perjuria Mercurius remitteret, et uberiorem quæstum fortunaret. Vid. Ovid. lib. v. Fastorum. Eodem etiam die Argeorum scirpea simulacra et oscilla de ponte Sublicio per Virgines Vestales in Tiberim præcipitabantur quotannis.

6 *Quasque Diana dicat*] Augusti Idus Dianæ sacræ. Mart. lib. XII. Epig. LXVIII. 'Maiæ Mercurium creastis Idus. Augustis redit Idibus Diana.' Eo die mulieres voti dam-

Matronæ quæ sacra colant pro laude virorum,
Mavortis primi cum rediere dies.
Festa Caprotinis memorabo celebria Nonis,
Cum stola matronis demta teget famulas.
Quatuor illa etiam discretis partibus anni
Solstitia, et luces nocte dieque pares.
Nec Regifugium, pulsis ex urbe tyrannis,
Lætum Romanis fas reticere diem.
Visne Opis ante sacrum, vel Saturnalia dicam,
Festaque servorum, cum famulantur heri?

festa matronæ celebrent in honorem conjugum suorum, cum primi dies mensis Martii recurrerunt. Dicam festa solennia Nonis Caprotinis, quando stola ablata matronis operiet ancillas. Dicam quoque illa quatuor notabilia tempora quæ discriminant anni partes, solstitia nempe, et æquinoctia. Neque possum tacere Regifugium, diem jucundum Romanis, quo scilicet tyranni ejecti sunt ab urbe Roma. Visne prius memorem festum Opis, an Saturnalia, quæ sunt festa servorum, quibus

15 Vetus liber habebat: *Vis Ope sancte sacrum.* Suspicatur Scaliger: *Vis Opis ante sacrum.* '*Vis et Opale sacrum*] Erat in exemplari: *Visne ope sante sacrum.* Restituendum arbitror: *Visne Opis ante sacrum.*' Vinetus.

NOTÆ

natæ ab urbe in nemus Aricinum, ubi Diana religiosissime colebatur, ardentes faces ferebant. Ut et venatores, qui canes quoque suos morbo aut scabie affectos, infulis velatos, Deæ sistebant, omneque instrumen- [redacted]

paruit,' &c. Narrat deinde quo pacto post sedatum Gallicum tumultum, Fidenatibus superbe poscentibus a Senatu Romano, ut si Romæ reliquias salvas vellent, matres familias omnes et virgines sibi dederent, ancillæ, [redacted]

Et nunquam certis redeuntia festa diebus,
Compita per vicos cum sua quisque colit?
Aut duplicem cultum, quem Neptunalia dicunt,
Et quem de Conso consiliisque vocant?
Festa hæc, navigiis aut quæ celebrata quadrigis,
Jungunt Romanos finitimosque duces?
Adjiciam cultus, peregrinaque sacra Deorum,
Natalem Herculeum, vel ratis Isiacæ:

scilicet heri iis ministrant? Et Festa recurrentia diebus nunquam certis, quando unusquisque frequentat compita in vicis suis? Vel Festum gemino insignitum nomine, quod appellant Neptunalia, et quod nominant Consualia a Conso, et consiliis? Hæc scilicet festa quæ celebrata certaminibus navalibus, aut curulibus, junxerunt fœdere duces Romanos, et vicinos eorum? Addam festa et sacra Deorum Romam peregre invecta, Diem Natalem Herculis, vel Festum Cymbæ Isidis: et

NOTÆ

fuga. Traxit ab illa Sextus ab extremo nomina mense dies,' &c.

15 *Opis ante sacrum*] Opalia in Opis Deæ Saturni uxoris honorem XIV. Kal. Jan. una cum Saturnalibus primum celebrabantur. Deinde adjectis a Julio Cæsare Decembri mensi duobus diebus, Saturnalia XVI. Kalend. Jan. fieri cœpta, triduumque durare, cujus tridui ultimus dies Opalibus dicatus. Sed additus postea Sigillarium dies, et ad septem omnino dierum numerum Saturnalia protracta sunt, teste Macrobio.

16 *Festaque servorum*] Ipsa scilicet Saturnalia, per quæ epulantibus servis heri ministrabant, ut ancillis dominæ, Nonis Caprotinis.

17 *Et nunquam certis, &c. Compita, &c.*] Hujusmodi Conceptivas ferias appellarunt. Macrob. l. I. Saturn. c. 16. 'Conceptivæ sunt, quæ quotannis a Magistratibus vel Sacerdotibus concipiuntur in dies certos, vel etiam incertos: ut sunt Latinæ, Paganalia, Sementinæ, Compitalia.' Formulam, qua Compitalia a Prætore concipi solebant, vide apud A. Gellium Noct. Attic. lib. X. cap. 24. In honorem fiebant Larium, et Maniæ eorum matris, in compitis, hoc est, ut ait Varro, 'ubi viæ competunt,' id est, concurrunt. De his vide Macrob. lib. I. Saturn. cap. 7. et Dionysium Halicarn. lib. IV.

19 *Duplicem cultum, quem Neptunalia, &c.*] Neptunus idem et Consus. Neptunalia tamen mense Julio, X. scilicet Kal. Sextiles in honorem Neptuni. Consualia autem in honorem Consi, quem Deum putabant Consilii, et quem Neptunum Equestrem fuisse ait Livius lib. I. a Romulo instituta, et in iis Sabinæ raptæ: fiebant in Circo mense Augusto XII. Kal. Septemb.

21 *Festa hæc, navigiis, &c.*] Consualia, nempe, quæ, ut dixi, in Circo celebrabantur, idque naumachiis et aurigationibus.

22 *Jungunt Romanos finitimosque*] Respicit ad Consualia a Romulo celebrata, in quibus raptæ Virgines quæ Romam ex finitimis civitatibus venerant, causa fuere belli primum, deinde pacis et fœderis arctissimi.

24 *Natalem Herculeum*] Herculi Græco Heroi magnus Romæ honos habitus, erecta ara maxima, ædes multæ, sacerdotes instituti. Ad ejus

Nec non lascivi Floralia læta theatri,
  Quæ spectare volunt, qui voluisse negant.
Nunc etiam veteres celebrantur Equiria ludi.
  Prima hæc Romanus nomina Circus habet.

Floralia læta quæ celebrantur lascive in theatro, quæ illi ipsi cuperent vidisse, qui negant se cupere. Fiunt quoque nunc ludi antiqui dicti Equiria. Hoc nomen est ludorum, qui primi editi sunt in circo Romano. Roma quoque celebrat sub

NOTÆ

aram per numen ipsius confirmata pacta et promissa. Decimæ ei bonorum a multis votæ, et persolutæ. Quonam autem die Natalis ejus celebraretur non invenio.

Vel ratis Isiacæ] Kalendarium Vetus VII. Id. Januar. habet: 'Isidis ἄφιξις, id est, accessus. Plut.' Respicit procul dubio ad Isidis pompam, quam fuse describit Apuleius lib. Metamorph. XI. et cujus tempus et causam sibi sic narrantem ipsam Isidem inducit: 'Diem, qui dies ex ista nocte nascetur, æterna mihi nuncupavit religio: quo sedatis hybernis tempestatibus, et lenitis maris procellosis fluctibus, navigabili jam pelago, rudem dedicantes carinam, primitias commeatus libant mei Sacerdotes.'

spectante, populus, ut Mimæ nudarentur, postulare erubuit: quod cum ex Favonio amicissimo sibi una sedente cognovisset, discessit e theatro, ne præsentia sua spectaculi consuetudinem impediret: quem abeuntem ingenti plausu populus prosecutus, priscum morem jocorum in scenam revocavit; confessus plus se majestatis uni tribuere, quam universo sibi vindicare.' Instituti sunt hi ludi anno U. C. DXVI. teste Plin. DXXC. a L. Posthumio Albino et M. Papilio Lænate Coss. teste Ovid. A Flora meretrice institutos auctor est Scholiastes Juvenalis ad vers. 249. Sat. VI.

26 *Quæ spectare volunt, &c.*] Maligne hoc in fictos Catones dictum.

[redacted]

[redacted]

Et Dionysiacos Latio cognomine ludos
  Roma colit, Liber quæ sibi vota dicat.
Ædiles plebeii etiam, ædilesque curules
  Sacra, Sigillorum nomine dicta, colunt.
Et gladiatores funebria prælia notum
  Decertasse foro: nunc sibi arena suos
Vindicat: extremo qui jam sub fine Decembris
  Falcigerum placant sanguine Cœligenam.

nomine Latino Liberalium ludos Dionysiacos, quos Bacchus sibi votos consecrat. Ædiles quoque plebeii, et Ædiles Curules celebrant sacra appellata nomine Sigillorum. Notum quoque est omnibus gladiatores edidisse in foro certamina in funeribus; jam vero mancipati sunt arenæ Amphitheatri: atque ii circa finem extremum mensis Decembris cruore suo litant filio Cœli falce armato.

NOTÆ

29 *Dionysiacos, &c.*] Liberalia in Liberi patris honorem, die Martii 17. qui est XVI. Kal. April. Horum ritus et causas vide apud Ovid. lib. Fast. III. Sed cave ne Liberalia cum Bacchanalibus confundas.

32 *Sacra, Sigillorum nomine*] Sigillaria quæ postridie Opalium celebrabantur mense Decembri. De his jam supra egimus.

36 *Falcigerum placant, &c.*] Respicere videtur ad antiquum morem Saturno humanas hostias mactandi. Pro quo cereos accensos postea substituerunt, ut monui cum de Sigillariorum festo agerem. Nam exhibitos Saturnalibus gladiatorios ludos non memini me legere.

DE LUSTRALIBUS AGONIBUS. 386

QUATUOR antiquos celebravit Achaia ludos.
  Cœlicolum duo sunt, et duo festa hominum.

Quatuor ludi celebrabantur olim in Achaia. Duo fiebant in honorem Deorum, et

2 Elegantius videtur, judice Tollio, *sunt duo f. h.* qui dicit τὸ *sunt* repetitum, semel, ut fit, a librariis neglectum fuerat.

NOTÆ

De lustralibus agonibus] Hoc est, de ludis Quinquennalibus qui quinto quoque anno redirent; Πενταετηρικοῖς dictis apud Græcos. Isthmia tamen, et Nemea triennalia fuisse ex Pindaro et ejus veteribus commentatoribus apparet.

1 *Quatuor antiquos*] Desumta hæc ex Antholog. lib. I. Epigrammate 1. quod vide.

Sacra Jovis, Phœbique, Palæmonis, Archemorique:
  Serta quibus pinus, malus, oliva, apium.

duo in honorem hominum. Sacra nempe erant Jovis, et Apollinis, Palæmonis, et Archemori; atque in his coronæ erant ex pinu, lauro, oleastro, et apio.

NOTÆ

3 *Sacra Jovis*] Olympia Pisæ in Elide prope Alpheum fluvium.

Phœbique] Pythia in Pythone urbe Delphorum ad Parnassum.

Palæmonis] Isthmia in Isthmo prope Corinthum. Vide infra Notas in Carmen proximum.

Archemorique] Nemea in Nemea Peloponnesi regione inter Argos et Corinthum.

4 *Serta*] Coronæ quæ victori præmia sunt.

Pinus] In Isthmiis certaminibus.

Malus] In Pythiis lauru coronabatur victor, sed et mala quædam ex templo Apollinis Sacerdotes victoriæ præmium proposuisse ex Luciani dialogo de Gymnasiis cognoscimus. Ad quæ respexit auctor Græci Epigrammatis supra citati, et respexisse hujus auctorem, illius interpretem, minime dubito. Quanquam paulo minus proprie *malus* posuerit pro *malum*, vel *mala*. Nam ut *mali* nomine significatione latiori intelligendam *laurum* existimem, non possum in animum mihi inducere.

Oliva] In Olympiis corona oleaginea victor coronabatur.

Apium] Corona ex Apio, in Nemeis.

DE LOCIS AGONUM. 387

PRIMA Jovi magno celebrantur Olympia Pisæ.
Parnassus Clario sacravit Pythia Phœbo.
Isthmia Portuno bimaris dicat acta Corinthi.

[redacted]

Archemori Nemeæa colunt funebria Thebæ.

...cerunt Isthmia Palæmoni. Thebæ celebrant ludos funebres Archemori sub nomine Nemeæorum.

NOTÆ

...num. Fiebant enim Isthmia ad maris littus quod Græcis ἀκτὴ, unde 'acta,' quæ vox legitur etiam apud Virg. lib. v. Æneid. At cujus codicis auctoritate sic reposuerit non liquet. Erat enim in membranis Lugdun. mendose, *dicata Corinthos*, unde probabiliter satis restituebat Vinetus *dicat alta Corinthos*, vel *dicat Acrocorinthos*, (sic Corinthi arcem appellabant.) Bimaris hic Corinthus dicitur, ut apud Horat. Od. vii. lib. i. quia inter duos sinus, Cirrhæum et Saronicum, in medio Isthmo posita, e duobus portubus, Cenchreis et Lecheo, in Ionium et Ægæum maria naves mittit.

4 *Archemori, &c.*] Hic etiam Opheltes dictus infans, Lycurgi Nemeæ regis filius, ab Hypsipyle nutrice, dum Achivis, qui ad Thebarum obsidionem proficiscebantur, sitientibus Langiam fontem ostenderet, in herba depositus, serpentis morsu interiit. At Achæi principes, Manium ejus placandorum causa, ludos ei funebres instituerunt, Nemeaque appellarunt. Et fons ille, ac fluvius ab eo manans dictus est Archemorus, ut ex Apollodoro, Hygino, et Statio discere est. Sunt tamen qui Nemea in honorem Herculis instituta dicant, ob interfectum ab eo Nemeæ sylvæ Leonem. Quin et infra Noster eorum auctorem facit ipsum Herculem.

DE AUCTORIBUS AGONUM. 388

PRIMUS Olympiacæ sacravit festa coronæ
Jupiter Argivi stadia ad longissima Circi.
Proximus Alcides Nemeæ sacravit honorem.

Jupiter primus instituit ad longissimum stadium Circi Argivi certamina Olympiacæ palmæ. Post eum Hercules consecravit ludos Nemeæos. Ea quoque certamina

2 *Argivis* Vulg.

NOTÆ

2 *Jupiter*] De Olympiorum auctore mira varietas. Alii Jovem faciunt eorum auctorem, alii Herculem, alii alios. Instauravit certe eos Iphitus, a cujus tempore numerari Olympiades cœperunt.

Stadia ad longissima] Aliis Græciæ stadiis longiora. Circus enim ille seu stadium Elæum, ab Hercule metatum, sexcentos ejus habuit pedes. At cum ii ceterorum hominum pedibus essent longiores, stadium etiam illud ceteris stadiis, quibus sexcenti quoque hominum pedes erant, longius fuit. Unde, comparatione illius cum aliis, Herculis magnitudinem conjecisse Pythagoram ex Plutarcho refert A. Gellius Noct. Attic. l. i. c. 1.

3 *Alcides Nemeæ, &c.*] Juxta quorundam opinionem, qui, ut jam mo-

Hæc quoque temporibus quinquennia sacra notandis.
Isthmia Neptuno data sunt, et Pythia Phœbo,
Ancipiti cultu Divorum hominumque sepultis.

quinquennalia dicata fuerunt designandis temporibus. Ludi Isthmici tributi fuerunt Neptuno auctori, Pythici vero Apollini, atque ii omnes ludi instituti sunt in duplicem honorem, Deorum scilicet, et hominum mortuorum.

NOTÆ

nui, institnta ab Hercule in Jovis honorem, post interfectum Nemeæ Leonem, Nemea volunt; cum alii dicant in honorem Archemori infantis ea fuisse primum instituta. Videndus Statius lib. Theb. v. et vi. et veteres Pindari Scholiastæ.

4 *Quinquennia sacra*] Olympiaca certamina quinquennalia fuisse, hoc est, 5. quoque anno redire solita, et ab iis numeratas fuisse Olympiadas, notum omnibus. Pythia novennalia primum, deinde quinquennalia fuere. Plinius quoque lib. iv. quinquennalia facit Isthmia. At Nemea facit tantum triennalia Statius in fine lib. iv. Thebaid. 'Cum tristem Hypsipylen ducibus sudatus Achivis Ludus, et atra sacrum recolit trieteris Opheltem.'

5 *Isthmia Neptuno, &c.*] Isthmiorum auctorem alii Sisyphum, alii Theseum Neptuni filium, alii alios faciunt.

Pythia Phœbo] Qui, ut habet Ovid. lib. i. Metam. 'Instituit sacros celebri certamine ludos, Pythia perdomitæ serpentis nomine dictos.'

6 *Ancipiti cultu, &c.*] Vide versus mox sequentes.

QUOD IIDEM, QUI SACRI AGONES SUNT, ET FUNEBRES LUDI HABEANTUR. 389

Tantalidæ Pelopi mœstum dicat Elis honorem.
Archemori Nemeæa colunt quinquennia Thebæ.
[redacted]

[redacted]

Pythia placando Delphi statuere Draconi.

ob mortem Palæmonis. Delphi instituerunt certamina Pythica, ad placandum Draconem.

NOTÆ

4 *Draconi*] Innuit instituta Pythia, quasi ludos in Draconis funere, placandorum ejus Manium causa. Quod alibi non memini me legere.

AUSONII

BURDIGALENSIS

EPISTOLARUM

LIBER.

I. AUSONIUS AD PATREM, DE SUSCEPTO FILIO.. 390

Credideram nil posse meis affectibus addi,
  Quo, venerande pater, diligerere magis.
Accessit, (grates Superis medioque nepoti,
  Bina dedit nostris qui juga nominibus.
Ipse nepos te fecit avum: mihi filius idem,
  Et tibi ego: hoc nato nos sumus ambo patres.

[redacted]

[redacted]

Nec jam sola mihi pietas mea suadet amorem:
Nomine te gemini jam genitoris amo.)
Accessit titulus, tua quo reverentia crescat:
Quo doceam natum, quid sit amare patrem.
Quippe tibi æquatus videor, quod parvulus isto
Nomine honoratum me quoque nobilitat;
Atque ætas quia nostra eadem: nam supparis ævi
Sum tibi ego, et possum fratris habere vicem.
Nec tantum nostris spatium interponitur annis,
Quanta solent alios tempora dividere.
Vidi ego natales fratrum distare tot annis,
Quot nostros: ævum nomina non onerant.

nunc unica pietas inspirat mihi amorem in te: diligo te nunc titulo duplicis patris.) adjectus est, inquam, titulus, qui augeat meam in te venerationem: ut ostendam filio quid sit parentem diligere. Etenim videor tibi æquiparatus, quoniam hic infantulus me etiam decorat et insignit hoc nomine patris. Et quoniam eodem pæne natu sumus. Sum enim ætatis tuam proxime sequentis, et possum haberi frater tuus. Neque tantum intervallum intercedit inter nostros annos, quanta spatia temporis solent intercedere inter alios patres et natos. Ego vidi dies natales quorundam fratrum totidem annis distantes, quot nostri distant. Nomina patris et filii non

8 Pro *gemini* conjicit Gronovius *gemino*.—11 *Quia parvulus iste* Vulg. *Isto* reposuit Tollius, ex conjectura Vineti.—12 Idem Toll. malit, *honorato*.—14 *Abare vicem* Scaliger, pro *vice*, quod est vulg. Sed vid. Not. Var. et

NOTÆ

murmura cum primis meditaretur verbis absolvere. Cum autem ille matri superstes non fuerit, quæ nondum quater septenos Decembres impleverat, (ex Parental. IX. ubi juvenis juveni viro est erepta,) hinc facile colliges non multa ante hanc Epistolam ab Ausonio scripta fuisse Carmina, tunc temporis annos viginti quinque vix supergresso. Quod si res aliter se haberet, nil magis insulsum foret, quam ea quæ toties inculcat Poëta, se parentis ævo supparem esse, eumque fratris vicem habere posse, nec tantum spatii inter utriusque annos interponi, quanta alios tempora solent dividere.

13 *Supparis ævi*] Proxime sequentis, et pæne paris; quale potest esse patris, et filii juvene admodum patre suscepti.

14 *Et possum fratris habere vicem*] Planus locus, in quo nodum velut in scirpo quærit Scaliger, qui *abare* pro *habere* nobis conatur obtrudere, et interpretatur ἀδελφίζειν, hoc est, fratres se mutuo appellare. Huic commento non possum accedere.

* *Et possum fratris habere vicem*] Pro more eruditorum, qui tales videri affectant, locum hunc valde expeditum intricat Scaliger, dum pro *habere* reponit *abare*, quod est ἀδελφίζειν. Antea dixit Ausonius, 'supparis ævi sum tibi ego:' sequitur, 'et possum fratris habere vicem:' nempe τὸ tibi, refertur ad utrumque hujusce orationis membrum.

Pulchra juventa tibi senium sic jungit, ut ævum,
Quod prius est, maneat: quod modo, ut incipiat.
Et placuisse reor geminis ætatibus, ut se
Non festinato tempore utraque daret.
Leniter hæc flueret, hæc non properata veniret,
Maturam frugem flore manente ferens.
Annos me nescire tuos, pater optime, testor:
Totque putare meos, quot reor esse tuos.
Nesciat hos natus, numeret properantior hæres,
Testamenta magis, quam pia vota fovens:
Exemploque docens pravo juvenescere natos,
Ut nolint patres se quoque habere senes.

gravent ætatem. Decora juventus sic conjungitur in te cum senectute, ut prior ætus remaneat in te, licet posterior inchoëtur. Ac puto sic visum esse utrique illi ætati, ut ambæ sese exhiberent in te, ævo non properato. Adeo ut illa lente laberetur, hæc accederet non accelerata, proferens fructum maturum flore adhuc remanente. Profiteor me ignorare numerum tuorum annorum: et numerare totidem tuos, quot puto esse meos. Filius eos ignoret, hæres nimis festinans numeret illos, inhians magis testamentis, quam pia vota concipiens: et monstrans malo exemplo filiis sic adolescere, ut indignentur se etiam senes factos habere adhuc patres. At

inf.—19 *Sibi* legit Heinsius pro *tibi*, qui et mox, *utramque daret.*—26 Habuit exemplar, hoc priore loco *tuos*, in fine versus *meos.*—27 *Nesciat hoc* Vulg.—

NOTÆ

[redacted]

Verum ego primævo genitus genitore, fatebor
Supparis hæc ævi tempora grata mihi.
Debeo quod natus, suadet pia cura nepotis,
Addendum patri, quo veneremur avum.
Tu quoque, mi genitor, geminata vocabula gaude,
Nati primævi nomine factus avus.
Exiguum quod avus: faveant pia numina Divum,
Deque nepote suo fiat avus proavus.
Largius et poterunt producere fata senectam:
Sed rata vota reor, quæ moderata magis.

ego qui natus sum patre in prima juventa constituto, profitebor mihi esse jucundum, quod ætate simus pene pari. Pium studium tui nepotis monet me id reverentiæ adjicere mihi suo patri, quod tibi debeo tanquam tuus filius, ut sic colamus te avum. Tu etiam, pater mi, lætare nomina tua duplicata esse, cum factus sis avus opera filii juvenis. Parum est quod pater meus factus sit avus. Superi nobis propitii sint, et avus fiat proavus ex suo nepote. Fata etiam poterunt longius extendere ejus senectutem: verum existimo ea vota potius exaudiri, quæ moderatiora sunt.

29 Vid. inf.—33 Tollendum τελείαν ὑποστιγμὴν post *natus* monet Gronovius, qui etiam in versu seq. conjicit, *Augendum patri.*

NOTÆ

* 32 *Supparis hæc ævi tempora grata mihi*] Dignos aurea ætate affectus, ac propemodum ferrea hac ætate admirabiles, qua, ut canit Ovidius, Metam. I. 'Filius ante diem patrios inquirit in annos,' hæresque properantior docet exemplo suo natos iis animis adolescere, veluti Poëta noster ait: 'Ut nolint patres se quoque habere senes.'

33 *Debeo quod natus, suadet, &c.*] Sic interpungit, et interpretatur Gronovius, ut ego interpretatus sum.

40 *Rata vota*] Probari a Diis, et effectum suum consequi, ea vota quæ moderatiora sunt.

II. PATER AD FILIUM; CUM TEMPORIBUS TYRANNICIS IPSE TREVERIS REMANSISSET, ET FILIUS A PATRE PROFECTUS ESSET. HOC INCHOATUM NEQUE IMPLETUM SIC DE LITURARIIS SCRIPTUM. 391

DEBEO et hanc nostris, fili dulcissime, curis

Jucundissime nate, poscunt a me meæ solicitudines, ut scribam tibi hanc earum

Titulus hic fuit in antiquo libro: *Incipit pater ad filium.* Alii, *ad patrem*

[redacted]

Historiam: quanquam titulo non digna sereno
Anxia mœstarum fuerit querimonia rerum.
Jam super egelidæ stagnantia terga Mosellæ
Protulerat te, nate, rates: mœstique parentis
Oscula et amplexus discreverat invidus amnis.
Solus ego; et quamvis cœtu celebratus amico,
Solus eram: profugæque dabam pia vota carinæ,
Solus adhuc te, nate, videns: celerisque remulci

historiam: quamvis solicita querela tristium rerum non mereatur placidum nomen historiæ. Jam navis te provexerat, o fili, super lene fluentum frigidi Mosellæ: et fluvius invidus separaverat oscula, et complexus tristis genitoris tui. Ego solus eram; et quanquam comitatus essem turba amicorum, solus tamen eram; et prosequebar tuam fugitivam ratem piis votis, solus adhuc aspiciens te, o fili: et incusa-

NOTÆ

* Quam pio erga parentem affectu Poëta extiterit, prior Epistola docuit: testatur hæc quam tenero in filium affectu fuerit. Utraque nunquam satis legenda, et quæ prodat Ausonii judicium, dum affectus quos debuit sic expressit, ut natura ipsa loqui videatur. In hac plus virium, in illa plus ingenui candoris. Hæc plus habet teneritudinis anxiæ (abest enim sua cura Hesperius;) illa plus venerationis.

E carminis titulo, ubi agitur de *temporibus tyrannicis* colligunt Vinetus et noster, Treveris carmen ab Ausonio scriptum, quibus temporibus occupata tyrannide Maximus Gratianum interfici jussit. Qua occasione, quo anno scriptum, silent. Suspicor ad annum 384. referendum, quo Hesperius Treveris Romam a Valentiniano 2. missus fuit: qui crimina Symmacho tum Romæ agenti objecta cognosceret. Certe Symmachus lib. x. Epist. 43. sibi gratulatur, 'contumeliarum quas pertulit,' testem habere comitem Hesperium, qui semper amicus esset veritati, et famam bonorum coleret.

Pater ad filium, &c.] Hic titulus a manu est illius, qui Ausoniana poëmata in ordinem digessit, quem ipsi Ausonio supparem fuisse vel hic titulus indicat.

Ad filium] Hesperium, ut puto. Puer enim mortuus erat filius alter Ausonius.

Temporibus tyrannicis] Non alia possum hic intelligere tempora tyrannica, quam ea quibus Maximus, occupata apud Britannos tyrannide, Gratianum vicit in Gallia, captumque interfecit.

Ipse] Pater Ausonius.

Neque impletum] Nondum perfectum.

De liturariis] Sic lege, non *literariis*. Liturarii, ut jam observavimus ad Præfationem Centonis ad hæc verba, 'Hoc die uno, et addita lucubratione properatum, modo inter liturarios cum reperissem,' sunt chartæ in quibus prima scriptionis nostræ concepta perscribimus. Quæ, quoniam crebris lituris eorum, quæ displicuerunt, plenæ sunt, liturarii non male a Nostro appellantur.

2 *Quanquam*] Correctio.

4 *Stagnantia*] Tam placide labentia, ut stagnare videantur.

7 *Cœtu amico*] Cœtu puta amicorum qui filium abeuntem una cum patre prosecuti erant.

9 *Remulci*] Remulcus proprie est

[redacted]

Culpabam properos adverso flumine cursus.
Quis fuit ille dies? non annus longior ille est,
Attica quem docti collegit cura Metonis.
Desertus, vacuis solisque exerceor aris.
Nunc ego pubentes salicum deverbero frondes:
Gramineos nunc frango toros: viridesque per ulvas
Lubrica substratis vestigia libro lapillis.
Sic lux prima abiit: sic altera meta diei.
Sic geminas alterna rotat vertigo tenebras,
Sic alias: totusque mihi sic annus abibit,
Restituant donec tua me tibi fata parentem.

bam cursum velocis navigii nimis festinantem adverso amne. Qualis mihi fuit ille dies? Ille annus, quem studium eruditi Metonis Atheniensis supputavit, non est longior. Ego derelictus, exerceo me in crepidinibus Mosellæ vacuis et desertis. Modo ego percutio folia lanuginosa salicum: modo rumpo toros herbarum: et per ulvas virentes figo gressus lapsantes lapidibus subjectis. Hoc modo prima pars diei: hoc modo altera ejus pars elapsa est. Hoc modo alternus circuitus astrorum circumagit duas noctes, hoc modo circumagit alias: et solidus annus hoc modo mihi elabetur, donec tua fortuna me patrem tuum tibi reddat. Paciscar quanquam ea

.... *literariis.*—13 *Arvis* pro *Aris* legit Gronovius. Vid. inf.

NOTÆ

actuaria navis, quæ aliam tempestate aut bellicis tormentis quassatam, ac spoliatam armamentis, alligato fune, remigum opera trahit. At hic nihil aliud intellige per remulcum, quam ipsam, qua vehebatur Ausonii filius, navem remis actam.

10 *Properos adverso flumine cursus*] Quod fiebat fluenti Mosellani placiditate.

11 *Non annus longior ille est, &c.*] Annus Metonicus, annos vulgares continens novemdecim. Meton enim Atheniensis Astrologus, primus deprehendit Lunam ad idem Zodiaci punctum, ex quo cum Sole profecta erat, cum eodem Sole reverti post annos præcise novemdecim, quem numerum aureum appellavit. Manetque etiam nunc in Kalendariis nostris.

13 *Aris*] Sic legit Scaliger, et intelligit crepidines prominentes earum molium quibus flumina coërcentur. Quod adductis Virgilii et Tertulliani locis probat. Hunc secutus sum in Interpretatione, eo libentius quod quæ sequuntur, 'salicum deverbero frondes,' &c. in margine fluvii omnia geri videntur.

20 *Tua me tibi fata parentem*] Hæc sic mutat Gronovius: *mea te mihi vota parenti*, quo fundamento, ipse viderit. Ego scriptam lectionem expressi in Interpretatione.

* *Restituant donec tua me tibi fata*] Quæ te gerendis Reipublicæ negotiis idoneum a parente ejusque amplexu nunc divellunt.

Hac ego conditione licet, vel morte paciscar:
Dum decores suprema patris, tu nate, superstes.

lege, aut etiam morte mea, ut tu, fili, mihi supervivens honestes funera tui parentis.

NOTÆ

21 *Hac ego conditione, &c.*] Accedo Tollio legenti *hac ego conditione*, &c. et eam conditionem, accipio, dies alios ex aliis et annos misere ducendi procul a filio. Vide Interpretationem.

III. AUSONIUS HESPERIO. 392

QUALIS Picenæ populator turdus olivæ,
  Clunes opimat cereas:
Vel qui lucentes rapuit de vitibus uvas,
  Pendetque nexus retibus,
Quæ vespertinis fluitant nebulosa sub horis,
  Vel mane tenta roscido:
Tales hybernis ad te de sepibus, ipsos
  Capi volentes, misimus,
Bis denos: tot enim crepero sub lucis Eoæ
  Præceps volatus intulit.

Qualis est turdus, qui pinguefacit suas clunes adipe candentes, vastando olivas Picenas: aut qui abripuit e vineis racemos splendentes ob maturitatem, et pendet implexus plagis, quæ expansæ jactantur instar nebulæ sub vesperum, vel sub mane rorulentum: tales hos duodecim ex sepibus hyemalibus misimus tibi, sponte sua [redacted]

Tum quas vicinæ suggessit præda lacunæ,
  Anates maritas junximus,
Remipedes, lato populantes cœrula rostro,
  Et crure rubras punico.
Iricolor vario pinxit quas pluma colore,
  Collum columbis æmulas.
Defrudata meæ non sunt hoc fercula mensæ.
  Vescente te, fruimur magis.
    Vale bene, ut valeam.

Auroræ. Insuper adjecimus anates aquaticas, pedibus ceu remis utentes, deprædantes mare rostro suo lato, et rubicundas crure puniceo, quas venatio proximi stagni nobis suppeditavit. Quas pluma referens arcum pluvium distinxit diversis coloribus, collo imitantes columbas. Non subtractum est hoc munus dapibus meæ mensæ. Magis eo potimur te comedente, quam si ipsi comederemus. Bene vale, ut bene valeam.

---

12 *Marinas* legendum putat Vinetus.—17 '*Debrudata* in veteri codice, pro *Defrudata*, ut puto, quod idem est ac *defraudata*, quemadmodum apud Terentium in principio Phormionis, 'suum defrudans genium.'' *Vinetus.* *Hæc f.* fuit in vetustiss. libro.

NOTÆ

12 *Anates maritas*] Bene Vinetus *marinas* suspicatur. Mox enim: 'Lato populantes cœrula rostro.' Exposui, in Interpretatione, aquaticas. Si tamen *maritas* retinere velis, expone, Turdis maritavimus Anates, hoc est, adjunximus. Sic ulmos et populos altas vitibus maritare dicunt, pro adjungere.

13 *Remipedes*] Pedibus, vice remorum, ad agenda huc illuc corpora utentes.

* 15 *Iricolor vario, &c.*] Ab Iridis vario colore vocem 'Iricolor' deduxit Poëta. Notat Scaliger ad Catalect. 'Iride magis varius' adagii speciem apud Philostratum habere. Icon. lib. I. in Amphi. *οὐ γὰρ ἀφ' ἑνὸς φέρει χρώματος, ἀλλὰ τρέπεται καὶ κατὰ τὴν ἶριν μεταυθεῖ.*

17 *Defrudata*] Defraudata. Sic Terent. Phorm. 'Quod ille suum defrudans genium comparsit miser.'

Hoc] Sic Scaliger pro *hæc*; 'hoc' intellige 'munere.'

IV. AUSONIUS THEONI SUO S. 393

Ausonius, cujus ferulam nunc sceptra verentur,

Ego Ausonius, cujus ferula jam est formidabilis sceptris, salutem dico Theoni

NOTÆ

1 *Ausonius, &c.*] De hac Epistola sic Scaliger: 'Epistola hæc digna est, quæ non solum propter eruditionem, sed etiam propter urbanitatem legatur: Theonem enim ad Domnotinum, qui erat pagus in Medulis, in colonica villa morantem, mirum qua libertate exagitet, et stuporem

Paganum Medulis jubeo salvere Theonem.
Quid geris, extremis positus telluris in oris,
Cultor arenarum vates? cui littus arandum,
Oceani finem juxta, Solemque cadentem:
Vilis arundineis cohibet quem pergula tectis,
Et tingit piceo lacrymosa colonica fumo.
Quid rerum, Musæque gerunt, et cantor Apollo?
Musæ non Helicone satæ nec fonte caballi:
Sed quæ fœcundo de pectore Clementini,

degenti in pago Medulorum.

Quid agis positus in ultimis finibus terræ, o poëta incola arenarum? Cui arandum est littus, prope terminos Oceani, et occidentem Solem: quem vilis pergula complectitur sub tecto ex arundinibus, et villula lacrymosa inficit nigro fumo. Quid rerum Camenæ et Apollo vates agunt? Camenæ non genitæ in monte Helicone, neque ad Hippocrenen: sed quæ prodeuntes ex fertili genio Clementini, inspirant

2 Sic in vet. libro. In vulgatis erat, *P. e Medulis.*—10 Legitur et, *facun-*

NOTÆ

Medulum Vibisco sale perfricet.'

Cujus ferulam, &c.] Hinc patet scriptam hanc ab Ausonio Epistolam, cum in Valentiniani Augusti aula et comitatu degens, filium ejus Gratianum doceret literas. Facete autem ferulam confert cum sceptris. Quidni? cum 'ferulæ tristes sceptra sint Pædagogorum,' teste Martiali?

2 *Paganum Medulis*] Ut apud Plau-

dem, at nullus mirandi locus; cum Poëta non procul ab eo tractu prædium habuerit. Medulinum solum valde arenosum, et arboribus consitum picem ac resinam ferentibus; hoc duntaxat felix nomine, quod illi Oceanus Ostrea Bailis certantia effundit. De quibus Medulinis vulgo creditur accipiendum illud Sidonii lib. VIII. Epigr. XII. 'Medulicæ su-

[redacted]

Inspirant vacuos aliena mente poëtas.
Jure quidem: nam quis malit sua carmina dici,
Qui te securo possit proscindere risu?
Hæc quoque ne nostrum possint urgere pudorem,
Tu recita: et vere poterunt tua dicta videri.
Quam tamen exerces Medulorum in littore vitam?
Mercatusne agitas, leviore nomismate captans,
Insanis quod mox pretiis gravis auctio vendat?
Albentis sevi globulos, et pinguia ceræ
Pondera, Naryciamque picem, scissamque papyrum,

alieno ingenio vates inanes proprio. Merito quidem: quis enim malit versus, quos recitas, appellari suos, quam tuos, qui possit te secure deridere, tam male eos recitantem, ut tui plane videantur? Tu etiam recita hæc, quæ ad te mittimus, ne mihi possint esse pudori: et poterunt vere existimari esse tua verba. Dic tamen quam vitam degis in littore Medulorum? Exercesne mercaturam, conans emere minori pecunia, quod postea auctione gravi distrahas magno pretio? Scilicet candentes orbes sebi, et massas ceræ pingues, et picem Naryciam, et papyrum sectam in tenuia



do.—14 *Hoc quoque* Vulg.—19 *Albentes* fuit in vet. cod. et sic habent edd.

NOTÆ

10 *Clementini*] Putat Scaliger hoc nomen fuisse Theonis. Vinetus Clementinum intelligit bonum aliquem poëtam, cujus versus Theon usurpaverit, et male recitando suos fecerit, ut Fidentinus ille apud Martialem. Vineto accedo libens.

12 *Jure quidem*] Supplendum, 'Clementini Musæ tuæ habentur cum ejus versus male recitando fœdasti.'

13 *Securo risu*] Non timens ne existimari possit sua ipsius deridere carmina, cum ea a te pronuntiata deriserit. Adeo vultum mutarunt, et, ut ita dicam, ejurarunt ortum, ut ea nemo alii quam tibi sit ascripturus. Jocus hic liberior certe et præter jus amicitiæ, ut et multa eorum quæ sequuntur.

14 *Hæc quoque*] Carmina e castris minus accurate scripta.

Ne nostrum possint urgere pudorem] Mihi celebri poëtæ et magistro Cæsarum Ausonio pudori esse tanquam me indigna.

* 17 *Leviore nomismate*] Desposius exponit, non legitimi ponderis, quod ferri potest; neque enim Theon hic describitur a furto alienus. Vinetum secutus expono, minore pecunia emta, quæ majore postea divendat.

19 *Pinguia ceræ Pondera*] Cera et apibus abundat tota illa regio Medulorum.

20 *Naryciamque picem*] Desumtum ex hoc Virgilii Georgicon lib. II. 'Naryciæque picis lucos.' Narix, seu Naryce, seu Narycium, apud Stephanum de Urbibus, urbs est Locrorum. Hinc 'picis' Epitheton 'Narycia,' eo quod magna ibi reperiatur picis copia.

Scissamque papyrum] Scissam acu in pertenues, sed quam latissimas philuras, ut habet Plin. lib. XIII. cap.

Fumantesque olidum paganica lumina tædas?
An majora gerens, tota regione vagantes
Persequeris fures? qui te, postrema timentes,
In partem, prædamque vocent. tu mitis, et osor
Sanguinis humani condonas crimina nummis,
Erroremque vocas, pretiumque imponis abactis
Bobus, et in partem scelerum de judice transis?
An cum fratre vagos dumeta per avia cervos
Circumdas maculis, et multa indagine pinnæ?
Aut spumantis apri cursum clamoribus urges,

folia, et tædas, emittentes fumum grave olentem, quæ sunt faces rusticæ? An vero exercens munus honestius, sectaris prædones grassantes per totam provinciam? Qui metuentes ultimum supplicium, participem te faciant suæ prædæ. Tu autem clemens, et abhorrens a cruore humano, remittis scelera, pecuniæ causa, et crimen appellas errorem, et statuis certum pretium tibi solvendum in singulas boves amotas, atque ex judice fis particeps criminum? An cum fratre tuo cingis retibus, et longa linea e pennis, cervos errantes per senticeta devia? Vel vociferationibus instas cursui apri

NOTÆ

11. et aqua Nili, vel glutino in chartas extensam, et conglutinatam. De papyro plura vide apud Plinium dicto loco. Certe peregrina hæc merx erat in Medulis. Neque enim nasci illic papyrum usquam legitur.

21 *Tædas*] Genus est arboris tæda resinam ferens, ideoque facile ardens, et aptum facibus. Hic ‘ tædas’ faces videtur intelligere ex pinu aliisve arboribus resiniferis quibus Medulorum regio abundat, quas ‘ paganica

damnari solent: puniuntur autem durissime non ubique, sed ubi frequentius est id genus maleficii: alioquin et in opus, et nonnunquam temporarium dantur.’

29 *Multa indagine pinnæ*] Formidinem intelligit quam sic describit Nemesianus: ‘ Linea quin etiam magnos circumdare saltus Quæ possit, volucresque metu concludere prædas, Digerat innexas non una ex alite plumas. Namque ursos, mag-

[redacted]

Subsidisque fero? moneo tamen, usque recuses
Stringere fulmineo venabula cominus hosti.
Exemplum de fratre time, qui veste reducta
Ostentat fœdas prope turpia membra lacunas,
Perfossasque nates vicino podice nudat.
Inde ostentator volitat: mirentur ut ipsum
Gedippa, Ursinusque suus, prolesque Jovini,
Taurinusque, ipsum priscis heroibus æquans.
Qualis in Olenio victor Calydonius apro,
Aut Erymantheo pubes fuit Attica monstro.
Sed tu parce feris venatibus, et fuge nota
Crimina sylvarum: ne sis Cinyreia proles,

spumantis, et expectas bestiam illam in insidiis? Moneo te nihilominus, ut semper refugias intentare e proximo pila in hostem armatum fulmineis dentibus. Metus edoctus exemplo fratris, qui revocato sursum amictu monstrat turpes fossas juxta membra pudenda, et revelat clunes perforatas prope anum. Hinc discurrit ostentans suas illas plagas: ut Gedippa, et amicus suus Ursinus, et filius Jovinii, et Taurinus æquiparans ipsum heroibus antiquis, admirentur eum. Qualis fuit Meleager Calydonius, cum superavit aprum Olenium, aut juvenis Atticus, cum vicit portentum Erymantheum. At tu abstine a venationibus animalium ferocium, et evita bestias quas notum est cædes edere in sylvis: ne evadas filius Cinyræ, et fias novus Adonis

Delph. et Toll.—33 Vinetus putat in antiquo libro fuisse, *revincta*.—38 Sic antiqui libri: alii *Tarrinus*.—42 Alii, *nec sis*.—47 Sic antiqui libri, et ex im-

NOTÆ

31 *Subsidisque fero*] Servius ad hunc versum lib. XI. Æneid. 'Devicta Asia subsedit adulter.' 'Legitur,' inquit, 'et Devictam Asiam: quod si est, ita intelligimus, ut subsedit, sit dolo possedit. Lucanus: subsidere regnum Chalcidos Euboicæ. Unde et subsessores dicuntur, qui in insidiis tauros interimunt: et hostium dolo subsessos vocamus.' Hoc sensu hic 'subsidere' est insidiari.

* *Subsidisque fero*] Desponsius interpretatur equo: quod mihi rectius videtur quam, quæ alii et noster quoque huc attulerunt. Quo enim pacto fieri potest, ut spumantis apri cursum urgeret nisi equo insideret?

32 *Fulmineo ... hosti*] Apro, cujus dentes majores appellantur dentes fulminei, et fulmina.

37 *Gedippa, &c.*] Hæc sunt Medulicorum hominum nomina.

39 *Olenio*] Qui regionem circa Olenum vastabat Calydonius aper a Meleagro interfectus narratur apud Ovid. VIII. lib. Metam. quem vide.

40 *Aut Erymantheo*] Aliud monstrum Erymantheum non legimus, quam Aprum in Erymanthi sylva ab Hercule interfectum. At Hercules Alcmenæ filius, Thebanus erat, Bœotius, non Atticus. Quomodo ergo pubes Attica hic dicitur? Nisi forte Atticæ accensitam aliquando Bœotiam conterminam regionem dicamus.

42 *Cinyreia proles*] Adonis Cinyræ ex incesto Myrrhæ filiæ concubitu filius.

Accedasque iterum Veneri plorandus Adonis.
Sic certe crinem flavus, niveusque lacertos,
Cæsariem rutilam per candida colla refundis:
Pectore sic tenero, plana sic junceus alvo,
Per teretes feminum gyros, surasque nitentes
Descendis, talos a vertice pulcher ad imos.
Qualis floricoma quondam populator in Ætna,
Virgineas inter choreas Deoida raptam
Sustulit emersus stygiis fornacibus Orcus.
An quia venatus ob tanta pericula vitas,
Piscandi traheris studio? nam tota supellex
Domnotoni tales solita est ostendere gazas,

rursum deflendus Veneri. Profecto tu sic flavam habes comam, et brachia candida, ac dispergis aureos capillos per niveam cervicem: sic habes pectus tenerum, sic plano ventre tenuis es instar junci, et inferne desinis in circuitus femorum rotundos, et suras pulchras, formosus a capite ad infimum calcem. Qualis Pluto olim erumpens e caminis infernis, vastans Ætnam floribus comantem, abstulit filiam Cereris raptam inter choros puellarum. An duceris amore piscandi, quoniam fugis venationes propter tanta discrimina? In omni enim instrumento domus tuæ apud Domnotonum

pressis nonnulli: alii, *femorum*.—49 Alii, *Enna*.—55 Censet Gronovius Au-

NOTÆ

43 *Veneri*] Alicui tuæ amasiæ.

Plorandus] Si forte ab apro aliquo fueris interfectus, ut interfectus olim fuit Adonis. Vide lib. x. Metamorph. [redacted]

sam, Ennæ Siciliæ urbi vicinum lacum, rapta sit Proserpina. Mariangelus Accursius in medium relinquit *Ætna* legas, an *Enna*. Si Clau- [redacted]

Nodosas vestes animantum Nerinorum,
Et jacula, et fundas, et nomina villica lini,
Colaque, et indutos terrenis vermibus hamos.
His opibus confise tumes? domus omnis abundat

Cujusmodi opes conspicere solemus: indumenta nodosa animalium marinorum, et jacula, et fundas, et lina rusticanis nominibus insignita, et cola, et hamos lumbricis terrestribus involutos. Superbis fidens iis divitiis? Tota tua domus locuples referta est

onii manum fuisse, *nodosas pestes*.—56 '*Et villica*] In veteri libro disertim scriptum est: *et nomina villica lini*.' Scaliger. '*Et nomina bellicani*] Sic omnia exemplaria, præter vetus Lugdunense: quod cum *vilica lini* habere audisset Hadrianus Turnebus, pro illo *bellicani*, *nomina villica lini* emendandum censuit: sed nec sic hoc ego, quid sibi velit, satis video: quamvis *villica*, paganica, rusticanaque esse possint: et hic significari putem, quæ 'humida lina' dixit Virgilius, retis genus: quod appellari everriculum scribit vetus poëtæ interpres.' *Vinetus*.—57 '*Insutos t. v. h.*] Videtur hæc proba lectio; elegantiorem tamen censeam: *indutos t. v. h.*' Tollius.—60

NOTÆ

onis in Medulis. Suspicatur Vinetus esse parvum vicum Donissam nomine, paulum supra Blaviam, in ipsa fere Garumnæ ripa.

55 *Nodosas vestes*] Retia intellige. Suspicatur Gronovius *pestes*, non *vestes* legendum; acute sane, et valde probabiliter: sunt enim retia piscium pernicies. Secutus tamen sum veterem lectionem in Interpretatione.

Animantum Nerinorum] Piscium, Nerei animalium. A Nereo est Nerinus. Sic, 'Nerine Galathea' apud Virg. Ecloga VII.

56 *Et jacula, et fundas*] 'Rete jaculum,' Plauto Asinariæ Act. I. Sc. 1. idem ac funda. Servius ad illud Virg. G. lib. I. 'Atque alius latum funda jam verberat amnem:' 'Funda genus est retis dictum a fundendo: id est retinaculum (lege, rete jaculum) quod dicitur βόλος.' Ego illud existimaverim esse rete piscatorium, quod nostri *Epervier* appellant.

Et nomina villica lini] Vinetus anxie quærit cujusmodi rete his verbis designetur, et putat verriculum intelligendum. Ego alia omnia retia intelligo, quorum nomina rusticana versus ingredi non possunt, et quæ Ausonius generali hac appellatione expressa esse vult.

57 *Colaque*] Cola hic Passeratius non vimineos qualos, sed retis genus, quod a forma quadrata a nostratibus dici *un quarré*, ait, rete nimirum extremis duobus in decussem sese secantibus semicirculis alligatum, atque ex pertica pendulum, quod, cum esca in medio, in flumen demittitur, ac sursum deinde sublatum elapsa per maculas aqua pisces, si qui ad escam venerint, educit; inde Manilius, 'Et colare vagos inductis retibus amnes.' Sed præter ejusmodi rete, per cola, vimineas nassas, quæ Anguillis, et Cancris aliisque capiendis, ad imum flumen depressæ relinquuntur, intelligi quid vetet non video.

Indutos] Sic Tollius. In vulgatis *insutos*, quod ferri etiam potest. In Mosella tamen: 'Indutos escis jaciens mortalibus hamos.'

58 *Confise*] Pro confisus.

Littoreis dives spoliis: referuntur ab unda
Corroco, letalis Trygon, mollesque Platessæ,
Urentes Thynni, et male tecti spina Elegati,
Nec duraturi post bina trihoria Corvi.
An te carminibus juvat incestare canoras

præda littorali. Ab aqua reportantur Corroco, Trygon mortifer et Platessæ molles, Thynni manum lædentes, et Elegati male defensi spina sua, et Corvi corrumpendi intra sex horas. An delectaris polluere tuis versibus canoras filias Memoriæ, quæ

Carroco letalisque trygon Vulg. Vid. inf. *Platesæ*, unico *s*, in vetusto codice. —61 *Tinni* in vet. libro. Pro *Elegati* legitur et *elegatri*, et in vetusto libro *ligari*.—63 Sic habuit vetus liber: alii *camenas*.—65 *Agnoscere* Vulg.—66

NOTÆ

60 *Corroco*] Vocem esse Vibiscam putat Scaliger. Legitur et *Carroco*, et *Carrhoco*. Suspicatur Vinetus eum esse piscem, quem Burdigalenses *Creac de Buch*, hoc est, Creacum, seu Carrocouem Boiensem vocitant, et alio nomine Martram, scriptores Græci ῥίνην, Latini Squatinam, Rondeletio descriptum lib. XII. cap. 21.

Letalis Trygon] Τρυγὼν est avis turtur, et piscis vetustioribus Latinis Pastinaca dictus, planus, Rajæ non multum dissimilis, *Pastenaga* Burdigalensibus et Medulensibus ac Bo- [redacted]

illos Thunnos intelligit hic Vinetus vulgo notos, *des Thons*, sed pisces quosdam apud Medules et Burdigalenses appellatos *Toul*, oblongos et teretes, coloris majori ex parte cineracii, cute aspera, unde putat ab Ausonio dici 'urentes,' quod tractantium manum perstringant ac lædant.

Male tecti spina Elegati] Refutat hic Scaliger Turnebum consentem legendum esse *Elacati*, et intelligentem pisces illos qui Græcis ἐλακατῆνες dicuntur, ex thunnorum et cetaceo- [redacted]

Mnemosynes natas, aut tris, aut octo sorores?
Et quoniam huc ventum, si vis cognoscere, quid sit
Inter doctrinam, deridendasque Camœnas;
Accipe congestas mysteria frivola nugas,
Quas tamen explicitis nequeas deprendere chartis,
Scillite decies non si purgeris aceto,

sunt vel tres germanæ, vel octo? Et quia huc incidimus, si cupis scire quid intersit inter veram eruditionem, et ridiculum poëtandi genus: accipe nugas coacervatas, arcana futilia, quæ nihilominus non possis agnoscere licet, evolutis chartis, non si decies te purges aceto e scilla, et tuo acumine superes acumen

Alii, *dependere*. Vid. inf.—69 Vid. inf. et Not. Var.—74 Vinetus legit:

NOTÆ

64 *Aut tris, aut octo sorores*] In Gripho tres primum Musas fuisse dicit, ac postea novem: 'Et Lyrici vates,' inquit, 'numero sunt Mnemonidarum, Tris solas quondam tenuit quas dextera Phœbi: Sed Citheron toties ternas ex ære sacravit, Religione patrum, qui sex sprevisse timebant.' Unde autem hic octo? Quia sorores dicit, intelligit, puto, sorores alicujus, scilicet alius Musæ, quæ nona sit, et cum illis octo prædictum numerum constituat.

68 *Deprendere*] Sic malo cum Tollio, quam ut Scaliger et Heinsius ex vetusto codice reponunt *dependere*. Intelligit nugas illas ænigmaticas non posse a Theone deprehendi, hoc est, dignosci, quamvis evolutæ, et explicitæ sint chartæ, in quibus continentur.

69 *Scillite, &c.*] Scaliger ex veteri membrana legit: *Scillite decies si cor purgeris aceto Anticipesque tuum, &c.* et exponit: 'Non poteris horum Ænigmatum nodos solvere, etiamsi cor purges scillite aceto, quod antidoti vice sæpe anticipare soles: neque etiam si te eo præmunieris, quod est tibi acumen ad versus faciendos, qui es Lucumo, et insanis.' Nam (inquit idem), ut ex Festo novimus, 'Lucumones' sunt insani. Et temporibus Ausonii tritum erat in ore vulgi illud vocabulum in homines insanos et intractabiles. Sidonius: 'Temperat Lucumonem nostrum Tanaquil sua.' Samius autem est acutus. Unde Samiare est acuere, et Samiator qui acuit cote. Nonius, 'Samium, acutum; et Samiare, acuere.' Glossarii: Samiator, ἀκονητής. Quare hic 'Samius Lucumo' est furiosus acutus. Notandum vero genus loquendi, 'tuum acumen Samii Lucumonis.' Nam et ita a multis Veteribus usurpatum memini, ut a Jurisconsulto: 'Cum mens mea fuerit facientis testamentum,' &c. Est ergo et argutissime et venustissime dictum ab Ausonio: 'tuum Samii Lucumonis acumen.' Cujus rei ignorantia quot, quantas nugas viri boni et docti super 'Lucumone Samio' effutiverunt! dum quærunt, quis sit iste Samius Lucumo, et putant referendum ad historiam quandam, non autem esse epitheta in Theonem ipsum. Hæc *Scaliger*. Cujus pace dixerim existimare me potius respexisse Ausonium ad aliquem Samium alium a Theone. Refert Vinetus ex opere in-

Anticipesque tuo Samii Lucumonis acumen:
Aut adsit interpres tuus,
Ænigmatum qui cognitor
Fuit meorum: cum tibi
Cadmi nigellas filias,

Samii Lucumonis: vel interpres tuus tibi præsto sit, qui cognovit mea ænigmata, quando aperuit tibi quid essent nigræ natæ Cadmi, candida nata Nili,

Cadmi nigras filias, Melonis albam paginam. Albam filiam legendum putat

NOTÆ

certi auctoris de paratu facilibus, quod extat inter Galeni scripta, fuisse Pythagoram quondam Samium (quem suspicatur medicum illum fuisse, cujus meminit Laërtius in extrema vita Pythagoræ Philosophi, alium a Philosopho illo) qui aceti scillitici usu vitam ad annum 117. produxerit. Ad hunc respexisse Ausonium facile inducor ut credam, et legendum *Anticipesque tuo*, non *tuum*, et per Lucumonem intelligendum magnum aliquem in secretioribus disciplinis virum, quales Hetrusci Lucumones, ob divinationis scientiam non minus quam ob regiam potestatem, sic dictos. Est porro acetum scillites, seu scillium, (utroque [redacted]

que bibas, quod multæ editiones retinuerunt.

71 *Aut adsit interpres tuus*] Clementinus ille fortasse, de quo supra.

* 72 *Ænigmatum qui cognitor*] Clearchus Solensis Peripateticus apud Athenæum lib. x. ænigma definit, *πρόβλημα ἐπιπαιστικὸν, προστακτικὸν, τοῦ διὰ ζητήσεως εὑρεῖν τῇ διανοίᾳ τὸ προβληθὲν, τιμῆς ἢ ἐπιζημίου χάριν εἰρημένον.* 'Quæstionem ludicram, jubentem, ut per inquisitionem acie mentis inveniatur quod propositum, ac honorarii aut mulctæ gratia adductum est.' Vossius instit. Orat. lib. IV. recte definit, Ænigma, orationem obscuritate allegoriæ rem notam significantem. Est enim ænig- [redacted]

[redacted]

Melonis albam filiam,
Notasque furvæ sepiæ,
Cnidiosque nodos prodidit.
Nunc adsit: et certe modo
Præsul creatus literis,
Enucleabit protinus
Quod militantes scribimus.
Notos fingo tibi poëta versus:
Quos scis Hendecasyllabos vocari:
Sed nescis modulis tribus moveri.

et notas sepiæ atræ, ac nodi arundinum Cnidiarum. Jam hic præsto tibi sit: et profecto ipse nuper constitutus antistes literarum, explicabit statim, quod scribo tibi in castris. Facio versus tibi cognitos, o poëta: quos nosti appellari Hendecasyllabos: at ignoras eos procedere triplici modo. Hos quos facio

NOTÆ

Cadmo inventas, aut potius invectas in Græciam.

75 *Melonis albam filiam*] Papyrum, quæ nascitur, teste Plin. lib. XIII. cap. 11. in palustribus Ægypti, aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagatæ stagnant. Nilus enim priscis Melo dictus est, teste Festo ac Servio, a nigredine ut putat Vossius, hoc est, a turbidis aquis: unde etiam *Scichor* Ægyptiis dicebatur, quod nomen extat Jeremiæ cap. II. vers. 18. a *Scachar* Hebraico nigrescere, hinc Græci Ægyptiam nomen Nili vertentes, Melonem eum dixerunt a μέλας niger.

* *Melonis albam filiam*] Ita in Ms. codice reperit Mariangelus Accursius, cum in vulgatis legeretur *paginam*, Scholio super indito, a librariis emendationem ratis mox arrepto. Certe, ut ait Vossius, *paginam* vocare *paginam*, non est ænigmatice loquentis. Et elegantior omnino futura est antithesis inter 'nigellas Cadmi filias,' et 'albam Melonis filiam.' Alioqui e voce obsoleta duntaxat, nempe 'Melonis,' oriretur difficultas. Aristides in sermonibus sacris, cum oraculum Delphicum accepisset: Ἐμοὶ μελήσει ταῦτα, καὶ λευκαῖς κόραις, acceptis honorificis literis, ita illud interpretatus est, ut per puellas candidas, Epistolas significari crederet.

76 *Notasque furvæ sepiæ*] Ductus literarum atramento ex sepia pisce formatos. Pers. Sat. III. 'Nigra quod infusa vanescat sepia lympha.'

77 *Cnidiosque nodos*] Arundines Cnidias. Pers. eadem Satira: 'Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo.' His arundinibus seu calamis ad scribendum utebantur. Probatissimæque erant Gnidiæ prope Gnidum Cariæ urbem nascentes. Plin. lib. XVI. cap. 36. 'Chartisque serviunt calami, Ægyptii maxime, cognatione quadam papyri. Probatiores tamen Gnidii, et qui in Asia circa Anaiticum lacum nascuntur.'

79 *Præsul creatus literis*] Hæc εἰρωνικῶς.

81 *Militantes*] In comitatu Imperatoris in castris, ubi tunc erat Ausonius.

82 *Notos fingo tibi*] Hæ sunt congestæ, mysteria frivola, nugæ, quas propositurum se Theoni, et ab ipso non intellectum iri sine interprete, supra dixit.

Istos composuit Phalæcus olim,
Qui Penthemimerin habent priorem:
Et post semipedem duos iambos.
Sunt quos Hexametri creant revulsi:
Ut Penthemimeris prior locetur:
Tum quod bucolice tome relinquit.
Sunt et quos generat puella Sappho:

Phalæcus quondam struxit, qui habent primum penthemimerin: et semipedem post duos iambos. Sunt alii qui fiunt ex divisis Hexametris: adeo ut primum ponatur penthemimeris: deinde id quod post cæsuram bucolicam superest. Sunt etiam illi quos Sappho puella componit: quos pes Hippius secundus, primus

Vossius, prout se in Ms. codice invenisse refert Accursius.—86 *Penthemimeren* legendum monet Vinetus.—87 Sic vetus liber.—94 *Sed jam non poteris*

NOTÆ

85 *Phalæcus*] Vel *Phaleucus*, a quo Phalæcii, vel Phaleucii dicti sunt versus illi.

86 *Penthemimerin*] Vinetus, ad Epistolam Centoni nuptiali præpositam, monet *Penthemimeren* hic a πενθημιμερὴς legendum esse, idque auctoritate veteris Ms. Lugdunensis, non *Penthemimerin*. Quod tamen non respuit Scaliger, qui Penthemimerida appellat portionem illam carminis ex quinque semipedibus, seu ex duobus [redacted]

sipiens dives miseros contemnit egenos.' Ex hujusmodi versibus constat metrum secundum lib. 1. Boëthii de Consolatione Philosophiæ. Habent in primo pede spondæum, in secundo dactylum; aut in primo dactylum, spondæum in secundo, tum semipedem seu syllabam longam; ac deinde tertio loco dactylum, quarto spondæum.

90 *Tum quod bucolice tome relinquit*] Hanc tomen seu sectionem tetrapo- [redacted]

Quos primus regit Hippius secundus:
Ut claudat Choriambon Antibacchus.
Sed jam non potis es, Theon, doceri:
Nec fas est mihi regio magistro
Plebeiam numeros docere pulpam.
Verum protinus ede, quod requiro.
Nil quæro, nisi quod libris tenetur:
Et quod non opicæ tegunt papyri.

moderatur, sic ut antibacchius excipiat Choriambum. At nunc, o Theon, non potes erudiri: neque licet mihi præceptori Cæsareo docere ignobilem et corpulentum hominem numeros versuum. At dic statim quod quæro a te. Nihil interrogo te, nisi quod continetur libris: et quod non opicæ chartæ celant. Quas nugas si explica-

NOTÆ

captandæ causa aliter hic numerat et nominat Ausonius. Nempe Hippium secundum (qui tamen Terentiano Mauro Epitritus secundus est) ex trochæo et spondæo constantem, ut in eodem: 'Jam satis ter,-' Choriambum ex choreo seu trochæo et iambo, ut: '-ris nivis at,-' et antibacchium ex tribus syllabis, una brevi, et duabus longis, ut '-que diræ: perinde enim est, teste Terentiano Mauro, Bacchium facias ex una brevi et duabus longis, Antibacchium vero ex duabus longis et una brevi, aut vice versa Bacchium ex duabus longis quas brevis sequatur, et Antibacchium ex brevi quam sequantur duæ longæ.

94 *Non potis es, Theon, doceri*] Veteres editiones habent: *non potes, o stolo, doceri.* Et Turnebus ex hoc uno Ausonii loco inferebat Stolonem non solum esse fruticem e crassioris arboris radicibus surgentem, quæ genuina est ejus significatio apud rei rusticæ auctores, sed etiam pro stolido et stulto accipi posse. Suspicatur tamen Tollius, nec sine fundamento, mea quidem sententia, id ex hac scriptura fuisse corruptum: *sed jam non potis es theo doceri*, quod sic edendum curavi *non potis es Theo doceri*, propter ætatem nempe provectiorem. In hanc sententiam Apuleius noster in Apologia: 'Disce igitur versus Platonis Philosophi in puerum Astera; si tamen tantus natu potes literas discere.'

96 *Plebeiam pulpam*] Te, o Theon, ignobilem, et pulpis, hoc est, carnibus torosum, et obesum.

99 *Opicæ tegunt papyri*] Vinetus vertit sordidæ, immundæ, obscœnæ; et revera *ὀπικὸς* est sordidus. Sed quid hæc ad solutionis difficultatem? Festus in verbo 'Oscum' ait: 'Oscum duas diversas et contrarias significationes habet. Nam Cloatius putat eo vocabulo significari sacrum, quo etiam leges sacratæ Oscæ dicuntur. Et in omnibus fere antiquis commentariis scribitur *opicum* pro *osco*, ut in Titinii fabula quinta: Qui opice, et Volsce fabulantur, nam Latine nesciunt. A quo etiam verba impudentia et elata appellantur 'obscœna,' quia frequentissimus fuit usus Oscis libidinum spurcarum,' &c. A priori significatione malim ego hic opicas papyros intelligere, chartas obscuras, quales erant veteres illæ quibus sacratæ leges continebantur conscriptæ opico seu osco sermone, Evandro et matri ejus familiari, at

Quas si solveris, o poëta, nugas,
Totam trado tibi simul Vacunam,
Nec jam post metues ubique dictum:

veris, o poëta, permitto tibi plenam a meis insectationibus vacationem, neque deinceps

ed. Toll. Vid. inf. et Not. Var.—101 Al. *Tostam .... et agnam.* Al. *Tortam.*

NOTÆ

aureæ Latinæ linguæ ætati pæne incognito.

101 *Totam trado tibi simul Vacunam*] Hanc lectionem retinet et sic explicat Turnebus: 'Vacuna antiquorum obsoletum et ridiculum numen, non videtur tantum fuisse vacantium, et otiosorum Dea, sed etiam eorum, qui vel carmine, vel calumnia, contumelia denique, et maledicto vacui reddebantur. Eam facio conjecturam ex eo quod Ausonius scribit: Totam trado tibi simul vacunam Nec jam post metues ubique dictum.' Id est: Vacuum te jubeo esse, liberum, et immunem ab omni dicto, et contumelia.' Hæc Turnebus: quibus ut assentiar faciunt versus qui sequuntur. Non dissimulabo tamen aliter in Codice Lugdunensi legi, referente Scaligero,

[redacted]

mium habeas licet. Sed, quod intactum reliquimus: 'Tostam trado tibi, simulque et agnam:' est figura Grammatices ἓν διὰ δυοῖν, ut: 'Pateris libamus, et auro,' hoc est, aureis pateris: sic hic 'Tosta et agna,' est Tosta agnina. Nam qui Griphum aut ænigma solverat in conviviis, pro præmio carnes auferebat. Auctor Pollux. Ausonium vero proponere Griphum Theoni quis ignorat? Ipsemet hoc testatur. Lege et videbis. Sed melius erit, si Tostam simpliciter interpretemur carnem, aut carnium tostarum portionem, quæ dabatur Griphi enodatori. Agnam autem, quia poëtarum erat præmium Agna. Unde ἀρνῳδοὶ dicebantur, qui agnæ præmio canebant.' Hæc Scaliger; quæ, ut verum fatear, longius paulo quæsita mihi videntur. Lectoris esto iudicium.

[redacted]

Hic est ille Theon poëta falsus,
Bonorum mala carminum taberna.

cepe timebis id quod ubique dicitur: Hic est Theon ille fictus vates, mala officina bonorum versuum.

—104 In aliis pro *taberna* est *Laverna*.

NOTÆ

104 *Bonorum mala carminum taberna*] Sic Codex Lugdunensis, sensu satis plano, scilicet: Apud quem seu in taberna libraria, male venditantur bona aliorum carmina. In aliis pro *taberna* est *Laverna*, quod si retineas, interpretare bonorum versuum malus fur, et adeo fur et trifur, ut æquet furacitate ipsam Lavernam furum Deam. Malim tamen retinere *taberna*.

V. EIDEM THEONI. 394

AUSONIUS Salve caro mihi dico THEONI,
Versibus experiens quod volo, quodve queror.
Tertia fissipedes renovavit Luna juvencas,
Ut fugitas nostram, dulcis amice, domum.
Nonaginta dies sine te, carissime, traxi:
Huc adde æstivos: hoc mihi pæne duplum est.

Ego Ausonius salvere jubeo Theonem mihi dilectum, explicans carminibus quod cupio, aut quod doleo.
Jam Luna ter adjunxit de novo currui suo boves suas, quibus ungulæ fissæ sunt, ex quo fugis meam domum, o amice jucunde. Duxi nonaginta dies absque te, o dilectissime: adjice huc æstivos. Id mihi fere bis tantum est. Visne ut dicam novies

2 Sic codex Lugdunensis. Priores editiones, *expectans*. Vet. cod. etiam *quaro* pro *queror*.—4 '*Dum fugitas nostram*] Liber optimus: *Ut fugitas* s. id est, ex quo tempore, et sic malim: neque aliter Nobiliss. Heinsius in Notis

NOTÆ

3 *Tertia fissipedes, &c.*] Periphrasis. Jam tres sunt menses, cum ad me non venisti. 'Fissipedes' autem dixit juvencas, quibus ungulæ sunt in duo fissæ ac divisæ: quod genus animalium 'bisulca' appellat Plinius.

Juvencas] Tauros nocti dat Fulgentius lib. I. Mytholog. his versibus: 'Astrigeroque nitens diademate Luna bicornis Bullatum bijugis conscenderat æthera tauris.' Prudentius lib. I. contra Symmachum dat ei boves: 'Et regnare simul Cœloque Ereboque potentem Nunc bigas frænare boves.' Ovid. lib. v. Fast. dat ei equos: 'Et vos Lunares exsiluistis equi.'

6 *Æstivos*] Proindeque longiores.

Vis novies denos dicam, deciesque novenos
  Isse dies? anni portio quarta abiit.
Sexaginta horas super et duo millia centum
  Te sine consumsi: quo sine et hora gravis.
Millia bis nongenta jubet demensio legum
  Annumerata reos per tot obire dies.
Jam potui Romam pedes ire, pedesque reverti,
  Ex quo te dirimunt millia pauca mihi.
Scirpea Domnotoni tanti est habitatio vati?
  Pauliacus tanti non mihi villa foret.
An quia per tabulam medico pugnante notatam,
  Debita summa mihi est, ne repetamus, abes?

decem, et decies novem dies præteriisse? Quarta pars anni effluxit. Transegi bis mille centum et insuper sexaginta horas absque te: absque quo vel hora una mihi molesta est. Modus legibus constitutus postulat, ut vocati in jus conficiant mille et octingenta passuum millia bene numerata per tot dies, quot a me abes. Jam potui pedibus ire Romam, et pedibus redire, a tempore quo pauca millia passuum te separant a me. An arundinea casa Domnotoni tam cara est tibi poëtæ? Villa Paulliaci non mihi tam cara esset. An quoniam debetur mihi a te pecuniæ summa, ex syngrapha scripta digito repugnante, abes a me, ne illam a te reposcam? Ne tanti

ad Ovid.' *Tollius.*—7 *Bis* Vulg. Vid. Not. Var.—17 *Medica pugna notatam*

NOTÆ

7 *Vis*] Sic lege, non *bis*: ratio patet attendenti.

Deciesque] Malim *deciesve*. Disjungenda enim hæc, non conjungenda cum superioribus.

9 *Sexaginta, &c.*] Hic numerus horarum diebus 90. continetur, ut patebit 90. ducenti in 24.

11 *Millia bis nongenta, &c.*] Numerando scilicet millia viginti in singulos dies, quod itineris spatium leges definiunt diurnum reo ad se judicio sistendum. Caius leg. 1. ff. si quis cautionibus in judicio sistendi causa factis non obtemperaverit: 'Vicena millia passuum in singulos dies dinumerari Prætor jubet præter eum diem, quo cautum promittitur, et in quem sistere in inducium oportet: nam sane talis itineris dinumeratio neutri litigatorum onerosa est.'

12 *Reos*] Procul habitantes a loco, in quem eos oportet se judicio sistere.

15 *Scirpea Domnotoni*] Initio Epistolæ superioris de eodem vate, et eadem habitatione: 'Vilis arundineis cohibet quem pergula tectis.'

16 *Pauliacus*] Villa tunc magnifica, ut ex hoc loco apparet, nunc vicus nobilis, teste Vineto, apud Medulos in ipsa Garumnæ ripa, novem a Burdigala leucis, nomen etiamnum retinens: *Pauliac*.

17 *Medico pugnante*] Sic Lugdunens. Sic Turnebus qui medicum intelligit e digitis unum. Tollius reponit *digito pugnante*, in eundem sensum. Gre-

[redacted]

Bis septem rutilos regale nomisma Philippos,
  Nec tanti fuerint, perdere malo, Theon;
Implicitum quam te nostris interne medullis
  Defore tam longi temporis in spatio.
Ergo aut prædictos jam nunc rescribe Darios:
  Et redime, ut mora sit libera desidiæ:
Aut alios a me totidem dabo: dummodo cari
  Conspicer ora viri, pauperis usque licet.
Puppe citus propera, sinuosaque lintea veli
  Pande. Medullini te feret aura noti

mihi constent, ego malo amittere quatuordecim Philippeos aureos, regiam monetam, o Theon; quam te a me abesse per spatium tam longi temporis, te, inquam, qui alte infixus es meo pectori. Igitur vel jam nunc renumera supra memoratos Daricos, et exsolve te, ut possis libere piger esse: vel donabo tibi totidem alios a me sumendos: modo videam vultum hominis mihi dilecti, quamvis semper egeni. Festina celeriter ad me navi, et explica sinus carbasi. Flatus venti a Medulis spirantis devehet te ex-

Vulg. Scribit Vinetus: *Medi qua pugna notata.* Vid. inf.—20 In veteri libro *Ne t.* recte, censente Pithœo.—23 '*Ergo aut prædictos*] *Nummos* legendum indubitanter existimo: quod et affirmare non verebor, si, qui meæ sententiæ album calculum addat, doctum aliquem invenero.' *Turnebus.* 'Adrianus Turnebus antiquum librum non viderat: sed eum fefellit, qui *Charinos* pro *Darios* hic se legisse scripsit.' *Vinetus.*—25 Sic restituit Pithœus.—29 *Subter*

NOTÆ

novius: *radio pungente*, id est, stylo, vel graphio ceram fodiente, quod non displicet. Elige lector.

19 *Regale nomisma Philippos*] Horat. lib. II. Epist. 1. quæ est ad Augustum: 'Incultis qui versibus et male natis Retulit acceptos regale nomisma Philippos.' Philippei sunt nummi, in quibus imago Philippi Macedonum regis expressa est. Sed et pro aliis nummis ponuntur sæpe. Sic Valerianus apud Trebellium Pollionem in Claudio appellat nummos suos Philippeos: 'Philippeos,' inquit, 'nostri vultus annuos centum:' qui mox 'aurei Valeriani' appellantur. Et quos hic 'Philippos' Noster, mox 'Darios,' hoc est, Daricos appellat.

21 *Interne medullis*] Adverbium secundæ contra naturam suam correptum. Idem similiter usurpavit Ausonius in Carmine Burdigala: 'Distinctas interne vias mirere,' &c. Ubi vide Notas.

23 *Rescribe*] Redde, renumera. Terent. Phorm. Act. V. Sc. 7. 'Demipho. Sed transi sodes ad forum, atque illud mihi Argentum jube rursum rescribi, Phormio. Phorm. Quodne ego perscripsi porro illis quibus debui?' In numerationibus ejusmodi pecuniarum, vocabulis scribendi, et rescribendi ideo utebantur, quod eæ numerationes apud Argentarios fieri solerent, et in eorum tabulis seu Kalendariis scribi.

Darios] Δαρείους pro Δαρεικοὺς, Daricos stateres, Darii Persarum regis monetam. Sic supra 'Philippos' pro Philippeos.

28 *Noti*] Notus hic non stricte pro

Expositum subter paradas, lectoque jacentem:
  Corporis ut tanti non moveatur onus.
Unus Domnotoni te litore perferet æstus
  Condatem ad portum: si modo deproperes.
Inque vicem venti, quotiens tua flamina cessant,
  Remipedem jubeas protinus ire ratem.
Invenies præsto subjuncta petorita mulis.
  Villa Lucani- mox potieris -aco.

tensum sub paradis, et stratum in toro: ita ut moles tanti corporis non agitetur. Unus æstus te devehet a littore Domnotoni usque ad portum Condatem: si modo festines. Et loco venti, quoties tui flatus non spirant, statim præcipias navem remis ceu pedibus procedere. Statim ibi offendes currus alligatos mulis. Ex mox perve-

pardas Turnebus.—31 Idem legit: *D. te e littore.* Alii *D. te a littore.*

NOTÆ

austro, sed latius et synecdochikōs pro quovis vento.

29 *Subter paradas*] Scaliger 'paradas' ait genus esse navigii Vibisci voluptarii undique tecti, quo æstu ultro citroque reciprocante per Garumnam molliter ferebantur, et sententiam suam Sidonii Apollinaris loco astruere nititur. Vinetus non navigium ipsum hic paradarum nomine intelligit, sed tegmen tantum ejus, peripetasma scilicet, circulis, aut flexis in semirotundum virgis impositum in cameræ formam. Cui ut assentiar potius quam Scaligero, facit locus ipse Sidonii ab eo adductus. Hic autem est Epistola ad Trigretium, qua hortatur eum, ut a portu Alingonis solvat, et Burdigalam pervehatur. 'Hic te,' inquit, 'ædificatus culcitris torus, hic tabula calculis strata bicoloribus, hic tessera frequens eboratis resultatura pyrgorum gradibus expectat: hic, nē tibi pendulum tingat volubilis sentina vestigium, pandi carinarum ventres abiegnarum trabium textu pulpitabuntur. Hic superflexa crate paradarum sereni brumalis infida vitabis.' His ultimis verbis graphice describitur ejusmodi fornicatum navicularum tegmen.

* *Subter paradas*] Parada herba notissima. An vero, inquit Desposius, ex ea fieri potuit teges? Sirmondus ad Sidonium recte annotavit 'paradas' esse integumenta navigiorum, ad coërcendum Solem, frigus, et reliquas cœli injurias.

32 *Condatem ad portum*] Hic ad Dordoniam seu Duranium erat, paulo supra Lilæ a Lemovicibus, et Petrocoriis fluentis, et ipsius Dordoniæ confluentes, ac Liburniam ibi conditam postea urbem. Nunc paludes tantum sunt et pascua Condatis nomen retinentia, teste Vineto.

* *Condatem ad portum*] Condate, in Tabula Peuttingeriana. Paulinus ad Ausonium 'Condatem' vicum appellat Condatinum.

33 *Tua flamina*] Vel tibi faventia, et secunda, vel potius a te crepitante emissa. Hic enim jocari videtur cum crasso Theonis abdomine, flatuum non segni officina.

35 *Invenies præsto*] Apud Condatum vel Condatem.

Rescisso disces componere nomine versum.
  Lucilî vatis sic imitator eris.

nies in villam meam Lucani-acum. Disce conflare versum dividendo vocem unam in duas. Hoc pacto imitaberis poëtam Lucilium.

NOTÆ

Petorita] Genus vehiculi Gallici, quatuor rotas habentis.

36 *Villa Lucani-mox potieris-aco*] Pro Villa Lucaniaco, ubi scilicet tunc degebat Ausonius. Hic Tmesis est ad versus constructionem, vocem Lucaniaco in duas secans, quod exemplo Lucilii poëtæ facere se ait, et Scaliger affert similem Tmesin vocis Depetigo quæ Lichenem faciei morbum significat, in hoc ejusdem Lucilii versu: 'Illuvies, scabies oculos huic, deque-petigo Conscendere.' Frequentes sunt apud Lucretium ejusmodi Tmeses. Lucaniaci villæ suæ meminit et in Epigrammate de Myobarbo liberi patris: 'Lucaniacus Pantheum.' Ubi penultimam produxit, quæ hic corripitur.

* *Villa Lucani-mox potieris-aco*] Hic Tmesis est quam Quintilianus divisionem vocat. Figura est apud Poëtas tum Græcos, tum Latinos, non infrequens. Virgilio quoque nota, Georgic. III. 'Talis Hyperboreo septem subjecta trioni.' Æneid. v. 'Hac celebrata tenus sancto certamina patri.' Plura Vossius instit. Orat. lib. v. Ceterum notat Alteserra male collocatum a Scaligero Lucaniacum in finibus Medulorum, cum Ausonius ipse non procul a Condate portu constituat, qui certe fuit in ripa Duranii. Condate medium signat Dumnotonum inter ac Lucaniacum. Et postquam Condate perventum, breve iter Lucaniacum usque.

VI. EIDEM THEONI. 395

AUSONIUS Consul vatem resaluto THEONEM.
Aurea mala, Theon, sed plumbea carmina mittis.
  Unius massæ quis putet has species?
Unum nomen utrisque: sed est discrimen utrisque:
  Poma ut mala voces, carmina vero mala.

Ego Ausonius Consul salutem reddo poëtæ Theoni.
O Theon, mittis ad me mala aurea, sed versus plumbeos. Quis credat has res esse ex eadem massa? Hæc ambo habent idem nomen: verum est hæc ambobus differentia: quod appelles poma mala, carmina autem mala. Vale o Theon, qui habes

4 In vet. cod. fuit, *discr. utriusque.*—7 *Methodus sed ista* Vulg.

NOTÆ

5 *Poma ut mala voces*] 'Mala' prima longa.

Carmina vero mala] 'Mala' prima brevi.

Vale beatis nomen a Divis Theon.
Metoche sed ista sæpe currentem indicat.

nomen a Diis felicibus. At istud participium, θέων, sæpe significat eum qui currit.

NOTÆ

6 *Nomen a Divis Theon*] Est enim Θεὸς Deus.

7 *Metoche sed ista, &c.*] Sic Joannes Auratus restituit. Et sic omnino legendum, non *Methodus*, ut vult Scaliger. Nimis longe petita sunt quæ ad sententiam suam probandam affert. Metoche μετοχὴ participium sonat. Et revera Theon θέων currens participium est præsentis temporis verbi θέω curro.

VII. AUSONIUS THEONI, CUM EI TRIGINTA OSTREA, GRANDIA QUIDEM, SED TAM PAUCA MISISSET. 396

EXPECTAVERAM, ut rescriberes ad ea, quæ dudum jlocaliter luseram[a] de cessatione tua valde impia, et mea efflagitatione, cujus rei munus reciprocum[b] quoniam in me colendo fastidisti, inventa inter tineas epistola veteri, quam de ostreis et musculis affectata obscuritate condideram; quæ adolescens temere fuderam,[c] jam senior retractavi.[1] Sed in eundem modum instaurata est satirica et ridicula concinnatio: saltem ut nunc respondeas notissimæ[2] cantilenæ,[d] qui illam novitiam[e] silentio condemnasti.

Expectaveram, ut responderes per Epistolam ad illa, quæ per jocum et lusum scripseram de mora tua admodum inofficiosa, et de studio quo te petebam, qua in re quia sprevisti me observare officio mutuo, cum reperissem inter tineas veterem Epistolam, quam composueram de ostreis et musculis captata de industria obscuritate, relegi [redacted]

Ostrea Baianis certantia, quæ Medulorum
Dulcibus in stagnis refluì maris æstus opimat,
Accepi, dilecte Theon, numerabile munus.
Verum quot fuerint, subjecta monosticha signant:
Quot ter luctatus cum pollice computat index.
Geryones quot erant, decies si multiplicentur.
Ter quot erant Phrygii numerata decennia belli,
Aut ter ut Æolidi mensis tenet ignicomus Sol.

Accepi a te, o care Theon, ostrea quæ in dulcibus stagnis Medulorum pinguefiunt aqua Oceani refluentis, non inferiora Baianis, donum facile numeratu. At singuli versus infra positi ostendunt quot ea fuerint. Quot digitus index numerat ter impingens pollici. Quot erant Geryones, si multiplicentur decies. Quot erant decem anni belli Trojani ter multiplicati, aut ter tot, quot Sol

Gronovius.—3 'Magno flagitio correctoris Lugdunensis antea legeb. *Accipe mi dilecte Theon* ... cum in libro veteri recte legatur: *Accepi dilecte Theon.*'

NOTÆ

• *Illam novitiam*] De cessatione ejus, et Ausonii efflagitatione, quam tunc solum audire cœperat.

2 *Dulcibus in stagnis*] Quæ natura sua dulcia sunt, sed influente æstu amarescunt.

5 *Quot ter luctatus cum pollice, &c.*] Intelligit gestum, quo denarium numerum digitis signabant, unguem indicis sinistræ manus in medium artum pollicis figentes, teste Beda in lib. De temporum ratione. De ratione numerandi per digitos plura vide apud Lilium Gyraldum Dial. I. et præcipue apud Erasmum in Notis ad Hieronymum, ubi multa ex Donato in Terentii Adelph. Plinio lib. XXXIV. cap. 7. Macrobio lib. I. Saturnal. Juvenal. Sat. X. Apuleio in Apologia, et Beda, colligit.

6 *Geryones quot erant*] Tres scilicet, seu unus triplex Geryon. Tres autem decies sumti, triginta efficiunt, ostreorum illorum numerum.

8 *Aut ter ut Æolidi mensis tenet, &c.*] Non omnino sanus videtur hic locus. Scaliger putat id velle Ausonium tot ostrea sibi missa, quot menses tenebit Sol, si ter tot mensibus constet annus, quot olim in Æolide constabat: decem quippe mensium, nec amplius annum apud Æolas fuisse tempore Homeri, ut testantur veteres Græci. At parum mihi accurate videretur Ausonius posuisse *Æolidi* pro *apud Æolidem*, et longius petitum hoc. Placet magis quod in mentem venit Vineto, ab Ausonio in Latinis poëtis versatissimo, et dedita opera poëtastro Theoni ex iisdem poëtis difficiles nugas oggerente, hic allusum esse ad versus hos Epistolæ Canaces Æoli filiæ ad Macareum fratrem, apud Ovid. ubi illa de sua prægnatione decumestri: 'Jam novies erat orta soror pulcherrima Phœbi, Denaque Luciferos Luna premebat equos: Nescia quæ faceret subitos nova causa dolores, Et rudis ad partus, et nova miles eram,' &c. Vineti sententiam secutus sum in Interpretatione.

Cornibus a primis quot habet vaga Cynthia noctes.
Singula percurrit Titan quot signa diebus.
Quotque annis sublimis agit sua sæcula Phænon.
Quot numero annorum Vestalis virgo ministrat.
Dardaniusque nepos regno quot protulit annos.
Priamidæ quot erant, si bis deni retrahantur.
Bisque viros numeres, qui fata Amphrysia servant.
Quot genuit fœtus Albana sub ilicibus sus.
Et quot sunt asses, ubi nonaginta trientes.
Vel quot habet junctos Vasatica rheda caballos.

radians attingit menses filiæ Æoli. Quot Luna vagans habet noctes a primis suis cornibus ad novilunium proximum. Quot dies Sol insumit percurrendis singulis signis. Et quot annis excelsus Saturnus conficit suos circuitus. Per quot annos Virgo Vestalis ministrat. Quot annis nepos Dardani produxit suum regnum. Quot erant nati Priami, si demas viginti. Et quot viri custodiunt fata Sibyllina, si eos bis numeres. Quot natos procreavit sus inventa sub ilicibus, ubi Alba postea condita est. Et quot sunt asses, quando sunt nonaginta trientes. Vel quot equi

NOTÆ

9 *Cornibus a primis*] Hoc est, a novilunio.

Quot habet] Supple ad extrema cornua, sive ad alia nova, proximum scilicet novilunium.

11 *Phænon*] Sic Saturni stella a Græcis appellatur, hæc antem annis circiter triginta dicitur cursum suum conficere.

12 *Quot numero annorum Vestalis virgo ministrat*] Ex Dionys. Halicarn. l. II. Vestales decem primis annis discebant, totidem ministrabant, de- [redacted]

liasve Hyginus tribuit quatuor supra quinquaginta. Cum autem Virgil. eodem loco ait: 'Vidi Hecubam centumque nurus,' numerum certum et majorem pro incerto et minori ponit.

15 *Bisque viros, &c. qui fata Amphrysia servant*] Quindecim viros libris Sibyllinis inspiciendis. Ab Amphryso Thessaliæ fluvio, prope quem Admeti boves, spoliatus divinitate ab irato Jove, Apollo pavit, dictus ipse est Amphrysius, et Sibylla ejus [redacted]

[redacted]

Quod si figuras fabulis adumbratas,
Numerumque doctis involutum ambagibus,
Ignorat alto mens obesa viscere;
Numerare saltim more vulgi ut noveris,
In se retortas explicabo summulas.
Ter denas, puto, quinquiesque senas.
Vel bis quinque, dehinc decem, decemque.
Vel senas quater, et bis adde ternas.
Septenis quater addito unum et unum.
Duc binas decies, semelque denas.
Aut ter quatuor adde bis novenis.
Octonis quater, hinc duæ recedant.
Binas ter decies, semel quaternas.
Et sex adde novem vel octo septem.
Aut septem geminis bis octo junge.
Aut ne sim tibi pluribus molestus,
Triginta numero fuere cunctæ.

rhedæ Vasaticæ adjunguntur. Si vero animus tuus pinguis, involutus densa carne, non agnoscit formas rerum repræsentatas fabulis et numerum implicatum doctis ænigmatis: certe ut scias numerare more plebis, exponam summulas revolutas in sese. Puto ea ostrea fuisse ter decem, aut quinquies sex, aut bis quinque ac deinde decem et decem, aut quater sex et adjice bis tria. Quater septem, adjice unum et alterum. Multiplica decies duo, et adde semel decem. Vel adjice ter quatuor bis novem. Multiplica quater octo, deme inde duo. Terdecies duo, et semel quatuor. Et adde sex novenis, atque octo septenis. Vel adde bis octo bis septenis. Vel, ne tibi importunus sim pluribus verbis, omnia illa ostrea fuerunt numero triginta. Musculi,

Scaliger.—27 *Adde unum et unum*] Cum fœminino genere in hac computatione utatur, corrigendum existimavi, *unam et unam:* et mox, *Octonas quater*, sc. pone, vel duc, cum distinctione: imo et *Septenas quater* maluerim, pro *Septenis quater*. *Ostreum* vero et *ostream* dici vel pueris notum: et paulo

NOTÆ

illæ grandiores erant? An quod equi pusilli, et parum valentes? Nihil super ea re certi habeo.

21 *Alto mens obesa viscere*] Supra Epist. v. de eodem Theone: 'Corporis ut tanti non moveatur onus.' Et Epist. iv. εἰρωνικῶς: 'Plana sic junceus alvo.'

24 *Ter denas, &c.*] Hactenus de ostreis neutro genere locutus, jam fœmineo utitur; dicuntur quippe et *ostrea*, et *ostreæ*. Nisi malis 'Ter denas,' et quæ sequuntur, ad 'summulas' quod præcedit referre, quod tamen parum mibi probatur. Nam infra omnem hanc supputationem sic concludit: 'Triginta numero fuere cunctæ;' quod ad ostreas omnino referendum est.

[redacted]

Junctus limicolis musculus ostreis
Primo composuit fercula prandio,
Gratus deliciis nobilium cibus,
Et sumti modicus pauperibus focis.
Non hic navifrago quæritur æquore,
Ut crescat pretium grande periculis:
Sed primore vado, post refugum mare,
Algoso legitur littore concolor.
Nam testæ duplicis conditur in specu,
Quæ ferventis aquæ fota vaporibus,
Carnem lacteoli visceris indicat.
Sed damnosa nimis panditur area.
Fac campum replices, Musa, papyrium:

additi ostreis limum incolentibus, adornarunt primas dapes prandii, qui pisciculi sunt esca jucunda in epulis optimatum, et parvæ impensæ ad culinas pauperiorum. Hic piscis non inquiritur in mari naufragiis infami, ut pretium ejus ingens augeatur ob pericula quæ occurrant in ejus piscatu: verum colligitur in primis aquis, cum mare recessit, in littore alga pleno, ei similis colore. Etenim abditur in cavo geminæ conchæ, quæ calefacta calore aquæ ferventis, ostendit candidam carnem pisciculi intus latentis.

At aperitur Theoni campus mihi nimium iniquus. O musa, cura ut restringas

ante: *quinquiesve senas.*' Tollius.—43 Al. *Algoso littori concolora ostrea.*—48 Suspicatur Scaliger non *campum*, sed *scapum* legendum esse.—54 Vinetus

NOTÆ

36 *Musculus*] Plinio musculus tam fluviatilis piscis est, quam marinus, ex eorum genere, qui testa continentur: nos appellamus *Moules* vernacula nostra lingua, quasi *Mouscles.*

* 41 *Ut crescat pretium grande periculis*] Hanc sententiam mire illustrat Petronius dum canit: 'Ingeniosa gula est. Siculo scarus æquore mersus Ad mensam vivus perducitur, inque Lucrinis Eruta littoribus vendunt conchylia cœnas, Ut renovent per damna famem. Jam Phasidos unda Orbata est avibus.' Plinius quoque, dum exclamat, Præfat. lib. XXIII. 'Heu prodigiosa ingenia! Quot modis auximus pretia rerum!'

43 *Concolor*] Algæ scilicet ad littus ejectæ.

47 *Sed damnosa, &c.*] Periphrasticôs exprimit Epistolam suam, jam longiorem, esse finiendam.

48 *Campum*] Scaliger corrigebat *scapum*, hoc est, compositam in volumen chartam. Ei nequaquam assentior. *Campum papyrium* scripsit Ausonius, intelligens papyri aream in qua scribitur.

* *Fac campum replices, Musa, papyrium*] Pro *campum* reponebat Scaliger *scapum*, quem ex Isidori glossis ait centum tomorum chartæ scriptæ numerum esse. Negat se noster assentiri Scaligero. Qua ratione adductus negaverit, silet. Nec mihi placet Scaligeri emendatio. Scapus enim,



Nec jam fissipedis per calamì vias
Grassetur Cnidiæ sulcus arundinis,
Pingens aridulæ subdita paginæ,
Cadmi filiolis atricoloribus.
Aut cunctis pariter versibus oblinat
Fulvam lacticolor spongia sepiam.
Parcamus vitio Domnotinæ domus:
Ne sit charta mihi carior ostreis.

aream chartaceam: neque jam ductus calami Cnidii feratur per vestigia arundinis fissæ in pedes duos, inficiens subjectam paginam siccam, filiabus Cadmi coloris nigri. Vel spongia lactei coloris inducat atramentum sepiæ nigræ omnibus simul versibus.

Desinamus exagitare peccatum domus Domnotinæ: ne si plura scribam, papyrum insumam in majus pretium, quam fuerit ostreorum.

et Grævius reposuerunt *Furvam*, quod probat Tollius.

NOTÆ

ex Plinio, vicenis constabat plagulis. Quo autem pacto Scapus in brevi Epistola? Accedit quod hic 'campus' idem omnino significat, quod 'area' in priore versu.

49 *Nec jam fissipedis, &c.*] Hoc videtur esse Ænigma, quod Theoni ab alio explicatum fuisse dicit Epist. IV. 'Aut adsit Interpres tuus Ænigmatum qui cognitor Fuit meorum, cum tibi Cadmi nigellas filias,' &c. Unde Epistolam illam, quæ quarta numeratur, post hanc libens reponerem ordinis causa. Sed quid est illud? 'Nec jam fissipedis per calami vias Grassetur Cnidiæ sulcus arundinis,' &c. An aliud est sulcus Cnidiæ arundinis, aliud calami fissipedis viæ? Verti, ut potui in Interpretatione. At si meo calculo res geratur, reponam libens *succus* pro *sulcus*, id est, succus qui est in arundine, atramentum scilicet, grassetur, hoc est, fluat per rimam, et ductus calami fissi, pingens, &c.

* 50 *Sulcus arundinis*] Vult noster legi *succus;* non capiens quid intersit inter sulcum Cnidiæ arundinis, et calami fissipedis vias. Calami fissipedis viæ sunt ductus calami fissi, seu rima per quam atramentum fluit. Sulcus arundinis est ipsa pagina arundine Cnidia seu calamo sulcata. Igitur nihil immutandum.

52 *Cadmi filiolis*] Literis a Cadmo in Græciam invectis, ut jam exposui in Notis ad Epist. IV.

53 *Aut cunctis, &c.*] Id est, vel spongia alba, intincta atramento sepiæ, oblinat eo chartam hanc, et versus in ea scriptos deleat, ut indignos qui in lucem exeant.

54 *Lacticolor spongia*] Arte dealbata, quod factitatum fuisse auctores sunt Plin. et Dioscorides.

55 *Vitio Domnotinæ domus*] Sordibus Theonis, qui ostrea tam pauca misit; nam si pergam eas exagitare, tantum insumam chartæ, ut ejus pretio ostreorum pretium facile superetur.

[redacted]

VIII. AUSONIUS AXIO PAULO RHETORI S. 397

Tandem eluctati retinacula blanda morarum,
  Burdigalæ molles liquimus illecebras:
Santonicamque urbem, vicino accessimus agro.
  Quod tibi si gratum est, optime Paule, proba.
Cornipedes raptant imposta petorita mulæ:
  Vel cisio trijugi, si placet, insilias:
Vel celerem mannum, vel ruptum terga veredum
  Conscendas, propere dummodo jam venias.

Excussis demum vinculis dulcibus morarum, deseruimus illectamenta segnia Burdigalæ. Et accessimus ad civitatem Santonum, cum degamus in villa ei propinqua. Quod si tibi placet, experire o Paule optime. Mulæ ungulis corneis trahant velociter currus adjunctos: aut, si vis, conscende cisium tribus equis junctum, aut scande equuleum velocem, aut veredum cui dorsum est fractum labore, modo jamjam accedas

7 *Vel celerem manuum* Vulg.—10 Corrigendum monet Tollius: *Libera nec*

NOTÆ

Axio Paulo] Is videtur idem Paulus esse ad quem mittit scriptos a se de Bissula versus, et Centonem nuptialem, quin et sex proxime sequentes Epistolas, ex quibus colligere est eum fuisse patria Bigerritanum, Oratorem, Poëtam, Rhetorices professorem, ludimagistrum.

3 *Santonicamque urbem*] Intelligere videtur Mediolanum, Santonum Metropolin. *Saintes.*

5 *Petorita*] Vox Gallica (teste A. Gellio lib. xv. Noct. Attic. cap. 30. ex Varrone lib. xiv. rerum divinarum) vehiculi genus significans, quatuor rotarum, si Festo credimus. Sic enim ille in voce 'Petoritum:' 'Petoritum et Gallicum vehiculum esse, et nomen ejus dictum existimant a numero quatuor rotarum. Alii Osce, quod ii quoque petora quatuor vocent. Alii Græce sed Αἰολικῶς dictum.'

6 *Cisio*] Nonius Marcellus: 'Cisium vehiculi biroti genus M. Tull. Philipp. ii. Delituit in quadam caupona, atque ibi se occultans perpotavit ad vesperam. Inde cisio celeriter ad Urbem advectus, domum venit.' Hæc Nonius. Idem Tullius pro sexto Roscio Amer. 'Decem horis nocturnis sex et quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit.' Hinc videre est id genus vehiculi ad celeritatem comparatum fuisse.

7 *Mannum*] Equi genus. Horat. lib. iii. Od. 27. 'Rumpat et serpens iter institutum, Si per obliquum similis sagittæ Terruit mannos.' Hos a mansuetudine dictos, quod manibus tractari, et familiarius sequi assueverint, quidam putant. 'Mannus' Isidoro est equus brevior.

Ruptum terga veredum] Veredus est cursui publico destinatus equus lege 15. Cod. De Cursu publico, et Angariis, et parangariis. Imperatores Arcadius et Honorius A. A. Dextro P. P. 'Si quis vel pro una mutatione veredum superducendum esse credi-

Instantis revocant quia nos solennia Paschæ:
  Libera nec nobis est mora desidiæ.
Perfer in excursu vel terjuga millia epodon,
  Vel falsas lites, quas schola vestra serit.
Nobiscum invenies nullas, quia liquimus istic
  Nugarum veteres cum sale reliquias.

celeriter ad me. Quia festa imminentis Paschæ nos revocant: neque nobis licet desidere hic diutius. Affer ad nos tecum in hac excursione aut tria millia odarum, aut fictas causas, quas vestra schola producit. Nullas ejusmodi reperies apud nos, quoniam reliquimus apud te antiquas reliquias nugarum nostrarum cum acumine nostro.

nobis.—13 *Nullas, quia liquimus. Eja Vale. Valere si voles me, vel vola.* Ita fuit in Tiliano.

NOTÆ

derit' *passer une poste* 'in quadruplum superductorum animalium pretium fisci juribus inferat.' Isidor. Origg. lib. XII. cap. 2. 'Veredos antiqui dixerunt, quod veherent rhedas, id est, ducerent, vel quod vias publicas currant, per quas et rhedas ire solitum erat.' Ruptum terga, intellige labore et pondere sessorum.

9 *Revocant*] Rure in urbem.

12 *Falsas lites*] Declamationes fictarum causarum, et dicendi simulacra, quibus Paulus discipulos suos exercebat.

* *Vel falsas lites, quas schola vestra serit*] Respexit procul dubio ad initium Satyrici Petroniani: 'Et ego ideo adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis quæ in usu habemus, aut audiunt, aut vident, sed piratas cum catenis in littore stantes, et tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis, ut patrum suorum capita præcidant,' &c.

IX. AUSONIUS PAULO. 398

OSTREA nobilium cœnis, sumtuque nepotum

O Paule mi antique sodalis, qui assuevisti ineptiis quas scribo versu jocoso,

NOTÆ

1 *Nepotum*] Luxuriose viventium hominum, et rei familiaris incuriosorum, quorum præcipua de ciborum delectu et apparatu cura: inter quos non ultimum locum ostrea obtinebant, præcipue grandiora, quæ ab hujusmodi nepotis nomenclatore τρίδακνα appellata fuisse auctor est Plin. lib. XXXII. qua voce intelligi volebat ostrea tantæ amplitudinis, ut ter mordenda essent. Palmam mensarum tribui ostreis eodem capite ait idem Plinius.

Cognita, diversoque maris defensa profundo,
Aut refugis nudata vadis, aut scrupea subter
Antra, et muriceis scopulorum mersa lacunis,
Quæ viridis muscus, quæ dedecor alga recondit,
Quæ testis concreta suis, ceu saxa cohærent,
Quæ mutata loco, pingui mox condita limo,
Nutrit secretus conclusæ uliginis humor,
Enumerare jubes, vetus o mihi Paule sodalis,
Assuefacte meis joculari carmine nugis.
Aggrediar; quamvis curam non ista senilem
Solicitent, frugique viro dignanda putentur.
Nam mihi non Saliare epulum, non cœna dapalis,

præcipis ut referam ostrea nota epulis optimatium, et impensis luxuriosorum, et quæ protecta sunt variis pelagi gurgitibus, vel aperta undis refluentibus, vel abscondita sub cavernis calculosis, et in scrobibus asperis cautium, quæ teguntur musco viridi, quæ alga turpi, quæ adhærent inter se coalescendo conchis suis tanquam rupes, quæ translata in alium locum, statimque condita cœno pingui, aluntur occulto succo humoris inclusi in eorum testis. Incipiam; etsi ejusmodi argumentum non poscat operam senis, neque existimetur dignum homine temperante. Neque enim habeo apud me epulas Pontificales, neque convivia

2 *Defensa* reposuit Tollius, pro vulg. *defessa*.—7 'E prisca scriptura, quæ habebat *consta*, Scaliger emendavit *consita*: quam lectionem secutus est Tollius, et probo magis quam *condita*: etsi utrumque ferri potest.' *Souchay*.—13 Sic Lugdunenses emendandum putarunt, quod in suo erat exemplari *rara*

NOTÆ

4 *Muriceis*] Murex, testibus Nonio *Algoso littori concolora ostrea* dixerat.

[redacted]

Qualem Penelopæ nebulonum mensa procorum,
Alcinoique habuit nitidæ cutis uncta juventus.
Enumerabo tamen, famam testesque secutus,
Pro studiis hominum semper diversa probantum.
Sed mihi præ cunctis mitissima, quæ Medulorum
Educat oceanus, quæ Burdigalensia nomen
Usque ad Cæsareas tulit admiratio mensas,
Non laudata minus, nostri quam gloria vini.
Hæc inter cunctas palmam meruere priorem,
Omnibus ex longo cedentibus: ista et opimi

lauta, qualis mensa ganeonum amatorum Penelopes, et juvenes Alcinoi pingues bene curata cute habuerunt. Referam tamen illa, secutus ea quæ de iis vulgo dicuntur, et quæ docuerunt me qui illa gustarunt, et testes sunt eorum bonitatis, juxta propensiones hominum qui semper laudant contraria. At jucundissima omnium mihi videntur ea ostrea, quæ Oceanus Medulicus alit, quæ appellata Burdigalensia, delata sunt usque ad mensas Cæsarum propter mirum eorum saporem, et quæ non minus prædicantur, quam præstantia nostri vini. Hæc ostrea primum locum merito tenent inter cetera, reliquis longe cedentibus eis. Hæc

dapilis. Conjicit Gronovius, *recta dapalis*.—14 Al. *Penelopes*.—18 '*Cunctis ditissima*] Puto: *mitissima*: hoc enim potius matteis istis convenit.' *Gronov.*

NOTÆ

14 *Penelopæ nebulonum, &c.*] Ex his Horat. lib. I. Epist. II. 'Nos numerus sumus, et fruges consumere nati, Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoique In cute curanda plus æquo operata juventus.'

18 *Mitissima, quæ Medulorum Educat Oceanus*] Recte vidit Gronovius *mitissima* hic legendum, non ut habent exemplaria omnia *ditissima* Epist. VII. supra: 'Ostrea Baianis certantia, quæ Medulorum Dulcibus in stagnis,' &c. Et Tollius optime conjecit *Medulis* pro *Edulis* legendum in hoc Plinii loco lib. XXXII. cap. 6. ubi de ostreis loquentem inducit Mutianum, et Cyzicenis palmam dantem, comparatione ceterorum. 'Sunt ergo,' inquit Plin. 'Mutiani verba quæ subjiciam: Cyzicena majora Lucrinis, dulciora Britannicis, suaviora Edulis:' lege *Medulis*, quod bene convenit cum hoc Ausonii, 'mitissima quæ Medulorum,' &c. 'acriora Lepticis, pleniora Lucensibus, sicciora Coryphantenis, teneriora Istricis, candidiora Circeiensibus. Sed his neque dulciora, neque teneriora esse ulla compertum est.' Medulica illa ostrea etiam hodie commendari præ ceteris testes sunt Scaliger et Vinetus, atque hic apud Burdigalenses ea præsertim ait in pretio esse, quæ Solacensia dicuntur, a Solaco ultimorum Medulorum vico ad Garumnæ ostia.

19 *Burdigalensia nomen*] Quoad nomen. Græca locutio.

21 *Nostri quam gloria vini*] Carmine de Burdigala, inter præclaras urbes, eam 'Insignem Baccho' dicit. Vinum illud Burdigalense crassius, et maris patiens in Aremoricam, et Britanniam, Bataviamque vehitur navibus.

Visceris, et nivei, dulcique tenerrima succo,
Miscent æquoreum tenui sale tincta saporem.
Proxima sint quævis, sed longe proxima multo
Ex intervallo, quæ Massiliensia: portum
Quæ Narbo ad Veneris nutrit; cultuque carentis
Hellespontiaci quæ protegit æquor Abydi:
Vel quæ Baianis pendent fluitantia pilis:

carnis pinguis et candidæ, et suavis succi, ac tenerrima, aspersa salsugine tenui habent admixtum marinum saporem. Ea sequantur quæcunque alia, sed sequantur tantum e longinquo admodum spatio: ut ea quæ appellantur Massiliensia: ea quæ Narbo alit prope portum Veneris; et quæ mare Abydi inculti ad Hellespontum siti occultat: aut quæ fluitant pendentia ex molibus Baianis: quæ occultantur mari

vid. inf.—26 Suadet Tollius legendum: *sed longo proxima multum Ex intervallo*, ut ad illud Virgilianum magis accedat Æneid. v. 'Proximus huic, longo sed proximus intervallo.'—28 *Carentia* Vulg. vid. inf.—32 In exemplari

NOTÆ

* 26 *Sed longe proxima multo Ex intervallo*] Expressum e Virgilio, qui et ipse mutuatus fuerit a Tullio in claris Oratoribus, ubi ad verbum est, ut jam annotavit Morhoffius, in Polyhistore.

27 *Portum quæ Narbo ad Veneris, &c.*] Sic omnino legendum. 'Αφροδίσιον in Narbonensi Pyrenæi tractu memorant Strabo et Ptolemæus. Plinius Pyrenææ Veneris in latere promontorii meminit lib. III. cap. 3. Portum Veneris ibidem locat Mela lib. II. de situ orbis cap. 5. quod est de Gallia Narbonensi: 'Tum,' inquit, 'inter Pyrenæi promontoria Portus Veneris insignis fano, et Cervaria locus, finis Galliæ.' Portum illum Veneris Olivarius interpretatur, *Cap de Creus*. Et Cervariam *Colioure*. Massiliensium porro et Narbonensium ostreorum non alibi mentio.

28 *Cultuque carentis*] Sic malo, quam *carentia*. Quid enim quæso sint ostrea cultu carentia? Abydena quidem ostrea aspera vocantur in versibus Ennii ab Apuleio nostro laudatis in Apologia: 'Mures sunt Æni, ast aspra ostrea plurima Abydi.' Sed asperitas illa testarum ostreis illis non est peculiaris, neque culta lævigatur aliquo quibusvis in oris. Refer ergo 'cultuque carentis' ad 'Abydi,' et intellige inculti, civibus parum abundantis, aut barbari, et morum agrestium.

29 *Hellespontiaci ... Abydi*] In Priapeis ad Priapum: 'Nam te præcipue in suis urbibus hæc colit ora Hellespontia, ceteris ostreosior oris.' Ex illa ora Cyzicena erant ostrea, Mutiano præ ceteris laudata, Plin. loco supra laud. de Abydo, Virgil. lib. I. Georg. 'Pontus, et ostriferi fauces tentantur Abydi.' Vide Notas nostras ad Apuleianæ Apologiæ locum supra laudatum.

30 *Baianis*] Supra Epist. VII. 'Ostrea Baianis certantia.' Horat. lib. II. Sat. IV. 'Murice Baiano melior Lucrina Peloris. Ostrea Circæis, Miseno oriuntur echini,' &c. Baiæ urbs maritima Campaniæ, notior quam ut plura de ea addenda sint.

Pilis] Scaliger mavult *pilis* quam *palis*, hoc ductus Virgilii versu:

Santonico quæ tecta salo: quæ nota Genonis:
Aut Eborum mixtus pelago quæ protegit amnis,
Ut multo jaceant algarum obducta recessu:
Aspera quæ testis, et dulcia farris opimæ.
Sunt et Aremorici qui laudent ostrea ponti:
Et quæ Pictonici legit accola littoris: et quæ
Mira Caledonius nonnunquam detegit æstus.
Accedunt, quæ fama recens Byzantia subter
Littora, et insana generata Propontidis acta,

Santonico: quæ cognita sunt Genonis: vel quæ fluvius Eborum confusus cum mari celat, ita ut jaceant operta in intimo recessu algarum: quæ habent conchas asperas, et suavia sunt pingui carne. Quidam etiam prædicant ostrea maris Aremorici: et quæ accola littoris Pictonici colligit: et quæ refluxus Britannici maris aliquando revelat admirabilia. Huc adde illa ostrea, quæ fama nuper sparsa prædicat procreata sub littoribus Byzantinis, et in littore æstuante Propontidis, jactata sub

erat: *Aut Ebore:* unde *Aut Eboræ* potius scriberem, inquit Vinetus, quam, *Aut Eborum.*—33 *Abducta* ed. Delph.—34 'Toll. *sed dulcia farris opimo* reponendum censet, et antithesin esse inter 'Aspera testis,' et 'dulcia opimo farris,' seu *carnis*, quod et Vinetus pro *farris* reponendum putabat. Certe *farris* si hic retineatur, perinde intelligendum est, ac si scriptum esset *carnis*, pro interiore scilicet ostrei substantia in testis latente. At *farris* a recto 'far' neutrum est, et male congruit cum 'opimæ,' unde *carnis* libenter reponerem. Monet tamen Vinetus reperiri in vet. Glossario 'farris' in recto, quod po-

NOTÆ

'Qualis in Euboico Baiarum littore quondam Saxea pila cadit.'

31 *Santonico quæ tecta salo*] Maxima esse illa ostrea, et retibus converri testatur Vinetus.

Quæ nota Genonis] Illyrici populis Straboni, Horatio, et aliis. Illyrici ostreorum Plinius meminit lib. XXXII. cap. 6. jam laudato: 'Variant,' inquit, 'coloribus. Rufa in Hispania, fusca in Illyrico, nigra et carne, et testa, Circeiis.'

32 *Aut Eborum mixtus, &c.*] Vinetus in veteri exemplari fuisse *Ebore*, non *Eborum*, testatur. Unde *Eboræ* se malle legere ait quam *Eborum*, et intelligit Eboram Hispaniæ urbem ad Bætis ostium. Scaliger 'Eborum amnem mistum pelago,' intelligit ostia Sequanæ; et Ebores, seu Eburones, hic esse Eburonices, qui interjacent inter Sequanam et Abricantum, *Avranches*, continentque Lexovios ipsos, et ab iis totum illum Aulercorum tractum dictum fuisse Eburovicanum, vel Ebruicanum. Ostreis, quæ inde Lutetiam advehuntur, secundam a Burdigalensibus palmam idem tribuit.

37 *Caledonius*] Britannicus a Caledonia sylva: vide supra Notas in versum 68. Mosellæ. In loco Mutiani a Plinio laudato, et supra relato, ostreorum Britannicorum fit mentio, ut dulcium.

39 *Insana ... acta*] 'Ἀκτὴ, littus. Insana acta est quam 'insani feriunt fluctus,' ut verbis Virgilii utar, Ecloga nona.

Propontidis] Maris Hellespontum

Promoti celebrata ducis de nomine, laudat.
Hæc tibi non vates, non historicus, neque toto
Orbe vagus conviva loquor, sed tradita multis:
Ut solitum, quotiens dextræ invitatio mensæ
Solicitat lenem comi sermone Lyæum.
Hæc non per vulgum mihi cognita, perque popinas,
Aut parasitorum collegia Plautinorum:
Sed festos quia sæpe dies partim ipse meorum
Excolui, inque vicem conviva vocatus adivi,
Natalis si forte fuit solennis amico,
Conjugioque dapes, aut sacra repotia patrum,

nomine Promoti ducis. Ego hæc tibi narro, non ut vates, neque ut historicus, neque ut epulo discurrens per totum orbem terrarum, sed quæ accepi a pluribus quemadmodum solet fieri, quoties invitatio mensæ honestæ instigat mitem Bacchum blando colloquio. Non hæc didici a plebe, et in cauponis, vel in cœtibus parasitorum, quales Plautus inducit: verum, quoniam sæpe diebus festis excepi convivio aliquoties ex meis propinquis, et vicissim invitatus ab iis ad epulas ivi ad eos, si forte incidit natalis dies celebratus ab amico, et epulæ nuptiales, vel sacræ epulæ parentum,

tuerit esse fœmineum.' *Floridus.* Vid. Not. Var.—40 *Laudant* Vulg.—46 Ms. *collecta.* Conjicit Gronovius, *colliphia.* *Collecia* forte fuit, inquit Tollius, in libro pro *Collegia.* Hinc factum *collectia* et *collecta.*—50 In vetusto Lugdunensi libro erat : *reportia.* *Repotia* defendit Vinetus.—51 *Bone* Vulg.

NOTÆ

inter et Bosphorum Thracium.

40 *Promoti celebrata ducis de nomine*] Et ab eo Promotiana dicta. [redacted]

cianum fuisse. Ibi cum degeret, potuit ostreis insana Propontidis acta generatis famam conciliare, unde [redacted]

Audivi: meminique bonos laudare frequentes.

audivi illic quæ modo dixi: et recordor multos viros probos ista laudare solitos.

NOTÆ

cœnaretur. Horat. lib. II. Sat. II. 'Licebit Ille repotia, natales, aliosve dierum Festos albatus celebret.' Ad quem locum Acron 'repotia' exponit secundum a nuptiis diem, vel septimum quo soleret nova nupta redire ad parentes suos. Turnebus ex eodem Acrone putat 'repotia' quoque dicta esse convivia quæ celebrabantur liberis natis, quos parentes tollere decrevissent.

X. AUSONIUS PAULO. 399

Si qua fides falsis unquam est adhibenda poëtis,
Nec plasma semper allinunt,
Paule, Camœnarum celeberrime Castaliarum
Alumne quondam, nunc pater,
Aut avus, aut proavis antiquior, ut fuit olim
Tartessiorum regulus:
Intemerata tibi maneant promissa memento.
Phœbus jubet verum loqui.
Et si Pierias patitur lirare sorores,
Nunquam ipse torquet αὔλακα.

Si unquam credendum est poëtis mendacibus, neque semper illi adhibent figmenta, o Paule, clarissime musarum Castalidum olim alumne, nunc pater, vel avus, vel vetustior proavis, sicut rex Tartessiorum quondam fuit: da operam, ut tua promissa maneant inviolata. Apollo imperat ut verum dicatur. Ac si permittit ut sorores Pieriæ delirent, ipse nunquam curvat sulcum. Ne te etiam pœniteat pacti mecum

NOTÆ

2 *Plasma*] Figmentum, a πλάττω.

4 *Alumne quondam*] Cum erudiebaris.

Nunc pater] Cum alios doces.

5 *Ut fuit olim*] Non Musarum, sed nepotum et pronepotum suorum proavus, aut proavo antiquior, Tartessiorum ille regulus.

6 *Tartessiorum regulus*] Arganthonius Tartessiorum populi Hispaniæ in Gaditano littore rex, quem Herodotus in Clio ait quadragenarium regni habenas cepisse, et per annos octoginta tenuisse, sicque vixisse annos viginti supra centum. Anacreon, testibus Plinio et Luciano in Macrobiis, centum ei et quinquaginta vitæ annos tribuit. Silius Italicus trecentos, his versibus lib. III. 'Arganthoniacos armat Carteia nepotes. Rex proavis fuit humani ditissimus ævi, Ter denos decies emensus belliger annos.'

9 *Et si Pierias patitur lirare*] 'Lirare' hic est delirare, hoc est, a lira, seu recto sulco, aut potius porca, seu

Te quoque ne pigeat consponsi fœderis: et jam
Citus veni remo, aut rota,
Æquoris undosi qua multiplicata recursu,
Garumna pontum provocat:
Aut iteratarum qua glarea trita viarum,
Fert militarem ad Blaviam.
Nos etenim primis sanctum post Pascha diebus
Avemus agrum visere.
Nam populi cœtus, et compita sordida rixis
Fastidientes, cernimus
Angustas fervere vias, et congrege vulgo
Nomen plateas perdere.

initi: et jam propere accurre navi, aut curru. Qua parte Garumna auctus refluxu maris undosi, contendit de latitudine cum pelago. Vel qua calculus tritus viæ sæpius calcatæ, ducit ad Blaviam militum præsidio firmatam. Nam ego cupio ire rus proximis diebus post sanctum festum Paschatis. Exosus enim turbas populi, et compita fœda jurgiis, video arctos vicos fervere tumultu, et plateas amittere nomen suum ob

NOTÆ

terra inter duos sulcos elata, in alteram partem deflectere, et non recta via ire. Metaphorice dicitur de iis qui a veritate aberrant.

10 *Nunquam ipse torquet αὔλακα*] Manet in eadem metaphora: αὖλαξ sulcus est, 'nunquam torquet αὔλακα;' sulcum nunquam ducit obliquum, nunquam mentitur, nunquam fallit, quanquam aliquando sinat Musas mentiri et fallere.

12 *Citus veni remo, aut rota*] Scaliger in Ausonianis lectionibus ad hanc Epistol. Cum esset, inquit, in Santonis, in Novero-pago, ubi villam habebat, invitat Axium Paulum Bigerritanum ad agrum suum. Itaque necesse ei Blavia iter facere. Recedente enim æstu Oceani, trium horarum secundo Garumna evectio est Blaviam navigio expedito.

15 *Glarea*] Terra calculosa est. 'Glaream' eo tempore pro 'aggere' seu 'militari via' acceptam ait Scaliger, et probare nititur ex loco Augustini de Civit. Dei, qui tamen aliter accipi potest. Nec firmiori nititur fundamento quod subjungit: glaream dici ejusmodi aggerem, per antiphrasim.

16 *Militarem ad Blaviam*] Blavia, hodie *Blaye*, militaris dicitur, quod in ea tunc, ut et hodie, præsidium esset militum sub præfecto, ut ex notitia imperii patet.

* *Militarem ad Blaviam*] Castrum munitissimum in Garumnæ ripa Santones spectante situm, septem a Burdigala leucis. 'Blavium' dicitur Turpino de gestis Caroli Magni cap. 11. vulgo *Blaye*. Militarem appellat Ausonius, quod ibi præsidium esset militum Carronensium sub Tractus Armoricani ducis imperio, Aquitaniæ secundæ in obsequio continendæ gratia. Patet illud ex notitia imperii: 'Sub dispositione viri spectabilis ducis Armoricani ... Præfectus militum Carronensium Blavia.' *Altesærra*.

18 *Agrum visere*] In Novero-pago Santonum, si Scaligero credimus.

21 *Congrege vulgo*] Congregato,

Turbida congestis referitur vocibus Echo,
Tene, feri, duc, da, cave:
Sus lutulenta fugit, rabidus canis impete sævo,
Et impares plaustro boves.
Nec prodest penetrale domus et operta subire:
Per tecta clamores meant.
Hæc, et quæ possunt placidos offendere mores,
Cogunt relinqui mœnia:
Dulcia secreti repetantur ut otia ruris
Nugis amœna seriis.
Tempora disponas ubi tu tua: jusque tuum sit,
Ut nil agas, vel quod voles.
Ad quæ si properas, tota cum merce tuarum
Veni Camœnarum citus.

plebem in eis collectam. Echo tumultuosa repercutitur his verbis confusis, retine, pulsa, age, cedo, cave tibi: porcus cœnosus fugit, et canis rabiosus diro impetu, et boves male aptati plaustro. Neque prodest quicquam ingredi interiora et recondita domus: clamores enim percudunt domos. Ista, et ea quæ possunt lædere vitam quietam, efficiunt ut muri urbium deserantur, ad repetendam jucundam quietem agri semoti, gratam nugis nostris, quæ seriæ sunt. Ubi tu ordines quid quoque tempore sis acturus: et ubi sit tibi liberum, aut nihil facere, aut facere quod libitum fuerit tibi. Ad quam quietem si festinas, veni propere cum omnibus mercibus tuarum

28 Emendandum putat Accursius *Per septa.*—41 Vid. inf.

NOTÆ

Apul. noster lib. VII. Metam. 'Congregem' posuit pro eo qui sit ejusdem gregis: 'Equinis armentis namque me congregem pastor egregius mandati Dominici serus auscultator, aliquando permisit.'

* *Congrege vulgo*] Glossæ veteres ὁμόφυλος, tribulis, congrex, gentilis. Hinc tollitur dubium Vineti. *Desposius.*

22 *Nomen plateas perdere*] Platea, πλατεῖα, via lata, a πλατὺς latus. Sed plateæ, quanquam latæ abundante hominum ultro citroque commeantium multitudine, angustæ festinantibus videntur, sicque nomen suum quodammodo amittunt.

25 *Sus lutulenta fugit, &c.*] Ex hoc Horatii lib. II. Epist. II. 'Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus.'

26 *Impares plaustro boves*] Vel male aptati, vel trahendo plaustro vix satis validi, proindeque sæpius restitantes ac impedientes viam.

28 *Per tecta*] Mariangelus Accursius reponebat *Per septa*, ex hoc Lucretii: 'Inter septa meant voces, et clausa domorum Transvolitant.'

32 *Nugis amœna seriis*] Nugas serias appellat poësin, ceterasque literatorum in otio occupationes.

[redacted]

Dactylicos, elegos, choriambum carmen, epodos,
  Socci et cothurni mùsicam,
Carpentis impone tuis: nam tota supellex
  Vatum piorum chartea est.
Nobiscum invenies catenoplia, si libet uti,
  Non Pœna, sed Græca fide.

Musarum. Pone in tuis rhedis versus Dactylicos, Elegias, versus Asclepiadicos, Epodos, Musicam Comœdiæ et Tragœdiæ. Tota enim supellex piorum poëtarum est papyracea. Reperies apud nos illa omnia, si vis iis uti coram, non fide Punica, sed Græca.

NOTÆ

38 *Socci et cothurni musicam*] Poësin et numeros, Comœdiæ et Tragœdiæ convenientes.

41 *Nobiscum invenies catenoplia, &c.*] Tenebricosus locus, et, ut puto, corruptus. 'Catenoplion' quidem apud Suidam est species quædam rhythmi, et carminis, ad quod saltabant Veteres arma quatientes, unde nomen: ὅπλα enim arma sunt. Sed quid hoc ad Paulum et Ausonium, homines togæ magis quam armorum studiosos? Et quo pacto convenit cum sequentibus? Scaliger legit κατενώπια. 'Jubet,' inquit, 'ipsum Paulum afferre secum totam poëtarum et Rhetorum supellectilem, non quod ipse habeat, sed quia, ut colligimus, Paulus mala fide utebatur libris Ausonii, neque reddebat. Propterea lego: *Nobiscum invenies, κατενώπια si libet uti Non Pœna sed Græca fide.* Apud nos quidem invenies, inquit: sed ea lege, ut κατενώπιον utare. Quid est κατενώπιον? Hoc est, ut non Pœna, sed Græca fide utaris: Græca fide dicitur solvi, quod præsenti pecunia solvitur, &c. Sane possem illud κατενώπλια de poëmate quodam interpretari. Sed nolo contra animi mei sententiam nugari. Quod autem Græca fides in proverbium cesserit, ubi de præsenti pecunia agitur, patet simili proverbio δὸς καὶ λαβέ.' Hæc acute satis excogitata, secutus sum in Interpretatione. Quanquam, ut verum fatear, non satisfaciunt, ac ne ipsi quidem Scaligero. Subjungit enim: 'Mirum tamen Ausonium hac in Epistola præcipere Paulo, ut secum afferat libros, quanquam ipse habeat: in ea vero Epistola quæ incipit Æquoream, jubet nullos afferre, quia apud se inveniet.' Mariangelus Accursius in suo exemplari multo aliter legit: *Nobiscum invenies nullas, quia liquimus, ejo;* et pro *ejo* reponit literis Græcis εἴω, hoc est, eo, vado. Sed ista nihil ad rem.

XI. AUSONIUS PAULO S. 400

VERSUS meos utili, et conscio sibi pudore celatos, carmine tuo et sermone præmissis, dum putas elici, repres-

Dum existimas, præmittendo poëma et orationem tuam, attrahi a te mea carmina abscondita ex verecundia utili ipsis, et gnara eorum inconcinnitatis, retrusisti ea.

sisti. Nam qui ipse facundus, et musicus,[a] editionis[1] alienæ prolectat audaciam, consilio, quo suadet, exterret. Tegat, oportet, auditor doctrinam suam, qui volet ad dicendum solicitare trepidantem; nec emerita[b] adversum tirunculos arma concutiat veterana calliditas. 2. Sensit hoc Venus, de pulchritudinis palma diu ambiguo ampliata judicio.[c] Pudenter enim, ut apud patrem, velata certaverat; neque deterrebat æmulas[d] ornatus æqualis. At postquam in pastoris[e] examen deducta est lis Dearum; qualis emerserat mari,[f] aut cum Marte convenerat, et consternavit arbitrum, et contendentium certamen oppressit.[g] 3. Ergo nisi DELIRUS tuus[h] in re tenui[i] non tenuiter laboratus, opus-

Ille enim, qui, cum sit ipse disertus, et poëticæ peritus, hortatur alios ut audeant sua edere, dissuadet iisdem monitis, quibus adhortatur. Oportet ut auditor, qui cupiet impellere timentem ad orandum, celet suam doctrinam: neque veteranus miles astutus debet movere arma sua militia perfuncta contra rudes tirones. Hoc animadvertit Venus, cum præmium formæ diu ei esset dilatum ancipiti sententia. Nam contenderat amicta verecunde, utpote coram patre: neque cultus ejus qui idem erat ac Dearum cum ea contendentium, eas absterrebat a contendendo. Verum postquam contentio Dearum delata est ad arbitrium pastoris, ipsa cum prodiisset qualis exierat pelago, vel qualis congressa erat cum Marte, et obstupefecit judicem, et oppressit contentionem æmularum. Igitur si Delirus tuus, non leviter

1 Editioni malit Gronovius, quod in textum suum recepit Tollius.—2

NOTÆ

[a] *Et musicus*] Non cantor, sed Musarum alumnus, et poëta. Eloquentiam, scilicet et poësin ait in Paulo fuisse conjunctas.

[b] *Nec emerita, &c.*] Allegoria a re militari.

[c] *Diu ambiguo ampliata judicio*] Ampliari dicitur lis, aut reus, quando causa non liquet satis, et differtur judicium in tempus aliud, pronuntiantibus judicibus 'amplius deliberandum.' Valer. Maxim. l. VIII. 'Scipio Æmilianus Cottam apud populum accusavit: cujus causa gravissimis testimoniis erat confossa, septies ampliata, et ad ultimum octavo judicio absoluta est.' Ampliare se populus significabat tabellis in urnam conjectis, quibus inscriptæ erant literæ N. L. quarum vis erat, Non liquet.

[d] *Æmulas*] Junonem et Minervam.

[e] *Pastoris*] Paridis.

[f] *Qualis emerserat mari*] Nuda scilicet.

[g] *Oppressit*] Repente terminavit vi nativæ pulchritudinis, quæ in ea nuda emicabat.

[h] *Delirus tuus*] Nomen est comœdiæ, aut alicujus alius poëmatis Pauli, in quo ille delirantem aliquem senem induxerit loquentem aut facientem quidpiam; unde nomen.

[i] *In re tenui, &c.*] Virg. Georg. l. IV. 'In tenui labor: at tenuis non gloria,' &c.

[redacted]

cula mea, quæ promi studueras, retardasset: jamdudum ego, ut palmes audacior, in hybernas adhuc auras improbum germen egissem, periculum judicii gravis inconsulta festinatione subiturus. 4. Denique dissonum,[k] quem Colonomon existimo proprie a philologis appellatum, ad te mittere,[2] ut jubebas, recenti versuum tuorum lectione non ausus, ea, quæ tibi[l] jam cursim fuerant recitata, transmitto. Etenim hoc poposcisti,[3 m] atque id ego malui:[n] tu

elaboratus licet in levi argumento, non remoratus esset mea opuscula, quæ cupiveras edi: jam pridem ego, tanquam surculus confidentior, produxissem germen temerarium in aëra adhuc hyemantem, subiturus discrimen censuræ adversæ properatione mea imprudenti. Postremo deterritus recenti lectione tuorum carminum, ne ad te mitterem, ut mandabas, dissonum meum, quem autumo proprie nominatum a literarum studiosis Colonomum, mitto ad te ea carmina, quæ jam fuerant tibi lecta propere. Namque petiisti illud, et ego hoc malui: tu scilicet petiisti ut bis impingeres

Denique dissonum, quem .... appellatum, accrevi.' Vulg. Vid. inf. et Not. Var.

NOTÆ

[k] *Denique dissonum, &c.*] Omissis quæ Scaliger hic de Dissono, seu διαφώνῳ et κόλῳ νόμῳ in Musica, ac voce 'accrevi' active sumta oggerit fusius, amplector libens Gronovii sententiam, existimantis 'Dissonum' seu 'Colonomon' (ut Philologi Græcarum inscriptionum studiosi appellant) fuisse titulum Ausoniani alicujus poëmatis, quod vereatur Ausonius ad Paulum mittere, quasi hoc cum Pauli Deliro comparatum nimis sordeat; cum tamen alios versus jam ei a se recitatos mittat. Et locum hunc totum, cum eodem Gronovio sic lege: *Denique Dissonum, quem Colonomon existimo proprie a Philologis appellatum, ad te mittere, ut jubebas, recenti versuum tuorum lectione non ausus, ea quæ tibi jam cursim fuerant recitata, transmitto.* Vide Interpretationem. Τὸ *accrevi* tamen, cujus loco Gronovius audacule quidem, sed ad sensum, ut videtur, necessario substituit: *ad te mittere,* nolui e textu rejicere, neque aliis occasionem invidere aliquid fortasse melius ex hac voce conjiciendi.

[2] *Denique dissonum, &c.*] Non placet emendatio Gronovii quam noster secutus est; neque etiam Scaligeri interpunctio: locum igitur sic interpungo, sine ulla mutatione: *Denique Dissonum quem Colonomon proprie a Philologis appellatum (accrevi) ut jubebas recenti versuum tuorum lectione non ausus,* supple mittere, *ea quæ tibi jam cursim fuerant recitata, transmitto.* Τὸ *accrevi* metaphora continuata a Palmite cui se superius Poëta comparavit: 'ut palmes audacior, in hybernas adhuc auras germen egissem.' Per Delirum intellige carmen cui hunc titulum fecerat Paulus, uti per dissonum Colonomon, Ausonii poëma ita inscriptum.

[l] *Ea, quæ tibi, &c.*] Alia aliqua carmina, quorum non exprimit argumentum.

[m] *Hoc poposcisti*] Ut ad te Dissonum meum mitterem.

[n] *Id ego malui*] Mittere tantum ea carmina quæ jam tibi recitaveram.

ut tua culpa ad eundem lapidem[o] bis offenderes:[p] ego autem quæcumque fortuna esset,[q] semel erubescerem.[r] 5. Vide, mi Paule,[4] quam ineptum lacessieris: in verbis, rudem: in eloquendo, hiulcum: a propositis discrepantem: in versibus, concinnationis expertem: in cavillando, natura invenustum, nec arte conditum: diluti salis, et fellis ignavi: nec de mimo planipedem,[s] nec de comœdis histrionem.[5] Ac nisi hæc a nobis missa ipse lecturus esses, etiam de pronuntiatione rideres.[t] Nunc commodiore fato sunt: quod licet apud nos genuina, apud te erunt adoptiva.

Vinum cum bijugo parabo plaustro
Primo tempore Santonos vehendum,

pedem ad eundem lapidem, idque tua culpa: ego vero malui semel tantum suffundi pudore, quæcumque tandem sors maneret mea scripta. Considera, mi Paule, quam ego, quem solicitasti, sim ineptus: quam imperitus in dictionibus: quam hians in elocutione: quam alienus a proposito: quam inconcinnus in metris: quam in cavillis sim inficetus a natura, et rudis ab arte: quam insulsus, quamque insipidus: nec in mimo dignus qui planis pedibus agam, neque qui histrio sim in comœdiis. Atque etiam irrideres me ob pronuntiationem meam, nisi tu ipse lecturus esses hæc, quæ ad te mitto. Jam fortunam nanciscuntur meliorem: quod quanquam a me genita sunt, a te, dum leges, videbuntur adoptata. Cum emam vinum devehendum quam primum

—3 *Poposci* vulg.—4 Vinetus testatur in nonnullis codd. hoc esse alterius Epistolæ initium.—5 '*Nec de comœdiis histrionem*] Sic lege, non *comœdis*, actores comœdiarum Histriones, mimorum Planipedes.' *Floridus.* Sed in textu ed. Delph. *comœdis* legitur: quod etiam rectius esse censet Accursius.—

NOTÆ

[o] *Ad eundem lapidem*] Ad me malum poëtam.

[p] *Bis offenderes*] Semel cum recitari tibi a me illa carmina voluisti, iterum nunc cum expetis mitti ad te Dissonum meum.

[q] *Quæcumque fortuna esset*] Sive placerent tibi mei versus, sive displicerent.

[r] *Semel erubescerem*] In uno tantum opere, versibus scilicet illis, quos, jam tibi alias recitatos, nunc ad te mitto.

[s] *Nec de mimo planipedem*] 'Mimum' hic intellige poëma ipsum quod Mimi agebant, 'planipedem' vero actorem mimum. Planipedem enim et Mimum idem esse scribit Diomedes lib. III. quartamque numerat togatarum fabularum speciem, Planipedisque appellationem ex eo esse ait, 'quod actores planis pedibus, id est, nudis, proscenium introirent, non, ut tragici actores, cum cothurnis: neque, ut comici, cum soccis.'

[t] *De pronuntiatione rideres*] Si ego ipse tibi recitarem; adeo male pronuntio.

[redacted]

Ovum tu quoque[6] passeris marini:[u]
Quod nunc promus ait procul relictum
In fundo patriæ Bigerritanæ.[v]

Santonos vehiculo bijugo, tu etiam cura advehi ovum passeris marini, quod atriensis tuus dicit, nunc esse relictum procul hinc in villa tua Bigerritana, unde es oriundus.

6 Al. *coque.*

NOTÆ

[u] *Ovum tu quoque passeris marini*] Passeres marini pisces sunt plani, cujusmodi quadratuli, soleæ, et alii id genus. Sed ii nihil ad hunc locum. Passer marinus hic ex Festo intelligendus est, 'quem vocat vulgus Struthio-Camelum,' ingens illa avis pæne bestiarum generis, altitudinem equitis insidentis equo excedens, celeritatem vincens, ad hoc demum datis pennis ut currentem adjuvent, quæ de cetero non est volucris, nec a terra tollitur, ut ait Plinius l. x. c. 1. quem Struthio-Camelum quod avis esset, 'passerem' vocarunt, imitatione Græcorum qui *στρουθίον* vocant: quod peregrinus et ultramarinus: 'marinum,' hoc est, *διαπόντιον*, ut recte Scaliger observ. Plaut. Persa act. II. sc. 2. 'Vola curriculo. Pæg. Isthuc passer marinus in Circo solet.' Hujusmodi avis ovum ex lacunari ornamenti causa, ut solet, suspensum, et solum misero Paulo de omni supellectile a creditoribus relictum, inquit Scaliger, jubet hic eum Ausonius, amici paupertati salse nimis insultans, ad cibum coquere, (nam 'quoque' idem hic intelligit ac 'coque;') sed quid hoc ad vinum, quod ait se devecturum Santonos? Ego (pace viri tanti dixerim) aliud hic intelligo. Et 'quoque' non interpretor coque, sed etiam vulgato intellectu. Et ovum passeris marini intelligo poculum capax, ex ejusmodi ovo, quo poculo uti solitus sit Paulus; et quod eum invitat ut advehi curet in Santonos tunc, cum ipse vinum illuc devehendum curabit, ut scilicet ibi possint cupa potare magistra. Ex ejusmodi ovis vasa fieri solita testis luculentus Plinius dicto loco. 'Præmia ex iis,' inquit, 'ova propter amplitudinem quibusdam habita pro vasis, conosque bellicos et galeas ornantes pennæ.'

[v] *In fundo patriæ Bigerritanæ*] Intellige Crebennum fundum Pauli apud Bigerros, *Bigorre*, in Aquitania ad saltum Pyrenæum inter Benearnenses et Convenas.

XII. *Αὐσόνιος Παύλῳ.* 401

'Ελλαδικῆς μετέχων μούσης, Latiæque Camœnæ,

Ego Ausonius particeps Musæ Græcæ, et Musæ Latinæ, scribo Axio Paulo,

NOTÆ

1 '*Ελλαδικῆς, &c.*] In hac Epistola Ausonius cum eodem Axio Paulo Rhetore Bigerritano, ad quem est Epistola superior, eleganter nugatur, Latina Græcis admiscens, et voces ex utraque lingua sæpe componens, ut hanc gelido-*τρομεροί*, Latinæ etiam voci Græcam addens terminationem

-Αξίῳ Αὐσόνιος sermone alludo bilingui.
Musæ, quid facimus? τί κεναῖσιν ἐπ' ἐλπίσιν αὔτως
Ludimus ἀφραδίῃσιν ἐν ἤματι γηράσκοντες;
Σαντονικοῖς campoισιν ὅπη κρύος ἄσπετόν ἐστιν,
Erramus gelido-τρομεροὶ, rigidique poëtæ
Πιερίδων τερενοπλοκάμων θεράποντες inertes.
Πάντα δ' ἔχει παγετός τε pedum, καὶ κρυμὸς ὀδόντων,
Θαλπωρὴ quia nulla πέλει χιονώδεϊ χώρῃ,
Et duplicant frigus ψυχρὰ carmina μητιόωντες.
*Ἀρχόμενός δ' ἄρα μῆνιν ἐώϊα. . . . .
Primitias Παύλῳ nostro πέμψω μελιηδεῖς.
Μνημοσύνης κρηδεμνοκόμου πολὺ inclyta τέκνα,
'Εννέα verbosæ, κρινοστέφανοί τε puellæ,
'Ενθ' ἄγε μοι τολυπευέτ' ἔπη, κουρώδεα μολπὴν,

*ludens oratione bilingui. Quid facimus o Camenæ? Quid vana in spe frustra ludimus, stulte senescentes in dies? Nos poëtæ gelu trementes, et rigentes, servi inertes Pieridum teneros capillos habentium, vagamur in campis Santonicis, ubi frigus est ingens. Gelu autem pedum, et frigus dentes tremefaciens occupat omnia, quia nullus tepor inest niveæ regioni, et meditantes frigidos versus, augent frigus. Ille autem qui incipit: Iram matutino: *. Mittam Paulo nostro primitias dulces. Proles valde illustris Mnemosynes, vittatæ capillos, novem loquaces liliisque coronatæ virgines, huc agite, mihi collectos versus, cantum puellarum, volucrem libellum*

5 'Ὅπη κρύος] Forte: ὅποι κρύος ἄλγιόν ἐστιν. Pulmannus: mihi videbatur: ὅποι κρύος ἐστὶν ὀδόντων.' *Gravius.*—13 ' Pulmannus suspicatur πολυκήδεα. Nihil mutandum. Πολυ-inclyta vox est Græco-Latina ut *gelido-τρομεροί.*' *Floridus.*—15 ' Illud τολυπευέτα ex antiquis editionibus, præsertim Aldina, divinavimus. In illis enim legitur πολυ * ἐπικουρώδεα non ποδὴ, ut in aliis

NOTÆ

ut in his *vinoιο, bonoιο*, et *campoισιν* aut Græcæ Latinam, ut in hac *φρόντibus*. Post diligentem tamen Scaligeri, Vineti, et aliorum curam superfuere lacunæ in ea nonnullæ, quas explere absque Mss. codicum ope non opis est nostræ. Græca Latinis exposuimus in Interpretatione, quam consule ad singula.

* 7 *Θεράποντες, inertes*] Ex Hesiodo in Theogonia: 'Αοιδὸς Μουσάων θεράπων.

10 *Ψυχρὰ carmina μητιόωντες*] Mali poëtæ, quos facete fingit frigidis et insulsis suis carminibus regionis frigus duplicare.

11 'Αρχόμενος δ' ἄρα μῆνιν ἐώϊα] Innuit ex illis malis poëtis Santonicis aliquem Paulo notum, qui Carmen aliquod scripserit hoc initio μῆνιν ἐώϊα, ad imitationem ut videtur initii Iliadis: Μῆνιν ἄειδε Θεά.

13 Κρηδεμνοκόμου] Κρήδεμνον Noster in Periocha lib. v. Odyss. infra ' Calanticam' vertit, velum scilicet, seu tegumen quoddam capitis. Significat etiam vittam, coronam, infulam, et vasis operculum. Κρηδεμνοκόμου verti vittatæ comas: posses et vertere opertæ, vel velatæ crines.

*Φρόν*tibus *ὑμετέραις πτέρινον* præferte libellum
Ὕματαρ . . . *στίχον* . . . . . .
Παύλῳ ἐφαρμόζητε μεμιγμένον . . . . *ᾠδήν*.
Οὐ γάρ μοι θέμις ἐστὶν in hac regione *μένοντι*,
Ἄξιον ab nostris *ἐπιδεύεα* esse *καμήναις*.
Κεῖνος ἐμοὶ πάντων μέτοχος, qui seria nostra,
Qui joca *παντοδαπῇ* novit tractare *παλαίστρῃ*.
Καὶ νῦν sepositus *μοναχῷ ἐνὶ* rure *Κρεβέννῳ*,
Ἀσταφύλῳ ἐνὶ χώρῳ, habet *θυμαλγέα λέσχην*,
Οὔτε φίλοις ἑτάροις, nec mensæ accommodus ulli:
Ὅττι ἀθελξινόοις αἰεὶ συνέμεν φάτο μούσαις.
Jam satis, *ὦ φίλε Παῦλε, πόνων ἀπεπειρήθημεν*,
Ἔν τε fo*ρῳ* caus*αῖς τε, καὶ* ingrat*αῖσι καθέδραις*,
Ῥητορικοῖς lu*δοισι, καὶ ἔπλετο οὐδὲν ὄνειαρ*.

*anteferte meditationibus vestris * versum * * Paulo accommodetis mixtum * carmen. Non enim mihi fas est manenti in hac regione sinere, ut Axius Paulus expers sit nostrarum Camœnarum. Ille mihi omnium particeps, qui scit tractare omnimoda exercitatione seria nostra, et jocos. Et nunc semotus in Crebenno solitario agro, in regione vitibus carente, habet confabulationem morosam, neque caris sodalibus, neque ulli adhibitus convivio: quia dixit se semper versari velle cum Musis animum non demulcentibus. Jam satis laborum experti sumus, o care Paule, in foroque et causis, et cathedris ingratis, Rhetoricis ludis: et nulla in iis fuit nobis utilitas.*

recentioribus.' *Scaliger*.—16 Fron*τίσω* vulg. Vetus codex *Frontibus:* alii *Fortibus*, et *triumphum* pro *libellum*.—24 Alii *λάχνην* pro *λέσχην*.—26 *Μέμφετο μούσαις* Vulg. Vid. not. inf. In ed. Toll. legitur: *Ὅττι ἀθελξινόοις* . . . . *μὲν φάτο μούσαις*.—28 'Ingrat*αῖσι*] Non male, ut equidem censeo, emendamus ex prisca editione, quæ plane habet: *καὶ ingrata ες ἠκαθιάραις*.' *Scaliger*. In

[redacted]

Ἀλλ' ἤδη κεῖνος μὲν ἅπας juvenalιος ἱδρὼς
Ἐκκέχυται μελέων· τρομερὴ λάβε βλέμμα senectus;
Καὶ minus in sumtum δαπανᾶς levis arca ministrat.
Οὐ γὰρ ἔχει ἀπάλαμνος ἀνὴρ . . . .
Κλεινικὸς οὐθ' ὁ γέρων, ...
Æquanimus si qua fueris, ἐς πάντα μάλ' εὕδειν
Malueris, λήθη δὲ πόνου ἔσετ', ἠδὲ πενίης.
Κεῖνο δὲ παγκάλλιστον, ut omnibus undique mensis
Σὺν φιάλῃ ἢ σὺν δέπαϊ συνοπάονι μουσέων
Θυμοῦ ἀκηχεμένου solatia blanda requiras.
Hic erit et fructus Δημήτερος ἀγλαοκάρπου.
Ἔνθα σοι εἶδαρ ἔοι, πολυχανδέα pocula θέντι,
Κιρνᾶν, αἴκε θέλοις, νέκταρ vinoιο bonoιο.
Ambo igitur nostræ παραλέξομεν otia vitæ,
Dum res, et ætas, et sororum
Νήματα πορφύρεα πλέκονται.

*Sed jam ille quidem omnis juvenilis sudor effusus est ex membris. Tremula senectus occupavit aciem oculorum, et loculi inanes minus jam suppeditant impensas in sumtum. Neque enim habet opes vir industria carens * * neque senex decumbens lecto * * Si aliquo pacto habueris æquam mentem, omnino males dormire, oblivio erit tibi laboris, et paupertatis. Illud vero longe optimum, ut in omnibus undique conviciis cum lagena, aut cum poculo Musarum comite, quæras dulcia solamina animi tristitia affecti. Ibi etiam erit fructus Cereris frugibus inclytæ. Ibi dapes tibi sint, cum posueris calices capaces, si miscere velis nectar vini boni. Ergo nos ambo sic transibimus otia vitæ nostræ quamdiu res familiaris, et ætas nostra, et fila purpurea trium Sororum texuntur.*

ed. Badii, teste Vineto, fuit: *ingrata es ἰκαθηφ́δραις.*—35 Impressus, inquit Vinetus, ante annos centum Venetiis Ausonius habet, *quod si*, pro *si qua*: et λήθη πόνου ἔσσεται ἠδὲ πενίης, pro illo λήθη δὲ πόνου ἔσετ' ἠδὲ πεν.—37 'In hisce purgandis aliquantum profuit nobis Aldina editio: nam apud illam ex eo, δέ τε καὶ, fecimus δέπαϊ, et ex μουσάων, μουσέων.' *Scaliger.*—41 Ita emendavit Scaliger ex illo monstro lectionis, ut ait, ἔνθα σὺ ἔδλαρε οἱ. Alia exemplaria: Ἔνθα σὺ ἔλλαρε οἱ. Alia: Ἔνθα σὺ ἐσθλεροί.—42 'Θέλης et θέλοις nostra exemplaria: et οὐίνοιο cuncta: sed τίνοιο scribendum crediderim propter metrum.' *Vinetus.* Θέλοις in marg. Pulmannus.—43 Παραλέξομεν legit Scaliger pro, quod vulg. παραλλάξομεν.

NOTÆ

35 Εὕδειν] Dormire, pro quiescere.

44 *Dum res, et ætas*] Ex his Horat. Od. III. lib. II. 'Dum res, et ætas, et Sororum Fila trium patiuntur atra.'

Sororum] Parcarum.

XIII. Αὐσόνιος Παύλῳ. 402

Ῥωμαίων ὕπατος ἀρεταλόγῳ ἠδὲ ποιητῇ
Αὐσόνιος Παύλῳ. σπεῦδε φίλους ἰδέειν.

Ausonius Romanorum Consul, Paulo aretalogo, aut Poëtæ. Festina visere amicos.

1 Omnes veteres edd. habent ἀρεταλόγον δὲ ποιητῇ.

NOTÆ

1 Ἀρεταλόγῳ.] Hac Græca voce Latini appellarunt hominem jactabundum, et merita ac virtutes suas suæve artis prædicantem. Acro Horatii interpres ad Satiram ejus primam sub finem: 'Crispinus, Philosophi cujusdam loquacissimi nomen, qui dictus est Aretalogus.' Hinc pro Rhetore seu Declamatore hic Aretalogum appellat Ausonius Paulum. Salutat enim eum ambiguo titulo Rhetoris aut Poëtæ.

XIV. AD EUNDEM PAULUM. 403

ÆQUOREAM liqui te propter, amice, Garumnam:
Te propter campos incolo Santonicos.
Congressus igitur nostros pete: si tibi cura,
Quæ mihi, conspectu jam potiere meo.
Sed tamen appropera, quantum pote corpore, et ævo;
Ut salvum videam, sat cito te video.
Si post infaustas vigor integratus habenas,
Et rediit membris jam sua mobilitas:

[redacted]

[redacted]

Si riguam lætis recolis Pimpleida Musis,
Jam vates, et non flagrifer Automedon:
Pelle soporiferi senium nubemque veterni,
Atque alacri mediam carpe vigore viam.
Sed cisium aut pigrum cautus conscende veredum.
Non tibi sit rhedæ, non amor acris equi.
Cantheris moneo male nota petorita vites:
Nec celeres mulas ipse Methyscus agas.
Sic tibi sint Musæ faciles, meditatio promta,
Et memor: et liquidi mel fluat eloquii.
Sic, qui venalis tam longa ætate Crebennus
Non habet emtorem, sit tibi pro pretio.

Camœnis hilaribus, nunc poëta, ac non auriga flagrum tenens: excute senium, et caliginem somnolenti torporis, et ingredere medium iter promto vigore. At scande prudenter cisium, vel equum tardum. Ne teneat te cupido rhedæ, neque equi velocis. Suadeo ut fugias petorita non bene cognita Cantheriis. Neque tu factus alter Methyscus auriga agiles mulas pernices. Ita Camœnæ tibi sint benignæ, excogitatio velox et alte infixa menti remanens: et suavitas facundiæ fluidæ manet. Ita Crebennus villa tua, quæ tam dudum inscripta venalis non reperit qui se emat,

—15 *Canteri moneo* Vulg.—27 Alii, λοιδοπόλον.—33-4 Ita legendi sunt hi

NOTÆ

Paulus rheda, aut petorito, quod Aurigæ loco regere voluerat, et everso illo, excussus sede atque humi graviter afflictus, æger decubuerat. Hinc infaustas habenas appellat Ausonius. quas malo suo fato amicus tractaverat. Hinc illa ad eum monita, ut sit 'Jam vates, et non flagrifer Automedon,' et 'Nec celeres mulas ipse Methyscus agat.'

8 *Mobilitas*] Quæ corpori casu illo laboranti deerat.

9 *Pimpleida*] Supple regionem, illam scilicet, in qua mons Pimpla, et fons et civitas cognominis, in Macedonia. Ab hoc monte, et fonte, cujus aqua excitari poëticum spiritum putabant, dictæ sunt Musæ Pimpleides.

10 *Flagrifer Automedon*] 'Αὐτομαστιγῶν' Automedon pro quovis auriga. Hic porro Achillis auriga, et Pyrrhi armiger fuit; de quo Virg. Æneid. II. 'Una ingens Periphas, et equorum agitator Achillis Armiger Automedon.'

13 *Cisium aut, &c. veredum*] Supra ad eundem Paulum, Epist. VIII. 'Vel cisio trijugi, &c. Vel ruptum terga veredum.' Ubi vide notata.

16 *Ipse Methyscus*] Qui sede excussus es, ut Methyscus a Juturna apud Virg. Æneid. lib. XII. 'Juturna virago Aurigam Turni media inter lora Methyscum Excutit, et longe lapsum temone relinquit,' &c. A μέθυσος ebriosus Methysci nomen deducit Fulgentius. Proinde scribendum per *thy*, ut edi curavimus.

19 *Venalis*] Ad dissolvendum Pauli æs alienum.

Crebennus] Villa Pauli in patria

Attamen ut citius venias, leviusque vehare;
Historiam, mimos, carmina, linque domi.
Grande onus in Musis: tot sæcula condita chartis,
Quæ sua vix tolerant tempora, nostra gravant.
Nobiscum invenies ἐπέων πολυμορφέα πληθὺν,
Γραμματικῶν τε πλοκὰς, καὶ λογοδαιδαλίην,
Δάκτυλον ἡρῷον, καὶ ἀοιδοπόλον χορίαμβον,
Σὺν Θαλίης τε χόρῳ σύρματα Τερψιχόρης.
Σωταδικόν τε κίναιδον, ἰωνικὸν ἀμφοτέρωθεν,
Ῥυθμῶν Πινδαρικῶν ἔννομον εὐεπίην.
Εἰλιπόδην σκάζοντα, καὶ οὐ σκάζοντα τρίμετρον.
Ὀκτὼ Θουκυδίδου, ἐννέα Ἡροδότου.

remaneat tibi loco pretii. Nihilominus ut venias celerius, et devcharis huc levius, relinque domi tuæ historiam, mimos, versus. Musæ multum ponderant. Tot sæcula relata in papyros, quæ vix tolerabilia sunt suis ætatibus, prægravant nostram. Reperies apud nos multiformem copiam versuum, Grammaticorumque implicationes, et verborum varietatem, Dactylum heroicum, et Choriambum lyricum, et cum choro Thaliæ Syrmata Terpsichores. Et Cinædum Sotadicum, Ionicum ab utraque parte, justam facundiam numerorum Pindaricorum. Loripedem Scazontem, et trimetrum non claudicantem. Octo libros Thucydidis, novem Herodoti. Admi-

NOTÆ

ejus Bigerritana.

20 *Non habet emtorem*] Propterea quod situs est in regione frigida, vinearum sterili, &c. Vide supra Epistolam XII. bilinguem.

Τερψιχόρης] Hæc tamen choreis, et citharæ præesse vulgo putatur, cum Tragœdia tribuatur Melpomenæ.

29 *Σωταδικόν τε κίναιδον*] Versum Sotadicum, a Sotade Cretensi poë-

[redacted]

Ῥητορικῶν θαυμαστὰ, σοφῶν ἐρικυδέα φῦλα,
  Πάντα μάλ' ὅσσ' ἐθέλοις, καὶ πλέον, αἴκε θέλοις.
Hoc tibi de nostris ἀσπαστικὸν offero libris.
  Vale. valere si voles me, jam veni.

Grandia oratorum, et præclara sapientum genera, omnia quæcumque maxime velis, et plura si velis. Offero tibi hoc salutatorium Carmen de libris meis. Vale. Si vis ut valeam, veni quam primum.

Versus, monente Scaligero. Veneta editio vetustissima habet: *Πάντα μάλ'* [illegible] *ἐθέλοις.* Tollius Π. *μ. αἴκε θέλοις.*

XV. AUSONIUS TETRADIO SALUTEM. 404

O QUI venustos uberi facundia
  Sales opimas, Tetradi:
Cavesque, ne sit tristis et dulci carens
  Amara concinnatio:
Qui felle carmen atque melle temperans,
  Torpere Musas non sinis;
Pariterque fucas, quæque gustu ignava sunt,
  Et quæ sapore tristia:
Rudes Camœnas qui Suëssæ prævenis:
  Ævoque cedis, non stylo:

O Tetradi, qui nutris abundanti eloquio tua urbana acumina: et prospicis, ne tua compositio sit severa et acerba, expers suavitatis: qui condiens versus amaro et dulci, non permittis languere Camœnas; et similiter exornas et quæ sunt saporis inertis, et quæ austeri gustus: qui superas impolitum carmen Suessani vatis: et ei

9 Sic legendum monet Scaliger.—21 *Astrictus* Idem.—22 Vid. inf. et Not.

NOTÆ

2 *Tetradi*] De hoc Tetradio nihil alibi. Patet ex hac Epistola discipulum eum fuisse Ausonii, Satirasque scripsisse mordaces simul, et venustas; qua in parte, quem imitabatur, Lucilium, mordacem quidem, sed parum venustum, superaverit.

9 *Rudes Camœnas qui Suëssæ prævenis*] Qui superas stylum impolitum Lucilii Satirographi vatis e Suessa Auruncorum colonia oriundi, quem Juvenalis Satira I. 'Auruncæ Alumnum' ideo appellat. Suessæ coloniæ Auruncorum meminerunt Paterculus et Frontinus lib. de Limitibus agrorum.

Cur me propinquum Santonorum mœnibus
  Declinas, ut Lucas boves
Olim resumto præferoces prælio
  Fugit juventus Romula?
Non ut tigris te, non leonis impetu,
  Amore sed caro expeto.
Videre alumni gestio vultus mei,
  Et indole optata frui.
Invitus olim devoravi absentiæ
  Necessitatem pristinæ,
Quondam docendi munere astrictum gravi
  Iculisma cum te absconderet.
Et invidebam devio, ac solo loco,
  Opes Camœnarum tegi.

inferior es ætate, non sermone. Quare vitas me vicinum murorum Santonicorum, ut quondam Romana juventus vitavit Elephantos redintegrata pugna furentes? Non te quæro ut tigris, neque cum impetu leonis; sed affectu amico. Cupio cernere faciem mei alumni, et frui ejus ingenio a me expetito. Antehac ægre pertuli absentiam tuam priorem necessariam, olim cum Engulisma abditum te teneret addictum molesto officio docendi. Ac indignabar quod Musarum divitiæ reconderen-

Var.—24 *Opus C.* Vulg.—33 ' *Fastidio* magis placet quod habet Tilii liber.'

NOTÆ

12 *Ut Lucas boves*] In Vergiuii in Enninm Commentario apud Varronem lib. vi. De lingua Latina ad hunc [redacted]

secutus, a Lucania quoque, et bello Pyrrhi 'Lucas boves' deducit. Iis astipulatur hic Ausonius. [redacted]

At nunc frequentes, atque claros, nec procul,
  Cum floreas inter viros:
Tibique nostras ventus auras deferat,
  Auresque sermo verberet:
Cur me supino pectoris fastu tumens
  Spernis poëtam Consulem?
Tuique amantem, teque mirantem, ac tua
  Desiderantem carmina,
Oblitus alto negligis fastigio?
  Plectendus exemplo tuo:
Ni stabilis ævo pectoris nostri fides
  Quanquam recusantes amet.
Vale: valere si voles me, pervola
  Cum scrinio, et Musis tuis.

tur in illo loco devio et solitario. Jam vero cum floreas in loco celebri, et inter illustres viros, ac non longe: et ventus devehat ad te nostrum odorem, ac vox nostra pulset tuas aures: quare turgens inepta superbia animi, temnis me vatem Consulem? Et immemor negligis profundo tædio me amantem tui, admirantem te, et tuos versus cupientem? Dignus qui punireris a me juxta exemplum quod mihi das; nisi fides mei cordis constans per omne tempus diligeret amicos meos, etiamsi nolentes. Vale: si volueris ut recte valeam, accurre huc cum tua arcula, et tuis carminibus.

Vinetus: et sic exhibet ed. Toll.

NOTÆ

nos *Engulismam* dicimus, vernacule *Engoulesme*. Sita est urbs in colle flumini Carantono imminente, agro inter Santones, Pictones, Lemovices, et Petrocorios jacente.

23 *Devio, ac solo loco*] Mirum quo pacto hæc in Inculismam cadant, cum ea civitas celebretur ab Antonino, et vetustissimus Episcopatus sit; et in fertilissimo solo sita.

24 *Opes Camœnarum*] Tantam eruditionem, quæ in te erat, in quem divitias omnes suas Musæ certatim contulerant, latere tecum in illa urbecula.

25 *Nec procul*] Hinc conjicit Scaliger Tetradium tunc fuisse Mediolani Santonum, unde Noverus pagus Ausonii villa non longe distabat.

* 30 *Spernis poëtam consulem*] Hinc licet inferre senem fuisse Ausonium cum hanc Epistolam, uti et priores, scriberet, quippe qui jam Consul foret; atque omnino post Gratiani mortem, cum se in patriam recepisset, scriptas fuisse.

34 *Plectendus exemplo tuo*] Dignus qui a me negligaris, quemadmodum me negligis.

XVI. AUSONIUS PROBO PRÆFECTO PRÆTORIO[a] S. 405

OBLATA per antiquarios[b] mora, scio promissi mei gratiam expectatione consumtam, Probe, vir optime. In secundis[1] tamen habeo non fefellisse. Apologos Titiani,[c] et Nepotis chronica,[d] quasi alios apologos (nam et ipsa instar sunt fabularum[e]) ad nobilitatem tuam[f] misi, gaudens

Cum librarii tardaverint in scribendo, non dubito quin præstatio mei promissi minus accepta tibi futura sit, quia nimis diu expectata a te est, Probe, optime vir. Secundo tamen loco pono non frustrasse te. Misi ad te, nobilissime vir, fabulas Titiani, et historias Nepotis, velut alias fabulas, (illæ enim similes sunt etiam fabu-

1 ' Alii legunt: *In sæculis*, pro *In secundis*. Mihi prima lectio manifesta

NOTÆ

[a] *Probo Præfecto Prætorio*] Hic Sextus Petronius Probus in lapidibus vetustis appellatur. Ausonio in versibus mox sequentibus laudatur, et Claudiano in Panegyri de Probini et Olybrii natorum ejus Consulatu. De eo malignius paulo Ammianus Marcellinus l. XXVII. 'Per hæc tempora Vulcatio Rufino absoluto vita, ad regendam Præfecturam prætorianam ab urbe Probus accitus, claritudine generis, et potentia, et opum ampli- [redacted]

festinus exscripsi, tempore hyberno: nihil retardatus quin actutum jussa complerem; licet antiquarium moraretur insiccabilis gelu pagina, et calamo durior gutta.' Hoc inter librarios et antiquarios discrimen ponit Isidorus, quod librarii sint, qui et nova et vetera scribunt; antiquarii autem qui tantummodo vetera. Sicque alterum genus sit, alterum species.

[c] *Apologos Titiani*] De hoc Titiano [redacted]

atque etiam glorians fore aliquid, quod ad institutionem tuorum,[g] sedulitatis meæ studio, conferatur. 2. Libello tamen apologorum antetuli paucos epodos,[h] studio in te observantiæ meæ impudentissimos, paucos quidem, ut ego loquax judico: verum tu, cum legeris, etiam nimium multos putabis. Adjuro benevolentiam tuam, verecundiæ meæ testem, eos mihi subita persuasione[i] fluxisse. Nam quis hoc[2] diu cogitaret? Quod sane ipsi per se probabunt. 3. Fors fuat, ut si mihi vita suppetet, aliquid rerum tuarum,[k] quamvis incultus, expoliam: quod tu etsi lectum

lis,) lætus ac superbiens quoque futurum esse aliquid, quod mea in te sedulitas et studium conducat ad educationem tuorum liberorum. Præposui nihilominus libello Fabularum paucos versiculos, impudentissimos ex affectu mei in te obsequii: paucos quidem, ut ego, qui garrulus sum, arbitror: at tu cum legeris eos, existimabis multo plures esse quam deceret. Obtestor benignitatem tuam, testem mei pudoris, eos mihi manavisse repentino animi impetu. Quis enim diu meditaretur hujusmodi versus? Quod certe ipsi per se satis testabuntur. Fortasse eveniet aliquando, ut si vita mihi sufficiet, ego, quanquam rudis, exornem aliquas ex rebus a te gestis: quod

videtur.' *Accursius.*—2 *Hos* rectius Tilianus codex, judice Vineto: et sic

NOTÆ

rem jam tum usitatum de viris dignitate præcellentibus tertia persona loquendi etiam miscendo cum iis sermonem; et hic 'nobilitatem tuam' positum pro 'te qui nobilis es,' ut apud nos 'tuam majestatem,' 'tuam celsitudinem,' 'tuam serenitatem' et similia, quorum exempla aureo illo Latinitatis sæculo non temere reperias, quippe cum secutis temporibus tantummodo, et gliscente adulatione, invecta sint.

[g] *Ad institutionem tuorum*] Illi erant Probinus et Olybrius; de quorum Consulatu, vide Claudiani Panegyrin.

[h] *Paucos epodos*] Hos ἐπῳδοὺς liquet intelligendos esse Iambicos dimetros qui mox sequuntur. Itaque accedo Diomedi, Mario Victorino, aliisque veteribus Grammaticis, qui quintum Carminum Horatii librum 'Epodon,' ideo inscriptum dicunt, quod singulis longioribus versibus singuli breviores accinantur, qui ἐπῳδοὶ appellantur, ut in his: 'Ibis Liburnis inter alta navium, Amice, propugnacula.' Prior versus est προῳδικὸς, id est, præcinens: posterior ἐπῳδικὸς, succinens. Cujusmodi versus cum sint similes illi qui mox sequuntur, 'Perge, o libelle, Sirmium,' &c. Ausonius eos Epodos ideo appellavit; quanquam hic pares omnes sint, neque succinant longioribus, ut apud Horatium.

[i] *Subita persuasione*] Cum repente consilium cepissem eos scribendi: Verti in Interpretatione, 'repentino animi impetu,' ad rem magis attendens quam ad verba.

* [k] *Fors fuat ut, si mihi vita suppetet, aliquid rerum tuarum, &c.*] Similiter Eclog. VIII. vers. 7. et seqq. Virgilius: 'En erit unquam Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta? En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem

non probes, scriptum boni consulas.[3] Cumque ego imitatus sim vesaniam Chœrili,[1] tu ignoscas magnanimitate Alexandri. Hi igitur, ut Plautus ait, interim erunt antelogium[4][m] fabularum,[n] garruli, et deceptores. Qui compositi ad honorificentiæ obsequium, ad aurium convicium concurrerunt. Vale, et me dilige.

meum opus tu licet non approbes cum legeris, tamen non graviter feres esse a me compositum. Et cum ego imitatus sim stultitiam Chœrili, tu mihi des veniam ex magnanimitate digna Alexandro. Hi ergo versus erunt interea fabularum antelogium, ut Plautus loquitur, loquaces et fallaces. Qui cum sint a me facti ad honorem tuum officio nostro promovendum, convolaverunt ad tuas aures obtundendas. Vale, et ama me.

exhibet ed. Toll.—3 *S. boni consules* Vulg.—4 *Antilogium* vulg.

NOTÆ

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno ?'

[1] *Vesaniam Chœrili*] Qui ausus erat malos versus in Alexandri honorem scribere. De hoc Horat. lib. II. Epist. 1. 'Gratus Alexandro regi magno fuit ille Chœrilus, incultis qui versibus, et male natis Retulit acceptos, regale numisma, Philippos.'

[m] *Ut Plautus ait, interim erunt antelogium*] Plaut. in prologo Menæchmorum: 'Huic argumento antelogium quidem hoc fuat.' Vox est, Plautina licentia, partim Latina partim Græca 'Antelogium,' et idem sonat quod, prologus.

[n] *Fabularum*] Titiani, quas ad Probum mittit.

AD LIBRUM, UT EAT AD PROBUM. 406

[redacted]

[redacted]

Possum absolute dicere:
Sed dulcius circumloquar,
Diuque fando perfruar.
Hunc dico, qui lingua potens,
Minorem Atridam præterit,
Orando pauca, et musica.
Qui grandines Ulixei,
Mellifluentem Nestora,
Concinnatorem et Tullium.
Qui solus, exceptis tribus
Heris, herorum primus est,
Prætorioque maximus.

cupis dici tibi id quod te delectat? Possem effari simpliciter: verum suavis erit, si efferam circumlocutione, et diu loquendo, fruar ipso magis. Illum dico, qui præditus eloquio, superat Atridam juniorem, loquendo breviter, et sonore. Qui superat facundiam Ulyssis ruentem grandinis instar, orationem mellitum Nestoris, et expolitam Ciceronis. Qui unus, demtis tribus Dominis, primus est Dominorum,

7 Al. *Possem.*—15 Non pejus legeres, inquit Vinet. *Concionatorem* pro *Concinnatorem*, quam, *concionaturum* apud Sidonium in carmine extremo decimo-

NOTÆ

11 *Minorem Atridam*] Menelaum, de quo Antenor apud Homerum Iliad. l. III. Ἤτοι μὲν Μενέλαος ἐπιτροχάδην ἀγόρευε, Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος, Οὐδ' ἀφαμαρτοεπής. 'Certe quidem Menelaus succincte concionabatur, Pauca quidem, sed valde acute, quoniam non erat multiloquus Neque in sermone verbis peccans,' &c. De his tribus sic Noster in Gratiarum Actione ad Gratianum: 'Certent huic sententiæ veteres illi et Homerici Oratores, subtilis deducta oratione Menelaus, et instar profundæ grandinis ductor Ithacesius, et melleo delibutus eloquio jam tertiæ Nestor ætatis,' &c.

13 *Grandines Ulixei*] Idem paulo post de Ulysse: 'Αλλ' ὅτε δὴ ῥ' ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει, Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν. 'Sed quando et vocem magnam ex pectore emittebat, Et verba imbribus nivalibus hybernis similia,' &c.

14 *Mellifluentem Nestora*] Homer. Iliad. lib. I. Τοῖσι δὲ Νέστωρ Ἡδυεπὴς ἀνόρουσε λιγὺς Πυλίων ἀγορητὴς, Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. 'Illis vero Nestor Suaviloquus exsurrexit, argutus Pyliorum concionator: Cujus etiam a lingua melle dulcior fluebat vox.'

15 *Concinnatorem et Tullium*] Expolitorem orationis. Sic Seneca lib. VII. de beneficiis: 'Eloquentiæ vero ejus, quæ res fortissimas doceat, non concinnatæ, nec in verba solicitæ.'

16 *Exceptis tribus Heris*] Valentiniano, Valente, et Gratiano Augustis.

18 *Prætorioque maximus*] Præfectus prætorio Valentiniani.

Dico hunc Senati præsulem,
Præfectum eundem, et Consulem,
(Nam Consul æternum cluet)
Collegam Augusti Consulis,
Columen curulis Romulæ,
Primum in secundis fascibus.
Nam primus e cunctis erit
Consul, secundus principi.
Generi hic superstes aureo,
Satorque prolis aureæ,

et supremus Præfectus Prætorio. Hunc loquor principem Senatus, eundem Præfectum Prætorio, et Consulem (appellatur enim perpetuo Consul) Collegam Imperatoris in Consulatu, fulcrum Romanæ curulis sellæ, primum Consulem, licet habeat tantum secundos fasces, qui enim secundus est a principe, erit primus Consul ex omnibus. Hic superveniens præstantissimæ prosapiæ, et genitor progeniei

sexto ad Faustum Rejensem. *Concionatorem* improbat Tollius.—19 Al. *Senatus.* Cod. Tilianus, *Senati.*—27 Al. *Genero.*—29 ' Alter Vossianus: *Convincit*

NOTÆ

19 *Senati*] Pro *Senatus.* Quod in multis aliis nominibus quartæ declinationis obtinet.

20 *Præfectum eundem*] Urbis scilicet.

* *Præfectum eundem, et Consulem*] Probus anno 371. Consul renuntiatus [redacted]

dici, cum priorem agnosceret solum principem collegam suum, cui ceteri etiam primi Consules fasces suos submittebant. Hic sensus est hujus loci, non quem oggerit Vinetus.

* 27 *Generi hic superstes aureo*] Vir Cl. qui Imperatorum historiam scrip- [redacted]

[redacted]

Convicit Ascræum senem,
Quoi sæculum omne ferreum:
Qui vincit ævi injuriam,
Stirpis novator Anniæ:
Paribusque comit infulis
Aniciorum stemmata.
Probum loquor: scis optime,
Quem nemo fando dixerit,

Præstantissime, coarguit veterem poëtam Ascræum, qui ait omnem ætatem esse ferream; qui superat injuriam temporis, instaurator Anniæ prosapiæ: et qui ornat similibus apicibus stemmata Aniciorum. Probum dico. Optime nosti eum, cujus

Ascræum senem Non esse sæclum ferreum. Convincit legendum esse nullus dubitem.' *Tollius.*—30 '*Qui sæculum omne*] Pendet oratio. Scripsit Ausonius,

NOTÆ

29 *Ascræum senem*] Hesiodum.

30 *Quoi sæculum omne ferreum*] Sub initium libri Operum et Dierum [vs. 172.] ubi ait: *Μηκέτ' ἔπειτ' ὤφειλον ἐγὼ πέμπτοισι μετεῖναι Ἀνδράσιν, ἀλλ' ἢ πρόσθε θανεῖν, ἢ ἔπειτα γενέσθαι.* Νῦν *γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον*, &c. 'O utinam ego quinto non interessem Hominum generi: sed aut mortuus essem prius, aut postea natus. Nunc enim genus est ferreum,' &c.

32 *Stirpis novator Anniæ*] Qui Anniam familiam in antiquam lucem restituit.

* 33 *Paribusque comit infulis Aniciorum stemmata*] Nempe Probi uxor Proba genus suum referebat ad Anicios quorum nobilitas, teste Hieronymo aliisque, per totum orbem fuit cognita, quique Imperatoribus prope modum æquales fuere.

34 *Aniciorum*] Ex Livio et Fastis Capitolinis novimus Lucium Anicium Gallum Lucii filium, Marci nepotem, qui de Illyriis et eorum rege Gentio triumphavit Proprætor anno Urbis 586. et Lucium Anicium Gallum, Lucii filium, Lucii nepotem, qui Consul fuit collega Cornelio Cethego anno Urbis 593. Duas inscriptiones Vineto memoratas, non pigebit hæc transcribere ex quibus Probi hujus honores cognoscere erit. Prior est hæc: SEXTO. PETRONIO. PROBO. ANICIANÆ. DOMVS. CVLMINI. PROCONSVLI AFRICÆ. PRÆFECTO. PRÆTORIO. QVATER. ITALIÆ. ILLYRICI. AFRICÆ. GALLIARVM. CONSVLI. ORDINARIO. CONSVLVM. (hi erant Probinus et Olybrius de quibus jam supra) PATRI ANICIVS. HERMOGENIANVS. OLYBRIVS V. C. CONSVL. ORDINARIVS. ET. ANICIA JULIANA. C. F. EIVS. DEVOTISSIMI. FILII. DEDICAVERVNT. Posterior hæc. ANICIÆ. FALTONIÆ. PROBÆ. FIDEI NOBILITATIS. ANTIQVÆ. ORNAMENTO ANICIANÆ. FAMILIÆ. SERVANDÆ. AC DOCENDÆ. CASTITATIS. EXEMPLO CONSVLVM. PROLI. CONSVLVM. MATRI ANICIVS. HERMOGENIANVS. OLYBRIVS. V. C. CONSVL. ORDINARIVS. ET. ANICIA. JULIANA. C. F. EIVS. DEVOTISSIMI FILII. DEDICAVERVNT.

Qui non prius laudaverit,
Perge, o libelle, et utere
Felicitate intermina.
Quin et require, si sinet,
Tenore fari obnoxio:
Age vera proles Romuli,
Effare causam nominis.
Utrumne mores hoc tui
Nomen dedere: an nomen hoc
Secuta morum regula?
An ille venturi sciens
Mundi supremus arbiter,
Qualem creavit moribus,
Jussit vocari nomine?
Nomen datum præconiis,
Vitæque testimonio.
Libelle felix, quem sinu
Vir tantus involvet suo,

nomen nemo pronuntiaverit loquendo, quin ante laudaverit eum. I ad eum, o libelle, et sis perpetuo beatus. Quin etiam quære ab eo, si permittat loqui modo ipsi submisso: Age vera progenies Romuli, eloquere cur sic voceris. An mores tui imposuere tibi istud nomen: an vero ratio morum tuorum subsecuta est nomen istud? An ille summus orbis dominus gnarus futuri, voluit, ut talis appellareris nomine, qualem te effecit moribus? Nomen hoc tributum est laudibus, et testimonio morum. Beate libelle: quem tantus vir recondet in sinum suum, neque conqueretur tempus

[redacted]

Nec occupari tempora
Grato queretur otio.
Quem mille cum vocis modis,
Leni aut susurro impertiet:
Cuique vigiles luminum
Vacare dignabunt coræ.
Quem mente, et aure consciis,
Quibusdam omissis, perleget.
Quæcumque fortuna est tibi,
Perge, o libelle, et utere
Felicitate intermina.
Dic me valere, et vivere.
Dic vivere ex voto pio,
Sanctis precantem vocibus,
Ut quem curulis proxima
Collegio nati dedit,
Hunc rursus Augustus prior
Suis perennet fascibus.
Subnecte et illud leniter:
Apologos, en, misit tibi
Ab usque Rheni limite

aliquod suum insumi jucundæ quieti, te legendo, cui impendet mille vocis modulos, vel murmur tenue: et cui vigiles pupillæ oculorum dignabuntur sese applicare. Quem præteritis nonnullis evolvet totum, animo et aure consciis. Quodcumque tibi fatum est, I, libelle, et esto perpetuo beatus. Refer ei me valere et vivere. Refer me vivere, et pia vota pro eo facere, Deum castis precibus orando, ut quem superior Consulatus fecit collegam filio Augusti, illum Augustus prior ipse Consul afficiat iterum honore immortali sui Consulatus. Subjunge etiam hoc placide: ecce Ausonius, nomine insignitus Romano, Magister tui Imperatoris, misit ad te a termino

et non *choreæ* hic esse legendum jampridem docuit Jacobus Constantius.—68 *Pelleget* pro *perleget* exhibent edd. Delph. et Toll.—77 Alius liber, *Augusti*

NOTÆ

60 *Coræ*] Κόραι pupillæ, *τὸ ἐν μέσῳ μέλαν*, quod in medio oculo nigrum est, ut definit Julius Pollux.

69 *Quem*] Probum.

70 *Collegio nati*] Gratiani fecit collegam in Consulatu.

71 *Augustus prior*] Valentinianus.

75 *Ab usque Rheni limite*] E Gallia Belgica, ubi tum erat Ausonius in comitatu Valentiniani una cum Gratiano, quem docebat.

Ausonius, nomen Italum,
Præceptor Augusti tui,
Æsopiam trimetriam:
Quam vertit exili stylo
Pedestre concinnans opus,
Fandi Titianus artifex.
Ut hic avi ac patris decus
Mixto refulgens sanguine,
Probianoque, ac Anicio;
(Ut quondam in Albæ mœnibus
Supremus Ænea satus,
Silvios Iulis miscuit:)
Sic iste, qui natus tuus,

usque Rheni fabulas, Iambos trimetros Æsopicos: quos Titianus orator vertit tenui orationis genere, componens opus metricum. Ut hic filius tuus, honor avi et patris, splendens mixto genere Probiano, et Anicio, (quemadmodum olim intra muros Albæ extremus filius Æneæ miscuit Silvios Iulis,) ita ille, qui filius est tuus,

sui: æque bene, censente Florido.—81 Al. *Tatianus.*—83 ' In altero libro perspicue legebatur, *natus tui.* Suspicabar fuisse, *natus tivi,* pro *tibi.* Deinde non, *Sic iste:* sed, *Hic iste* legendum: ita sane constructio aperta erit

NOTÆ

78 *Æsopiam trimetriam*] Apologos Æsopicos Iambicis trimetris ab aliquo Græco poëta scriptos, et a Titiano pedestri Latino sermone ver- [redacted]

sonius meminit. Eum a Maximinis ad Consulatum evectum fuisse, sed non ordinarium ex loco Gratiarum Actionis supra laudato colligi potest. [redacted]

[redacted]

Flos flosculorum Romuli
Nutricis inter lemmata,
Lallique somniferos modos,
Suescat peritis fabulis
Simul jocari et discere.
Et adde votum, quod pio
Concepimus rei Deo:
Ut genitor Augustus dedit
Collegio nati Probum;
Sic Gratianus hunc novum
Stirpi futuræ copulet.
Rata sunt futura, quæ loquor.
Sic merita, sic fatum jubet.

flos florum a Romulo pullulantium, inter fabellas nutricis, et modulos soporiferos cantiunculæ, assuescat ludere apologis doctis, et simul discere. Adjice etiam votum quod nuncupavi Deo sancto me obstringens: Quemadmodum Augustus pater fecit Probum collegam filii sui: ita Gratianus conjungat venturo filio hunc juvenem Probum. Quæ dico perficientur. Ita merita Probi, ita fata ejus volunt. At jam ut

et plana, quam vix alias possis expedire.' *Tollius.*—91 Legitur et, *Lilii* et *Lilli.*—93 Alii, *dicere.* vulg. est, *ludere.*

NOTÆ

88 *Sic iste qui natus tuus*] Tollius reponebat, *Hic iste, qui natus tibi,* ut sensus esset magis cohærens.

89 *Flos flosculorum Romuli*] Flos juvenum Romanorum.

90 *Lemmata*] A λαμβάνω sumo, sunt λήμματα mathematicorum, et dialecticorum propositiones notæ, ac jam demonstratæ, ad alias demonstrandas assumtæ. Cicero lib. II. de Divinatione vertit 'sumtiones.' Hic nihil aliud sunt, quam nutricularum fabulæ quibus infantes suos oblectant.

91 *Lallique somniferos modos*] 'Lallum' putat Deum fuisse Turnebus næniarum illarum præsidem, quas nutrices pueris occinunt. Scaliger 'Lallum' interpretatur ipsum καταβαυκαλισμὸν nutricum, hoc est, næniam, qua pueris inducunt somnos, hoc subinde repetendo 'Lalla,' 'Lalla.' Hinc 'Lallare' apud Persium, cantilenam istam occinere: 'Et iratus, mammæ Lallare recusas.' Sic enim interpungendum, et interpretandum, 'renuis τὸ lallare,' hoc est, 'næniam aviæ tuæ,' neque placari vis ejus cantu. Quod ex hoc D. Hieronymi loco colligere est: 'Forsitan et laxis uberum pellibus mater, arata rugis fronte, antiquum referens mammæ lallare congeminet.' Male ergo Scaliger 'Lallare pueros' dici ait, cum hac cantiuncula somno declinant oculos. Nutricum est 'Lallare' non puerorum.

96 *Genitor Augustus*] Valentinianus.

Sed jam ut loquatur Julius,
Fandi modum invita accipe,
Volucripes dimetria:
Aveque dicto, dic, Vale.

Julius loquatur, finem facite loquendi, licet inviti, Iambi dimetri celeripedes. Et Salve dicto, dicite, Vale.

NOTÆ

102 *Julius*] Prænomen, seu nomen videtur esse Titiani illius, cujus apologos ad Probum mittit.

XVII. AUSONIUS SYMMACHO.[a] 407

MODO intelligo, quam mellea res sit oratio:[1] quam delenifica,[b] et quam suada facundia. Persuasisti mihi, quod epistolæ meæ apud Capuam tibi redditæ concinnatio inhumana[2] non esset.[c] Sed hoc non diutius, quam dum epistolam tuam legi: quæ me blanditiis inhiantem tuis, velut succo nectaris delibuta, ducit.[3] 2. Ubi enim chartu-

Jam cognosco, quam sermo sit res dulcis: quam eloquentia sit demulcens, et suadens. Persuasisti mihi compositionem epistolæ meæ, quam accepisti Capuæ, non esse inficetam. Verum id non durat longius, quam quamdiu legi tuam epistolam: quæ, quasi perlita liquore ambrosiæ, lactat me intentum tuis blandimentis. Nam

1 'V. C. *editio:* sine sensu quidem recto. Inde tamen mihi suspicio,
[redacted]

[redacted]

lam pono, et me ipsum interrogo, tum absinthium meum resipit;[4] et circumlita melle tuo pocula deprehendo. Si vero, id quod sæpe facio, ad epistolam tuam redii, rursus illicior: et rursum[5] ille suavissimus, ille floridissimus tui sermonis afflatus,[6] deposita lectione vanescit,[7] et testimonii pondus prohibet inesse dulcedini. Hoc[8] me velut aërius bracteæ fucus,[d] aut picta nebula, non longius quam dum videtur oblectat: Chamæleontis bestiolæ[e] vice, quæ de subjectis sumit colorem.[f] 3. Aliud sentio ex epistola tua, aliud ex conscientia mea: et tu me audes facundissimorum hominum laude dignari? Tu, inquam, mihi ista, qui te ultra commendationem[9] hominum[g] protulisti. Quisquamne ita nitet,[10] ut comparatus tibi non sordeat? Quis ita ad

quando depono chartulam epistolæ tuæ, et memet percontor, tunc sentio meum absinthium, et agnosco craterem in quo illud bibo, esse delibutum circa tuo melle. At si resumsi tuam epistolam, quod facio sæpe, rursus allicior, et iterum illa jucundissima, illa nitidissima aspiratio tuæ orationis dissipatur, statim atque desii legere, et impedit ne suavitas illa habeat apud me fidem testimonii. Id tanquam inanis bracteæ fulgor, vel nubes adumbrata, non me delectat diutius quam donec a me cernitur: instar Chamæleontis bestiæ, quæ mutuatur colorem a rebus sibi suppositis. Aliam de me opinionem induo ex lectione epistolæ tuæ, aliam ex intimo sensu meæ tenuitatis: et tu non vereris me condecorare præconio debito viris eloquentissimis? Tu, inquam, qui te extulisti supra laudem humanam, dicis mihi ista? An aliquis ita splendet, ut non vilescat tibi collatus? Quis tam prope asse-

invenisse codicibus Symmachiani interpretes referunt.—4 In quibusdam exemplar. *respicio*. Legendum putat Lectius, *resipio*.—5 Gruterus, *at rursum*, probante Lectio: sed male, judice Tollio.—6 Alii libri, *affatus*.—7 'Liber Pithœi, *evanescit*: quod altero illo longe præstantius.' *Tollius*.—8 In margine Pulmannus, *Hic*.—9 'Sic vulgo. Sed V. C. ut etiam Ausoniani aliquot codices habent, *emendationem*: quod ego verius arbitror: ceterum vulgata lectio non caret elegantia.' *Juretus*.—10 Alii: *Aut quisquam ita nitet*: quidam: *An quisquam i. n.* Liber Pithœi: *Quis ita nitet*. Editio Schotti: *Haud q. i. n.*—11

NOTÆ

[d] *Aërius bracteæ fucus*] Bractea, seu brattea, tenuis est auri argentive lamina. 'Aërius bracteæ fucus' hic tenuem et inanem auri colorem sonat. At in meliorem partem, in Gratiarum Actione ad Gratianum, accipiendum illud: 'O mentis aureæ dictum bracteatum.'

[e] *Chamæleontis bestiolæ*] Hujus considerationem vide apud Plin. lib. VIII. cap. 33. et lib. XXVIII. cap. 8.

[f] *De subjectis sumit colorem*] Præter rubrum, candidumque, teste Plinio.

[g] *Ultra commendationem hominum*] Sic malo, quam, quod obtrudit Juretus, *emendationem*.

Æsopi venustatem,[h] quis ad sophisticas Isocratis[11] conclusiones,[i] quis ad enthymemata Demosthenis, aut opulentiam Tullianam, aut proprietatem nostri[12] Maronis accedat? Quis ita affectat singula, ut tu imples omnia? Quid enim aliud es, quam ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio? 4. Hæc, domine mi, fili Symmache, non vereor,[13] ne in te blandius dicta videantur esse, quam verius. Et expertus es fidem meam, mentis,[14] atque dictorum; dum in comitatu degimus ambo,[k] ævo dispari. Ubi tu veteris militiæ præmia tiro meruisti: ego tirocinium jam veteranus exercui. In comitatu tibi verus fui, nedum me

quitur leporem Æsopi, quis oratorias clausulas Isocratis, quis ratiocinationes Demosthenis, vel Ciceronis ubertatem, vel proprietatem Virgilii nostri? Quis sic aggreditur singula, ut tu exequeris universa? Num quid aliud es, quam absoluta quædam aggregatio omnium bonarum artium? Non timeo ne hæc, quæ de te dico, Domine mi, fili Symmache, videantur habere plus adulationis, quam veritatis. Et spectata est tibi sinceritas animi mei, et verborum meorum: cum essemus uterque in aula Imperatoris, ætate inæquali. Ubi tu, quanquam tiro, promeritus es præmia veteris militiæ: ego vero, quanquam veteranus, tirocinium feci. Fui erga te verax

Lectius mavult, *Socratis.* Idem placet Grutero. Vid. Not. Var.—12 Vet. cod. *vestri.*—13 Lib. Pith. *Hæc dicere fili mi Symmache non vereor.*—14 Vet.

NOTÆ

[h] *Ad Æsopi venustatem*] Fabulatoremne Æsopum intelligat, an alium, [redacted]

toricas. Recte porro opponit hic Noster sophisticas Isocratis conclu- [redacted]

[redacted]

peregrem[15] [l] existimes composita fabulari. In comitatu, inquam, qui frontes hominum aperit,[16] mentes tegit;[17] [m] ibi me et parentem, et amicum,[18] et si quid utroque carius est, cariorem fuisse sensisti. 5. Sed abeamus ab his: ne isthæc commemoratio ad illam Sosiæ formidinem [n] videatur accedere. Illud quoque, quod pæne præterii, qua affectione[19] addidisti, ut ad te didascalicum aliquod opusculum, aut sermonem protrepticum mitterem? Ego te docebo, docendus adhuc, si essem id ætatis ut discerem? Aut

in aula, tantum abest ut putare debeas me peregre degentem tibi narrare commenta. In aula, inquam, quæ revelat vultus hominum, abscondit animos; ibi expertus es me fuisse tibi patrem, et amicum, et his cariorem, si aliquid est carius his ambobus: verum missa hæc faciamus: ne ejusmodi mentio mei in te affectus, videatur affinis esse illi metui Sosiæ. Id etiam, quod ferme omisi, quo animo adjecisti, ut mitterem ad te aliquod opusculum didacticum, aut orationem adhortativam? Egone te docebo, qui essem ipse adhuc docendus, si ea ætate essem, ut discerem? Aut ego ad-

cod. *fidem meæ mentis.*—15 *Nedum me peregre* vulg.—16 *Operit* vulg.—17 *Legit* pro *tegit* vetus cod. 'In editione Pulmanni hic est asteriscus ante τὸ *tegit*; qui argumento est, mendam hic cubare. Potest autem ea commode eximi, si legatur, *mentes retegit.*' Grævius.—18 'Schoppius: *Ibi me tibi et parente et amico*: neque tamen lectionem hanc usque adeo antepono vulgatæ.' *Lectius.* —19 Vet. cod. *affectatione.*—20 Alii: *commovebo.*—21 Vet. cod. *agitator*

NOTÆ

[l] *Me peregrem*] Peregrinum, a recto pereger, qui extat in titulis ex corpore Ulpiani excerptis titulo 17. de Caducis in fine §. 1. 'Aut si ex parte scriptus, vel legatarius ante apertas tabulas decesserit, vel pereger factus sit.' Ubi Gothofredus: 'Id est peregrinus.'

[m] *Qui frontes hominum aperit, mentes tegit*] Expressum haud dubie, (ut observavit Mariang. Accursius) ex hoc Ciceronis loco pro Plancio: 'Etenim si populo grata est tabella, quæ frontes hominum aperit, mentes tegit, datque libertatem, ut quod velint faciant, promittant autem quod rogentur, cur tu in judicio exprimis, quod non fit in campo?' Miror hic acumen Grævii reponentis *mentes retegit*, et sic Ausonii mentem exponentis: 'In Comitatu, inquit, me cognovisti; qui solet et frontem, et animum hominum aperire; liberius enim hic vivimus.' Quasi vero in aula liberius et apertiore animo vivatur, ac non potius id omnes dent operam, ut vultu aperto, mente quam maxime tecta et impervia sint. Argumentatur a majoribus Ausonius, et ex eo quod in comitatu, ubi dissimulatio regnat, verus semper erga Symmachum fuerit, infert multo magis ei sinceram videri debere fidem suam mentis atque dictorum, nunc cum peregre degit procul ab aula.

[n] *Ad illam Sosiæ formidinem*] Ne scilicet 'exprobratio sit immemoris beneficii,' ut ait Sosia act. I. Sc. 1. Andriæ Terentii.

ego te vegetum, atque alacrem commonebo?[20] Eadem opera et Musas hortabor, ut canant: et maria, ut effluant: et auras, ut vigeant: et ignes, ut caleant, admonebo: aut, si quid invitis quoque nobis natura fit, superfluus instigator agitabo.[21] 6. Sat est unius erroris, quod aliquid meorum, me pœnitente,[22] vulgatum est; quod bona fortuna in manus amicorum incidit. Nam si contra id evenisset, nec tu mihi persuaderes, placere me posse. 7. Hæc ad literas tuas responsa sint: cetera, quæ noscere habes,[23] compendifaciam.[24] Sic quoque jam longa est epistola. Julianum familiarem domus nostræ, si quid tamen de nobis percontandum arbitraris, allego: simul admoneo, ut cum causam adventus ejus agnoveris, juves studium, quod ex parte fovisti. Vale.

hortabor te valentem, et promtum? Eadem opera etiam commovebo Musas ut cantent: et mare ut effluat: et ventos ut flent vegete: et ignes ut caleant adhortabor: vel si aliquid efficitur a sola natura etiam nobis invitis, ego supervacaneus adhortator illud urgebo. Sufficit peccatum semel fuisse, quod aliquid ex meis operibus emissum est, me nolente id factum; quod bono meo fato venit in manus meorum amicorum. Si enim hoc contigisset aliter, ne tu quidem mihi induceres in animum, mea posse probari. Hæc responsa sint a me ad tuam epistolam. In pauca contraham reliqua quæ cupis scire. Hæc enim epistola etiam hoc modo jam prolixa est. Mitto a te Julianum unum e domesticis nostris, si tamen existimas aliquid tibi esse sciscitandum ab eo de me: simul hortor te, ut quando sciveris qua de causa venerit, adjuves studium, quod partim fovisti. Vale.

instigabo.—22 Ms. Pithœi, *me prænitente.* Conjicit Tollius, *me renitente:* et ita quoque corrigendum censuit Lectius.—23 Al. *abes.* vid. inf.—24 *Compendi* [redacted]

[redacted]

Proximus ex longo gradus est, Quæstoris amici
Curam pro strenis excubuisse tuis.
Ergo, interceptos regale nomisma Philippos
Accipe tot numero, quot duo Geryones:
Quot terni bijuges: demtoque triente Camœnæ:
Quotque super terram sidera Zodiaci:

habeas a manu Cæsarea. Gradus jucunditatis magno intervallo proximus illi est, quod Quæstoris tibi amici solicitudo vigilaverit pro tuis strenis. Accipe igitur nummos regios Philippeos, qui intercepti fuerant, totidem numero, quot duo Geryones viros efficerent: quot tres bigæ equos habent: et quot sunt Musæ sublatis tribus: et quot signa Zodiaci extant supra terram: quot viris concredita fuit fortuna

1 'Recte monet Tollius hic legendum, *fuat* pro *fuit*, ab antiquo *fuo*.' Floridus. *Fuit*, inquit Accursius, hic scriptum imprudenter pro *foret*.—15

NOTÆ

Ad Ursulum, &c.] Hunc edidit titulum ex vetusto codice Vinetus.

Cui strenas Kal. Jan. &c.] Hunc morem fuisse Imperatoribus, ut strenas amicis darent, colligere est, vel ex loco Symmachi, in Epist. ad Theodosium et Arcadium Augg. 'Kalendas,' inquit Symmachus, 'anni auspices, quibus mensium recursus aperitur, impertiendis strenis dicavit antiquitas, DD. Theodosi, et Arcadi, inclyti victores, semper Augusti. Hujus instituti usum munificentiæ festinatione prævertitis: seram putantes liberalitatem, quæ statis temporibus ammonetur.'

2 *Quæstoris amici*] Ausonii scilicet ipsius, qui Valentiniani, et Gratiani Quæstor fuit, ut ex hoc loco patet, et illo Protreptici versu: 'Quæstor ut Augustis patri natoque crearer.' Quæstoris porro cum esset, preces privatorum ad Principem deferre, non mirum quod præteriti in largiendis strenis Ursuli amici sui Imperatorem commonuerit.

* *Quæstoris amici*] Hinc collige Epistolam ad Ursulum Grammaticum ante alias scriptam fuisse, scilicet ante Valentiniani fata: siquidem ei simul et Gratiano Quæstorem fuisse patet tum ex Protreptico, tum ex Gratiarum Actione.

5 *Interceptos*] Oblivione, vel etiam ab aliquo alio occupatos, cum Ursulo destinarentur.

Regale nomisma Philippos] Horat. lib. II. Epist. I. 'Chœrilus, incultis qui versibus et male natis Retulit acceptos regale numisma Philippos.' Philippi hic synecdochice pro quibusvis nummis. Proprie nummi erant Philippi Macedonum regis imagine signati.

6 *Tot numero, quot duo Geryones*] Sex numero nummos, quod variis ambagibus et ænigmatis exprimit, ut Epist. VII. numerum ostreorum quæ Theon mittebat. De Geryone tricorpore jam ad Griphum numeri ternarii.

8 *Quotque super terram sidera Zodiaci*] Quæ cum duodecim omnino sint, sex semper necesse est esse supra finitorem circulum et sex infra.

Quot commissa viris Romana, Albanaque fata:
Quotque doces horis, quotque domi resides.
Ostia quot pro parte aperit stridentia Circus:
Excepto, medium quod patet ad stadium.
Quot pedibus gradiuntur apes, et versus Homeri:
Quotque horis pelagus profluit, aut refluit.
Protulit in scenam quot dramata fabellarum,
Arcadiæ medio qui jacet in gremio.
Vel quot juncturas geometrica forma favorum
Conserit extremis omnibus, et mediis.
Quot telios primus numerus, solusque probatur;
Quot par, atque impar partibus æquiparat,

Romæ et Albæ: et per quot horas tu doces, et per quot quiescis domi tuæ. Quot stridentes portæ panduntur in dimidia parte Circi, præter eam quæ panditur ad dimidium stadium. Quot pedibus apes et carmen Homeri incedunt, et intra quot horas Oceanus fluit et refluit. Quot Comœdias poëta ille, qui sepultus est in medio gremio Arcadiæ, exhibuit in theatro. Aut quot commissuras figura geometrica favorum conjungit in omnibus extremis, et mediis. Quot unitatibus solus primus e numeris perfectus constare debet: quot unitates primus par, et primus impar numeri

Dragmata Vulg.—19 Scribendum *teleos* videtur Accursio. Legendum monet

NOTÆ

9 *Quot commissa viris Romana, &c.*] Tribus Horatiis, et tribus Curiatiis.

10 *Quotque doces horis, &c.*] Cum diem quovis anni tempore in duodecim semper horas dividerent, et noctem in totidem. Ex hoc loco patet Ursulum per dimidium diem horas scilicet sex docuisse in ludo suo, et per reliquum dimidium diem cessasse a docendo.

11 *Ostia quot pro parte, &c. Excepto, medium, &c.*] Ostia in Circo duodecim fuerunt, quæ omnia eodem tempore aperiebantur sigillorum quorundam seu Hermarum automata machinatione: 'Bissena quippe ostia,' inquit Cassiodorus, 'ad XII. signa posuerunt. Hæc ab Hermulis funibus demissis subita æqualitate panduntur,' &c. Quomodo ergo sex ab una parte demto medio esse potuerunt? scilicet si ab ostio uno, ad oppositum ei ostium lineam ducas, quæ Circum in duas secet partes æquales, et, quæ ab hac, vel ab illa parte ostia sunt, sic numeres, ut ostia ambo, ad quæ linea illa pertingit, numero eorum includas, septem invenies, ex quibus si demas medium, vel aliud quodvis, supererunt sex.

16 *Arcadiæ medio qui jacet in gremio*] Terentius, cujus extant Comœdiæ sex, quique in Stymphalo Arcadiæ oppido, dolore ac tædio amissarum fabularum, vita functus ac sepultus traditur.

17 *Vel quot juncturas geometrica forma favorum*] Synalœpha est in duabus primis syllabis vocis 'geometrica.' Sexangulam porro esse figuram cellarum in apum favis notissimum.

[redacted]

Bis ternos, et ter binos qui conserit unus:
Qui solus totidem congeminatus habet,
Quot faciunt juncti subterque supraque locati,
Qui numerant Hyadas, Pleiadasque simul.
* * * *
Ursule collega nobilis Harmonio,
Harmonio, quem Claranus, quem Scaurus, et Asper,
Quem sibi conferret Varro, priorque Crates,

producunt, qui numerus solus connectit bis tres, et ter duos: qui unus numerus duplicatus continet totidem unitates, quot numeri positi infra et supra eum additi simul efficiunt, qui quidem numeri numerant Hyadas una, et Pleiadas. * * * * *Ursule inclyte Harmonio collega tuo, Harmonio (inquam) quem Claranus, quem Scaurus, et Asper, quem Varro, et Crates ipso antiquior secum compararet, et ille*

Tollius: *numeris*, pro *numerus*; et sic habet ed. Delph.—21 Ita emendavit Tollius, pro, *quia cons.* qui mox tollit τελείαν ὑποστιγμὴν, et reponit leviorem

NOTÆ

19 *Quot telios primus, &c.*] Τέλειος ἀριθμὸς perfectus numerus, ut definit Euclides, est ille, qui omnibus suis partibus aliquotis æqualis est. Qui perfecti numeri sint quomodo inveniatur, disce ex ultima propositione lib. IX. Element. ejusdem. Horum porro primus (de quo hic Ausonius) est senarius aliquotis suis partibus 1. 2. 3. simul sumtis æqualis. 'Telios' a τέλειος media brevi hic ponitur licentia Ausonio satis familiari. Sic primam vocis 'Phidiæ' corripit Epig. XII. cum Græce scribatur per ει, Φειδίας.

20 *Par*] Primus scilicet binarius.

Impar] Etiam primus, nempe ternarius.

Æquiperat] Multiplicatione mutua, ut patet ex versu sequenti.

22 *Qui solus*] Senarius.

Congeminatus] Sicque duodecim efficiens.

23 *Juncti subterque supraque locati*] Quinarius, et septenarius, qui juncti etiam efficiunt duodecim.

24 *Hyadas*] Pluvias stellas, quæ quinque ab Hesiodo enumerantur, teste Theone in Arati Phænomena: Φαισύλη, ἠδὲ Κορωνὶς, ἐϋστέφανός τε Κλέεια, Φαιώ θ' ἱμερόεσσα, καὶ Εὐδώρη τανύπεπλος. 'Phæsule, et Coronis, et bene coronata Cleia, Et Phæo amabilis, et Eudora longam habens vestem.' Has Hyadas Latine verterunt veteres scriptores, Suculas, nomen earum a voce ὗς sus deducentes, cum ab ὕω pluo esset deducendum, et *pluvias* interpretandum.

Pleiadasque] Hæ stellæ septem ab Arato in Phænomenis enumerantur: Ἀλκυόνη, Μερόπη τε, Κελαινώ τ', Ἠλέκτρη τε, Καὶ Στερόπη, καὶ Ταΰγέτη, καὶ πότνια Μαῖα. 'Alcyone, et Merope, et Celæno, et Electra, Et Sterope, et Taygete, et veneranda Maia.'

25 *Collega*] In munere docendi.

26 *Claranus*] Grammaticus de quo Martialis lib. X. Epig. XXI. 'Scribere te, quæ vix intelligat ipse Modestus, Et vix Claranus, quid, rogo, Sexte, juvat?'

Scaurus] Duos Scauros Grammaticos patrem et filium cognoscimus ex

Quique sacri lacerum collegit corpus Homeri,
Quique notas spuriis versibus apposuit:
Cecropiæ commune decus, Latiæque Camœnæ
Solus qui Chium miscet, et Ammineum.

qui collegit corpus discerptum Homeri divini poëtæ, et ille qui adjecit notas suppositiis versibus: utpote honorem communis Musæ Atticæ et Latinæ, qui solus commiscet vinum Chium, et vinum Ammineum.

distinctionem sub finem sequentis versus.—29 Scribit Gronovius: *opposuit*.

NOTÆ

Julio Capitolino in Vero, quorum pater Hadriani Cæsaris præceptor fuit, filius vero præceptor Antonini Veri. Citantur eorum Grammatica, et Commentaria in Horatium, Virgilium, et Terentium ab A. Gellio, Diomede, et aliis Grammaticis veteribus.

Asper] Hic etiam Commentaria in Virgilium scripserat. Hujus meminerunt Macrobius, Priscianus, Carisius.

27 *Varro*] Notissimus ille scriptor, Romanorum Ciceronis judicio doctissimus.

Priorque Crates] Cujus ipse Varro meminit in opere 'de Analogia.' Hic, ut discimus ex Suetonio in 'de [redacted]

bat. Cujus judicium tanti fecerunt Veteres, ut notatos ab eo versus Homericos esse non crederent. Docuit hic Alexandriæ, inter alios, Ptolemæi sexti seu Philometoris filium.

30 *Cecropiæ commune decus*] In quarto casu non in recto 'commune decus,' et referendum ad Harmonium quem commune decus Cecropiæ Latiæque Camœnæ sibi conferrent Claranus, Scaurus, Asper, et ceteri.

31 *Solus qui Chium miscet, &c.*] Hæc, ut et superior versus, non de Ursulo, ut perperam putant Accursius, Turnebus, et Tollius, sed de Harmonio ejus collega intelligenda sunt. Nam si de Ursulo, ad quem [redacted]

NOTÆ

Aquitania dixit Ambrosius Epist. XXXVI. ac Burdigalæ natum vult Uranius Presbyter apud Surium, anno quidem 355. ex Chiffletii rationibus et argumentis, etsi ejusdem natales ad annum 354. referat. In Rhetoricis præceptore usus est Ausonio, qui veteris Paulini amore compulsus, ita puerum educandum suscepit, ut præceptoris industria ac sedulitate, parentis solicitudine ac pietate docuerit, nec aliter postea, quam filii nomine, compellaverit.

XIX. AUSONIUS PONTIO PAULINO FILIO. 409

CONDIDERAT jam Solis equos Tartessia Calpe:
Stridebatque freto Titan insignis Ibero:

Jam Calpe Hispana abdiderat equos Solis; et Phœbus clare stridebat in Oceano

1 Hujus Epist. titulus erat in Tiliano codice, Badiana editione, et aliis quibusdam: *Ausonius Pontio Paulino, cùm ille misisset poëmation versibus plu-*

NOTÆ

Pontio Paulino] Pontius hic Paulinus, ad quem hæc et sex sequentes sunt Epistolæ, is ipse est Paulinus Aquitanus, cujus Epistolæ, et Carmina aliquot extant, cujusque meminerunt honorificentissime DD. August. Ambrosius, Hieronymus, Severus Sulpitius. Is ipse est Paulinus qui venditis, et in pauperes erogatis facultatibus suis, Nolam Campaniæ secessit, cum sanctissima conjuge Therasia, atque ejus urbis factus est Episcopus.

1 *Condiderat jam Solis equos, &c.*] Παρεμβολὴ ad illius Senecæ in apocolocynthosi imitationem: 'Jam Phœbus breviore rota contraxerat orbem,' &c. Cui post longam descriptionem subjungit: 'Puto magis intelligi si dixero: mensis erat October.' Sic enim infra Ausonius: 'Nescis puto quid velim tot versibus dicere. Medius fidius neque ipse bene intelligo: tamen suspicor. Jam prima nox erat,' &c.

Tartessia Calpe] Mons Hispaniæ ad fretum Gaditanum, cui in Africæ littore opponitur Abila mons alter, atque hæ duæ Herculis columnæ existimantur. De his Festus Avienus: 'Scopuli stant ardui utrinque; Unus in Europam, Libyam procul aspicit alter, &c. Sic cœlum vertice fulcit Maura Abila, et dorso consurgit Iberica Calpe.' Tartessia hic dicitur a Tartesso regionis illius urbe.

2 *Stridebatque, &c.*] Ex opinione veterum præcipue poëtarum, qui tingi Oceano Solem cadentem, et stridere ignitas ejus rotas putabant. Juvenal. Sat. XIV. 'Veniet classis quocumque vocarit Spes lucri, nec Carpathium, Gætulaque tantum Æquora transiliet; sed longe Calpe relicta Audiet Herculeo stridentem gurgite Solem.' Ad quem locum vetus Scholiastes: 'Gaditano Oceano Sol mergens stridet, ut si ferrum caudens in aqua tinguas.' Statius in Genethliaco Lucani: 'Felix heu nimis, et beata tellus, Quæ pronos Hyperionis meatus Summis Oceani vides in undis, Stridoremque rotæ cadentis audis.'

[redacted]

Jam succedentes quatiebat Luna juvencas:
Vinceret ut tenebras radiis, velut æmula fratris.
Jam volucres, hominumque genus superabile curis,
Mulcebant placidi tranquilla oblivia somni.
Transierant Idus, medius suprema December
Tempora venturo properabat jungere Jano.
Et nonas decimas ab se nox longa Kalendas
Jugiter acciri celebranda ad festa jubebat.

Nescis, puto, quid velim tot versibus dicere. 11. Medius fidius neque bene ipse intelligo: tamen suspicor. Jam prima nox erat ante diem nonum decimum Kalendarum Januariarum, cum redditæ sunt mihi literæ tuæ[a] oppido quam literatæ. 12. His longe jucundissimum poëma subdideras, quod de tribus Suetonii libris, quos ille de regibus[b] dedit, in epitomen coëgisti, tanta elegantia, solus ut mihi

Ibero: jam Luna agitabat suas boves succedentes Soli: ut superaret obscuritatem noctis radiis suis, quasi rivalis fratris sui. Jam aves, et genus hominum quod premitur solicitudinibus, deliniebantur placidis oblivionibus quieti saporis. Idus erant elapsæ, medius December festinabat conjungere Jano advenienti sua extrema tempora. Et nox longa accersebat continuo diem decimum nonum ante Kalendas Januarias ad celebranda festa Saturnaliorum.

Ignoras, ut arbitror, quid velim exprimere tot versibus. Certe neque ego ipse sat scio: suspicor nihilominus. Jam incipiebat nox quæ præcedit diem decimum nonum ante Kalendas Januarias, cum allata est ad me Epistola tua perquam erudita. Subjunxeras illi Carmen longe suavissimum, quod de tribus libris Suetonii, quos ille edidit de regibus, coarctasti in compendium, tanta venustate, ut tu unus

NOTÆ

3 *Quatiebat Luna juvencas*] Supra Epist. v. ad Theonem: 'Tertia fissipedes renovavit Luna juvencas.' Ad quem versum vide notata.

9 *Nonas decimas . . . Kalendas*] Non tamen die 19. Kal. Jan. sed 16. celebrari incipiebant ex Cæsarum edictis Saturnalia; quæ festa hic innuit Ausonius. Nonas decimas igitur Kalendas hic non ut diem ipsum Saturnaliorum, sed Saturnalibus proximum acciri ab longa illa nocte intelligendum est.

[a] *Cum redditæ sunt mihi literæ tuæ*] Interciderunt illæ, una et Poëma quod iis Paulinus ex Suetonio subjunxerat de regibus. Paulini autem Literæ, et Epistola qua iis respondet Ausonius, ante annum 389. scriptæ fuerunt, quo exeunte Paulinus in Hispaniam secessit, ut se paulatim a rerum terrenarum contemtu ad cœlestium amorem erigeret. Constat enim ex ejusdem Carmine x. vs. 19. jam tum Musis, Poëticisque Fabulis omnino valedixisse.

[b] *Quod de tribus Suetonii libris, quos ille de regibus*] Neque Suetonii libri de regibus hodie extant, neque Epitome illorum a Paulino versibus scripta.

[redacted]

videare assecutus, quod contra rerum naturam est, brevitas ut obscura non esset.[c] 13. In his versibus ego ista cognovi:

Europamque Asiamque duo vel maxima terræ
Membra: quibus Libyam dubie Sallustius addit, 14
Europæ adjunctam: possit cum tertia dici: 15
Regnatas multis, quos fama obliterat, et quos
Barbara Romanæ non tradunt nomina linguæ,
Illibanum, Numidamque Avelim, Parthumque Vononem,
Et Caranum, Pellæa dedit qui nomina regum.
Quique Magos docuit mysteria vana Necepsus:
Et qui regnavit sine nomine mox Sesoostris.

mihi videaris perfecisse id, quod pugnat naturæ rerum, ut brevitas non esset obscura. Ego hæc didici in istis carminibus: Europam et Asiam duas terræ partes amplissimas, quibus Sallustius dubitanter adjungit Africam, additam Europæ: cum possit appellari tertia pars orbis: quæ partes orbis multos habuerunt reges, quorum fama evanuit, et quos nomina eorum barbara non sinunt memorari lingua Latina, ut Illibanum, et Avelim Numidiæ regem, et Vononem Parthorum, et Caranum, qui progenuit reges Macedonicos. Et Necepsum, qui docuit Magos inania mysteria: et Sesostrim, cujus regnum statim post ipsum sine gloria fuit.

rimis de regibus ex Tranquillo collectis.—20 Alia exemplaria, *Nechepsi:* Vinetus

NOTÆ

[c] *Brevitas ut obscura non esset*] Contra hanc Horatii sententiam in Arte Poëtica: 'Brevis esse laboro, Obscurus fio.'

14 *Quibus Libyam dubie Sallustius addit*] In de bello Jugurthino: 'In divisione orbis terræ plerique in parte tertia Africam [hæc est Libya] posuere. Pauci tantummodo Asiam et Europam esse, sed Africam in Europa.'

18 *Illibanum*] Regem aliquem barbarum ex Africa, de quo nihil alibi reperio, quemadmodum neque de Aveli Numida.

Parthumque Vononem] De hoc vide initium libri II. Annalium Taciti.

19 *Et Caranum*] Ex Heraclidis unum, quem primum Macedoniæ regem fuisse tradunt Justinus lib. VII. et Livius lib. XLV. Macedoni Deucalionis filio successisse in regno Solinus auctor est in Polyhistore. Ex hujus posteris fuere Philippus et Alexander, Pella Macedoniæ urbe oriundi. Hoc significare vult Ausonius cum ait: 'Pellæa dedit qui nomina regum.'

20 *Necepsus*] Ægypti rex, Astrologiæ peritissimus, et Magiæ; de quo Jul. Firmicus lib. VIII. Necepsus Imperator justissimus Ægypti, et Astrologus valde bonus, per ipsos Decanos omnia vitia valetudinesque collegit.

21 *Sine nomine mox Sesoostris*] Statim post mortem successorem habuit nullius famæ ac nominis, cum ipse orbem terrarum peragrasset victoriis. De hoc Sesostri vide Herodot. lib. II.

22. Hæc tu quam perite, et concinne, quam modulate, et dulciter, ita juxta naturam Romanorum accentuum enuntiasti, ut tamen veris, ac primigeniis vocibus sua fastigia non perirent. 23. Jam quid de eloquentia dicam? Liquido adjurare possum, nullum tibi ad poëticam facundiam Romanæ juventutis æquari.[d] Certe ita mihi videris. Si erro, pater sum,[e] fer me: et noli exigere judicium, obstante pietate. Verum cum pie diligam, sincere ac severe judico. Affice me, oro, tali munere frequenter: quo et oblector, et honoror. Accessit tibi in artem poëticam mellea adulatio.†[f] Quid enim aliud agunt,

Audax Icario qui fecit nomina ponto, 24
Et qui Chalcidicas moderate enavit ad arces, 25

26. nisi ut et vegetam, et sublimem alacritatem tuam, te-

Tu expressisti ista quam docte et accurate, quam numerose, et suaviter, sic secundum rationem accentuum Romanorum, ut nihilominus nomina illa primitiva non amitterent suos apices. Jam vero quid dicam de tua facundia? Possum jurare haud dubitanter, neminem ex juvenibus Romanis tibi parem esse in eloquentia poëtica. Saltem mihi videris talis. Si hallucinor, sum pater, tolera me: et noli exposcere a me judicium, cui amor paternus obsistat. At licet amem te affectu paterno, nihilominus judico de te sincere, ac severe. Mitte, quæso, sæpe ad me simile munus: quod me et delectat, et decorat. Præter artem poëticam habes suavissimas blanditias. Nam quid aliud faciunt hi versus:

Temerarius qui dedit nomen mari Icario,
Et qui pervenit volatu modesto ad arces Chalcidicas,

nisi ut appelles audaciam, tuos vividos, et excelsos impetus; dicas autem me e

legit, *Nechepsus.*—† *Modulatio* Vulg.—25 *Ad arctos* Vulg.—27 ad fin. Quæri

[redacted]

[redacted]

meritatem voces; me vero, et consultum, et quem filius debeat imitari, salutari prudentia præditum dicas? Quod equidem contra est. Nam tu summa sic appetis, ut non decidas: senectus mea satis habet, si consistat. 27. Hæc ad te breviter, et illico, vesperis illius secuto mane dictavi. Ita enim tabellarius tuus, ut epistolam referret, instabat. Nam si mihi otium fuerit, oblectabile negotium erit ad te prolixius delirare, te ut eliciam, mihi ut satisfaciam. Vale.

esse prudentem, et imitandum filio, instructum consilio salutifero? Quod certe se habet contrario modo. Tu enim sic tendis ad suprema, ut non delaberis: at in hac provecta ætate contentus sum, si maneam in eodem loco. Hæc breviter, et statim matutinis horis, quæ exceperunt illam vesperam, dictavi ad te mittenda. Nam tabellarius tuus sic urgebat me, ut reportaret ad te literas meas. Si enim mihi vacaverit, erit mihi occupatio jucunda ineptire fusius ad te scribendo, ut provocem te ad respondendum, et ut mihi satisfaciam. Vale.

Tollius an codices olim scripti: *tu ut eliciam.*

XX. AUSONIUS PAULINO S. P. D. 410

PAULINO Ausonius. Metrum sic suasit, ut esses
Tu prior, et nomen prægrederere meum.

Paulino Ausonius salutem dicit. Lex carminis ita perpulit me, ut te ponerem priorem, et ut tu præcederes meum nomen. Quamvis revera tu prior es titulo

NOTÆ

1 *Paulino Ausonius. Metrum sic suasit, &c.*] Metri ratione coactum se ait, ut Paulini, ad quem scribit, nomen suo præponeret, contra Latinorum Græcorumque scribendi morem, apud quos sic sunt initia Epistolarum: Ausonius Paulino. Caius Plinius Trajano Imperatori. Ἀριστοτέλης βασιλεῖ Ἀλεξάνδρῳ. Inde tamen occasionem arripit satis levem meo quidem judicio Paulinum extollendi. In quo tota vertitur Epistola.

* *Metrum sic suasit ut esses Tu prior*] Ea consuetudo sic tandem invaluit, ut vix metri necessitas eum excusaret qui nomen suum præponeret. Duo profert exempla Desposius, Hadriani IV. qui accepta Friderici Epistola in qua nomen Pontificium postpositum fuisset, sic ira commotus est, ut inflammatam rescriberet Epistolam; et Heloissæ ita de P. Abælardo querentis: 'Miror unice quod præter consuetudinem Epistolarum, immo contra ipsum ordinem naturalem, in ipsa fronte salutationis Epistolaris me tibi præponere præsumsisti.'

Quanquam et fastorum titulo prior, et tua Romæ
  Præcessit nostrum sella curulis ebur.
Et quæ jamdudum tibi palma poëtica pollet,
  Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.
Longævæ tantum superamus honore senectæ.
  Quid refert? cornix non ideo ante cycnum.
Nec quia mille annos vivit Gangeticus ales,
  Vincit centum oculos, regie pavo, tuos.

fastorum, et tua sella curulis Romæ antecessit meam sellam eburneam, et palma poëseos, qua jamdudum ornatus es, decorata est tænia, quam mea palma non habet. Anteeo te solum honore senectutis longæ. Quid hoc interest? Non propterea cornix præcedit olorem. Neque ales Indicus, quoniam vivit mille annos, propterea superat pulchritudine tuos centum oculos, o pavo, regalis volucris.

10 'Mollius alter Vossianus: *regie pave, tuos.*' Tollius. Et sic exhibetur

NOTÆ

3 *Fastorum titulo prior*] Non tamen in Consulum Fastis comparet Paulini nomen. Unde recte Vinetus infert, non ordinarium illum fuisse Consulem, neque Consulatum a Kalendis Januar. auspicatum, sed ordinario alicui Consuli ob mortem aliamve causam fuisse suffectum. In fastis enim ordinariorum Consulum nomina habentur, non etiam suffectorum. Fuerat ergo Paulinus Consul ante rium; nec moveri quenquam debere, quod Ausonius nomen Paulini Fastorum titulo honoratum dixerit, suffectos siquidem ordinariis Consules Fastis aliquando inscriptos. Cujus consuetudinis exempla superesse, memini me jam idem adversus Vinetum annotavisse. Ebur autem dixit, quia curules erant ex ebore. Gell. lib. III. cap. 18. et lib. VI. cap. 9. 'Eripietque curule Cui volet importunus ebur.'

[redacted]

Cedimus ingenio, quantum præcedimus ævo.
  Assurgit Musæ nostra Camœna tuæ.
Vive, vale: et totidem venturos congere Janos,
  Quot tuus, aut noster conseruere patres.

Tantum cedo tibi ingenio, quantum præeo ætate. Mea Musa assurgit tuæ Camenæ honoris causa. Vive, vale: et connecte inter se totidem annos vitæ futuros, quot patres, meus vel tuus, connexuerunt.

in ed. Delph.—13 Alii emendarunt, *consere.*

NOTÆ

Metam. lib. I. Fab. 19.

Regie pavo] Vel ob formæ præstantiam, vel quia Junonis Deorum reginæ avis est.

* 12 *Assurgit Musæ, &c.*] Virgilius de Gallo Eclog. VI. vs. 66. 'Utque viro Phœbi chorus assurrexerit omnis.'

13 *Congere Janos*] Reponunt *consere* Grævius et Tollius, ob vocem 'conseruere' sequentis versus. Horum lectionem sum secutus. 'Janos' verti annos. Jani quippe, metonymia adjuncti, sunt Kalendæ Januariæ anni initium. Kalendæ autem illæ per synecdochen pro annis ponuntur.

XXI. AUSONIUS PAULINO SUO S. D. 411

QUANTO me affecit beneficio, non delata quidem, sed suscepta[1 a] querimonia mea, Pauline fili! Veritus displicuisse oleum quod miseras, munus iterasti: addito etiam Barcinonensis muriæ condimento,[b] cumulatius præstitisti.

Quantum ad me commodum pervenit, o fili Pauline, non quidem quod tibi dictum sit, sed quod tu opinatus fueris me queri de te! Cum timeres ne oleum, quod miseras ad me minus probatum mihi esset, instaurasti donum. Effecisti quoque auctius, adjuncto condimento Muriæ Barcinonensis. Nosti vero me neque solere,

1 Legendum monet Scaliger: *suspecta.* Vid. Not. inf.—2 Sic Scaliger

NOTÆ

a *Sed suscepta*] Scaliger mutat in *suspecta*, frustra. Retineri optime vulgata lectio potest. 'Querimonia suscepta,' hic est, quam quis putat alium de se facere, etsi causa nulla subsit. Sic scandalum Theologi dividunt in datum, et acceptum.

b *Barcinonensis muriæ condimento*] Muriæ factæ Barcinone, quæ Hispaniæ Tarraconensis urbs est ad mare internum sita. Fiebat autem e piscibus muriæ genus duplex; unum vilius e thunnorum intestinis sale maceratis, quod muriæ nomen retinuit; alterum pretiosius e scombris, quod Græco vocabulo 'Garum' appellarunt. Latinam ei vocem non respondere queritur hic Ausonius, sed 'liquamen,' et 'liquor sociorum' dicebatur. Discrimen duplicis illius mu-

2. Scis autem, me id nomen MURIÆ, quod in usu vulgi est, nec solere, nec posse dicere: cum scientissimi veterum, et Græca vocabula fastidientes, Latinum in GARI appellatione non habeant. Sed ego quocumque nomine loquar, liquor iste SOCIORUM vocatur.[c] Vale.

412

Jam patinas implebo meas, ut parcior ille
Majorum mensis applaria[a] succus inundet.

neque posse uti hoc nomine muriæ quo vulgus utitur: cum tamen doctissimi ex antiquis, et aspernantes voces Græcas, non habeant nomen Latinum, quo exprimant Garum. At quacumque voce ego utar, liquamen hoc appellatur Sociorum. Vale.

Jam implebo illo meas lances, ita ut liquor ille, qui minori copia adhibebatur in conviviis majorum nostrorum, impleat cochlearia meorum conviviarum. Porro,

NOTÆ

riæ dispicere est vel ex hoc Martialis Epigr. lib. XIII. in quo sic de se Muria loquitur: 'Antipolitani, fateor, sum filia thunni: Essem si scombri, non tibi missa forem.'

[a] *Addito etiam Barcinonensis muriæ condimento*] Vinetus hinc suspicari videtur Barcinone, quo religionis causa secessit Paulinus, muriam Ausonio missam fuisse. Verum aliunde constat hanc Ausonii Epistolam ante scriptam, quam Paulinus in Hispaniam secederet; id est, ante annum 390.

Muriam autem illam tantopere An-

gente Sosia Sosiorum; et eorum qui a voce Sotorum quasi bibonum, vel ab Asotiorum quasi Helluonum, voce appellatum fingunt.

[c] *Liquor iste Sociorum vocatur*] Plin. lib. XXXI. in fine cap. 7. et initio 8. 'Aliud etiamnum liquoris exquisiti genus, quod garon vocavere, intestinis piscium, ceterisque quæ abjicienda essent, sale maceratis, ut sit illa putrescentium sanies. Hoc olim conficiebatur ex pisce, quem Græci garon vocabant, &c. Nunc e scombro pisce laudatissimum in Carthaginis Spartariæ cetariis: sociorum id

[redacted]

[redacted]

3. Quid autem tam amabile tamque hospitale, quam quod tu, ut me participes, delicias tuas[3] in ipsa primitiarum novitate defraudas? O melle dulcior, o gratiæ venustate festivior, o ab omnibus patrio stringende complexu! 4. Sed hæc atque alia hujusmodi documenta[d] liberalis animi alicui fortasse,[4] et aliquando, quamvis rarius:[5] illud de epistolarum tuarum eruditione, de poëmatis jucunditate, de inventione, et continuatione,[6] juro omnia, nulli unquam imitabile futurum, etsi fateatur imitandum. De quo opusculo, ut jubes, faciam. 5. Exquisitius universa limabo: et quamvis per te manus summa contigerit, cœlum superfluæ[e] expolitionis adhibebo: magis ut tibi paream, quam ut perfectis aliquid adjiciam. 6. Interea tamen, ne sine corollario poëtico tabellarius tuus rediret, paucis iambicis præludendum putavi: dum illud, quod a me heroico metro desideras, inchoatur. Isti tamen, ita te et Hesperium salvos habeam,[f] quod[7] spatio lucubratiunculæ unius effusi,

quid est tam amabile, tamque hospitale, quam quod tu frustraris tuas delicias in ipsa novitate primitiarum, ut mihi impertiaris? O amice suavior melle, o lepidior ipsa Gratiæ elegantia, o paterno amplexu premende ab omnibus! Verum hæc, et alia similia exempla indolis benignæ imitabilia fortassis erunt alicui, et aliquo tempore, quanquam rarius. At juro per omnia, eruditionem tuarum Epistolarum, suavitatem tui carminis, inventionem et compositionem illius, nemini unquam fore imitabilem, quamvis confiteatur sibi esse contendendum, ut eam imitetur. Circa quod poëmatium exequar quod præcipis. Perpoliam accuratius omnia: et licet tu ipse extremam ei operi manum admoveris, ego ei admovebo cælum supervacaneæ lævigationis: potius, ut tibi obsequar, quam ut aliquid addam rebus jam a te absolutis. Interim tamen, ne nuntius tuus reverteretur sine auctario aliquo poëtico, existimavi mihi esse præludendum aliquot Iambis: dum illud, quod petis a me carmine Heroico, incipitur. Hi tamen Iambi, ita tu et Hesperius mihi incolumes sitis, ut properan-

reponit pro, *spalaria*. In Glossis Isidori *applare*, cochleare.—3 Ita legit et distinguit Tollius, pro, quod vulg. *Ut me participes delicias tuas*.—4 *Aliquis fortasse* vulg.—5 In ed. Badiana est *rarus*.—6 Legendum monet Tollius cum papyraceo, *concinnatione*.—7 ' Ocyus dele τὸ *quod*, cui nullus hic alius usus,

NOTÆ

[d] *Hæc atque alia hujusmodi documenta, &c.*] Munera scilicet mittere.

[e] *Manus summa contigerit, cœlum superfluæ, &c.*] Allegoria a Sculptoribus.

[f] *Ita te et Hesperium salvos habeam*] Formula jurantis per carissimorum, amici et filii, capitum salutem.

quanquam hoc[g] ipsi de se probabunt,[8h] tamen nihil diligentiæ ulterioris habuerunt. Vale.

413

Iambe Parthis, et Cydonum spiculis,
Iambe pinnis alitum velocior,
Padi ruentis impetu torrentior,
Magna sonoræ grandinis vi densior,
Flammis corusci fulminis vibratior,
Jam nunc per auras Persei talaribus,
Petasoque ditis Arcados vectus, vola.

ter lucubrati sunt spatio unius vigiliæ, quamvis hoc ipsi per se satis ostendant, non diutius certe fuerunt elaborati. Vale.

O Iambe celerior sagittis Parthicis, et Cydoniis, Iambe celerior alis volucrum, magis præceps quam violentus cursus Eridani præcipitantis in mare, crebrior agmine ingenti grandinis crepitantis, qui mitteris impetuosius igne fulguris coruscantis, jam nunc vola per aërem delatus talaribus Persei, et Galero Mercurii. Si verum

---

quam ut solœcam reddat orationem.' *Gronovius.*—8 Ita vetustus codex habet. vid. Not. Var.—vs. 4 Non contemnendum, inquit Tollius, quod in papyraceo, *Magnumsonoræ.*

NOTÆ

[g] *Quanquam hoc*] Se esse celeriter scriptos.

[h] *Probabunt*] Quoniam rudes et impoliti videbuntur, et præ se ferent festinationem sui auctoris.

1 *Parthis, et Cydonum spiculis, &c. velocior*] Celebrati Sagittarii Creten- [redacted]

Metam. IV. Fab. 12. 'Pennis ligat ille resumtis Parte ab utraque pedes, teloque accingitur unco, Et liquidum motis talaribus aëra findit.'

7 *Ditis Arcados*] Ditis nomen, quanquam speciatim Pluto divitiarum numini, et Plutoni Inferorum Deo tri- [redacted]

[redacted]

Si vera fama est Hippocrene, quam pedis
Pulsu citatam cornipes fudit fremens:
Tu fonte in ipso procreatus Pegasi,
Primus novorum metra junxisti pedum:
Illicque Musis concinentibus novem,
Cædem in draconis concitasti Delium.
Fer hanc salutem præpes et volucripes
Paulini ad usque mœnia. Hebromagum loquor.

est quod dicitur de Hippocrene, quam equus fremens effudit excitam ictu pedis: tu productus in ipso fonte Pegaseo, primus connexuisti mensuras pedum nondum observatorum: atque ibi dum novem Camenæ canerent, instigasti Apollinem ad interficiendum Draconem. Defer hanc salutationem, velox et celeripes, usque ad urbem in qua degit Paulinus. Hebromagum volo dicere. Et statim, si is jam

NOTÆ

9 *Cornipes*] Pegasus.

11 *Primus novorum, &c.*] Tangit fabulam a Terentiano Mauro relatam his versibus: 'Hexametros tradit genitos duo prima vetustas. Herous ille est. Hunc vocant Iambicum, &c. Additur hæc gemino non absona fabula metro, Seu vera res est. Spectet auctorem fides. Cum puer infestis premeret Pythona sagittis Apollo, Delphici feruntur incolæ Hortantes acuisse animum bellantis, ut illos Metus habebat, aut propinqua adorea Tendebat geminas pavida exclamatio voces, Ἰὴ Παιάν· ἰὴ Παιάν· ἰὴ Παιάν Spondeis illum primo natum cernis sex. Ex parte voces concitas læti dabant Ἰὴ Παιάν· ἰὴ Παιάν· ἰὴ Παιάν Et hinc pedum tot ortus est Iambicus.' Ex qua colligere est primum versum Hexametrum, sed spondaicum, fuisse Græcum illum supra relatum, sed eundem etiam Iambicum, eo quod pars Delphicorum celerius pronuntiantes primam syllabam vocis Παιὰν corriperent, ut revera sæpe apud Græcos αι ante vocalem corripitur. Sunt tamen qui primum hunc Iambum fuisse dicunt a muliere pannos lavante in Archilochum dictum: Ἄνθρωπ᾽ ἄπελθε· τὴν σκάφην ἀνατρέπεις· 'Abi homo: scapham subvertis.'

15 *Hebromagum loquor*] Hanc Paulini villam Hebromagum Vinetus suspicatur vicum esse infra Blaviam in eadem ripa *Embrau* dictum, sive ut alii primam syllabam truncantes appellant *Brau*: at Scaliger existimat oppidum esse ad confluentes Duranii et Garumnæ ab uno e Paulini posteris Pontio Leontio amplificatum horreis publicis et turribus in modum castrorum, et appellatum *Burgum*, quo nomine tunc castra opportuna bello et munita vocabant a πύργος turris.

* *Paulini ad usque mœnia. Hebromagum loquor*] Inde colligo hanc Epistolam ante annum 390. scriptam fuisse. Nec enim Paulinus illud e dominio suo oppidum incoluit, nisi cum vitam communem ageret. De situ autem Hebromagi dissentiunt Interpretes; noster accedit Scaligero qui vult Hebromagum eandem esse cum Burgo civitatem, quod et Samso tueri quoque nititur, quicquid contra in medium afferant Vinetus et Fronto-Ducæus, qui veterem Hebroma-

Et protinus, jam si resumtis viribus
Alacri refecti corporis motu viget,
Salvere jussum mox reposce mutuum.
Nihil moreris: jamque dum loquor, redi,
Imitatus illum stirpis auctorem tuæ:
Triplici furentem qui Chimæram incendio
Supervolavit, tutus igne proximo.
Dic et Valere: dic, Avere te jubet
Amicus, et vicinus, et fautor tuus,
Honoris auctor, altor ingenii tui.
Dic et magister, dic parens, dic omnia
Blanda atque sancta caritatis nomina.
Aveque dicto, dic Vale, et actutum redi.
Quod si rogabit, quid super scriptis novis
Maturus ævi, nec rudis dijudicem:
Nescire dices, sed paratum jam fore
Heroicorum versuum plenum essedum.
Cui subjugabo de molarum ambagibus,
Qui machinali saxa volvunt pondere,

recepit vires suas, et valet agili mobilitate corporis recreati, cum eum salutaveris, illico flagita ab eo reciprocam salutem. Ne tantillum quidem cesses: et dum hæc dico jam jam revertere, imitans velocitate illum auctorem tuæ originis, qui superavit volatu Chimæram flammas vomentem ore tergemino, tutus quanquam in ignis vicinia. Dic ei: Valere atque salvere te jubet amicus, et vicinus, et fautor tuus, promotor tuæ dignitatis, educator tui ingenii. Adde etiam Magister, adde parens, adde omnes blandas et castas appellationes paterni amoris. Et cum dixeris salve, dic vale, et revertere illico. Porro si quæret, quid ego provectæ ætatis, et non [redacted]

[redacted]

Tripedes caballos terga ruptos verbere;
His ut vehantur tres sodales nuntii.
Fors et rogabit, quos sodales dixeris
Simul venire: dic, trinodem Dactylum
Vidi paratum crucianti canterio:
Spondæus illi lentipes ibat comes,
Paribus moratur qui locis cursum meum:
Mihique similis, semper adversus tamen,
Nec par, nec impar, qui Trochæus dicitur.
Hæc fare cursim, nec moratus pervola,
Aliquid reportans interim munusculi
De largitate musici promtarii.

ponderis machinarii: ut iis tres nuntii sodales devehantur ad eum. Forsan etiam quæret, quos sodales dixeris una ad eum pergere: responde ei, vidi Dactylum trinodem paratum ad veniendum in caballo succutiente: comitabatur eum spondæus tardigradus, qui retardat cursum meum positus in totidem sedibus, quot ego: et ille mei similis semper tamen contrarius, neque par, neque impar, qui appellatur Trochæus. Dicito ei ista propere, et absque mora recurre ad me, referens interim aliquid munusculi de liberalitate penus ejus poëticæ.

NOTÆ

38 *Dic, trinodem Dactylum*] Dactylum pedem syllabis tribus constantem, quem, quia quadrupedantis equi cursum optime imitatur, advehi dicit crucianti Canterio, versum hunc Plauti intuens in Captivis de piscatoribus: 'Qui advehuntur quadrupedanti crucianti Canterio.'

40 *Spondæus illi, &c.*] Designare videtur Hendecasyllabos Phalæcios, ex Spondæo, Dactylo, et Tribus Trochæis constantes.

43 *Nec par, nec impar*] Quia Trochæus pari quidem numero syllabarum constat, sed quæ inæqualis sint quantitatis, ex longa nempe et brevi. Sed hoc de se etiam dicere eodem jure potest Iambus.

XXII. AUSONIUS PAULINO SUO. 414

MULTAS et frequentes mihi gratiæ tuæ causas et occasio subinde nata concinnat, et naturæ tuæ facilitas benigna

O fili Pauline, res ut sese identidem dant, et comis indulgentia tuæ indolis aptat

NOTÆ

* Hanc quoque Epistolam, quam eruditissimam, elegantissimamque merito appellat Scaliger, et lepore Attico refertam vere dixerim, constat ante annum 390. scriptam fuisse, Paulino etiamnum in prædiis suis commorante.

conciliat, Pauline fili. Nam quia nihil, poscente me, abnuis, magis acuis procaciam, quam retundis: ut nunc quoque in causa Philonis procuratoris quondam mei experiere: qui apud Hebromagum[a] conditis mercibus, quas per agros diversos coëmit, concesso ab hominibus tuis[b] usus hospitio, immature periclitatur expelli. 2. Quod nisi indulseris, rogante me, ut et mora habitandi ad commodum suum utatur, et nauso,[c] aliave quavis navi[1] usque ad oppidum[d] præbita, frugis aliquantulum nostræ[e] advehi possit, Lucaniacus ut inopia liberetur[2] mature; tota illa familia hominis literati[f] non ad Tullii frumentariam,[g] sed ad Curculionem Plauti[h] pertinebit. 3. Hoc quo facilius

mihi, et paratu plurimas, et crebras occasiones tuæ benignitatis. Etenim quia nihil denegas, cum peto, instigas potius quam reprimis meam in petendo audaciam: ut nunc etiam agnosces in negotio Philonis, mei olim procuratoris: qui cum reposuerit apud Hebromagum merces, quas comparavit per varios agros, utens eo hospitio quod tui domestici ei commodarunt, nunc in periculo est, ne ante tempus inde ejiciatur. Quod ni concesseris ei meo rogatu, ut et possit illic remanere quamdiu ipsi opus erit, et commodato ei nauso, aut qualibet alia navi ad urbem usque, aliquantum frugum nostrarum apportari possit, ut Lucaniacus tempore liberetur a penuria; familia hæc omnis hominis literati redigetur non ad frumentariam orationem Ciceronis, sed ad Curculionem Plauti. Ut hoc a te facilius obtinerem, vel ut

1 Vetus exemplar Joannis Tilii, *aliave qua navi*, non male, judice Vineto. —2 ‘Sic omnes nostri codices. Lectio tamen hæc nescio quo pacto mihi non placet. Legerem potius: *frugis a. nostro ad. p. Lucaniaco, ut inopia l.*’ Vine-

NOTÆ

[redacted]

[redacted]

impetrarem, aut quo majorem vereceris molestiam, si negares; concinnatam Iambis signatamque ad te epistolam misi, ne subornatum diceres tabellarium, si ad te sine signi fide veniret. Signavi autem, non ut Plautus ait,[i]

4. Per ceram, et linum,[3] [k] literasque interpretes;

5. sed per poëticum characterem magis notavimus,[l] tanquam signum impressum judicares.[4]

415

Philon, meis qui villicatus prædiis,
Ut ipse vult, epitropos,
(Nam gloriosum Græculus nomen putat,
Quod sermo fucat Doricus,)

timeres majorem importunitatem, si renueres; misi ad te hanc Epistolam compositam ex Iambis, et obsignatam, ne diceres nuntium esse subdititium, si veniret ad te absque testimonio sigilli. Obsignavi porro non, ut dicit Plautus, cera et lino, et characteribus explicantibus, sed melius signavi per notam poëticam, quam dignosceres veluti impressum characterem.

Philon, qui villicus fuit in meis fundis, aut, ut ipse vult, Epitropus, (ipse enim cum Græcus sit, existimat honorificum esse nomen, quod lingua Græca adornat,)

tus. Bene se habere vulgatam censet Tollius.—3 Legendum monet Tollius cum altero Vossiano, *lignum*.—4 'Hæc corrupta esse, quivis deprehendet: pro *notavimus* in papyraceo erat *nota minus*: fortassean Ausonius scripserit: *sed p. p. c. magis notum, ut hunc t. s. i. j.* Tò *minus* dubitantis librarii est,

NOTÆ

bula Plauti est, et in ea nomen parasiti famelici a Curculione animalculo frumentum exedente sumtum.

[i] *Ut Plautus ait*] In Pseud. act. I. sc. 1.

[k] *Per ceram et linum*] Sic omnino legendum, non, ut Tollius reponit, *lignum*. Non ignoramus ligneas fuisse tabellas cera oblitas in quibus scriberent; sed hic, ut et in adducto Plauti loco, non de scriptione agitur, sed de obsignatione, quæ per linum et ceram, ac impressum sigillum fiebat. Apud eundem Plautum Bacchid. actu IV. scena 4. Chrysalus ad Pistoclerum: 'Nunc tu abi intro, Pistoclere, ad Bacchidem, atque effer cito. Pist. Quid? Chr. Stylum, ceram, et tabellas, et linum.' Et deinde: 'Cape stylum propere et tabellas tu has tibi. Mn. Quid postea? Chr. Quod jubebo scribito istic.' Tum scripta Epistola: 'Cedo tu ceram, ac linum actutum. Age obliga, obsigna cito.'

[l] *Magis notavimus*] Lege cum Tollio *magis notum, ut*. Sic plana omnia: 'Signavi autem, non ut Plautus ait per ceram,' &c. sed per Poëticum Characterem, magis notum,' id est, usitatum inter nos, 'ut tanquam signum impressum judicares.'

2 *Epitropos*] Græcum est ἐπίτροπος, procurator.

Suis querelis asserit nostras preces:
  Quas ipse lentus prosequor.
Videbis ipsum, qualis astet comminus,
  Imago fortunæ suæ,
Canus, comosus, hispidus, trux, attubus,
  Terentianus Phormio,
Horrens capillis ut marinus asperis
  Echinus, aut versus mei.
Hic sæpe falsus messibus vegrandibus,
  Nomen perosus villici,
Semente sera, sive multum præcoqua,
  Et siderali inscitia,

asciscit meas preces suis querimoniis: quas ego haud ita promtus prosequor hac Epistola. Videbis eum, qualis stet prope te, vera effigies suæ sortis, canus, crinitus, hirsutus, ferox, balbus, talis prorsus qualis est Phormio apud Terentium. Horridus crinibus hispidis tanquam echinus marinus, aut tanquam mea carmina. Hic cum sæpe deceptus fuisset segetibus male adultis, exosus nomen coloni, cum tardius sereret, aut valde citius, et ignoraret observationem astrorum, incessens

utrum *τῷ magis notum* esset præferendum.' *Tollius.*—vs. 7 *Videbis istum* Vulg.—9 *Artubus* Vulg. vid. inf.—23 'Placet, quod parens meus excogitaverat:

NOTÆ

8 *Imago fortunæ suæ*] Ita ut ex ejus aspectu dijudices statim qua fortuna dignus sit, et quam revera expertus sit. Eam autem quæ fuerit infra explicat.

9 *Attubus*] Sic restituit Scaliger, pro mendoso *artubus*, et laudat Glossarium vetus, in quo: *Attubus: μογιλάλος, μόγγος, ἄτυπος.* Ab hoc postremo *Atypus* est apud Gell. lib. IV. cap. 2. 'Balbus autem et Atypus vitiosi magis, quam morbosi sunt.' Et apud Ulpianum L. idem Ofilius 10. §. quæsitum ff. de Ædilitio edicto: 'Quæsitum est an balbus, et blæsus, et atypus, isque qui tardius loquitur, et Varus, et Vatius sanus sit? et opinor eos sanos esse.'

10 *Terentianus Phormio*] Cicero pro Cæcina de Sexto Clodio Phormione teste: 'Nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus est Phormio.'

11 *Horrens capillis, &c.*] Horatii est Epodon Ode v. in Canidiam: 'Horret capillis, ut marinus, asperis, Echinus, aut currens aper.'

13 *Messibus vegrandibus*] Non grandibus, male grandibus. Ovid. Fast. lib. III. Ubi de Vejove: 'Nunc vocor ad nomen. Vegrandia farra coloni, Quæ male creverunt, vescaque parva vocant. Vis ea si verbi est, cur non ego Vejovis ædem, Ædem non magni suspicer esse Jovis?' Festus: 'Vegrande significari alii aiunt male grande, ut vecors, vesanus, mali cordis, maleque sanus. Alii parvum, sive minutum, ut cum dicimus vegrande frumentum,' &c. Nonius etiam 'valde grande' significare ait.

16 *Siderali inscitia*] Necessaria

[redacted]

Cœlum lacessens, seque culpæ subtrahens,
  Reos peregit cœlites.
Non cultor instans, non arator gnaruris,
  Promusque, quam condus magis,
Terram infidelem, nec feracem criminans,
  Negotiari maluit.
Mercatur * quoquo foro venalium.
  Mutuatur ad Græcam fidem.
Sapiensque supra Græciæ septem viros,
  Octavus accessit sophos.
Et nunc paravit triticum casco sale,
  Novusque pollet emporus.

querelis cælum, et sese excusans, accusavit sui infortunii Deos. Cum non esset colonus urgens arva, neque peritus agricola, et sumtuosus magis quam parcus, accusans solum quasi infidum, et infertile, maluit fieri mercator. Negotiatur in quibusvis nundinis rerum venalium, mutuum sumit Græca fide, et sapientior septem viris Græciæ sapientia claris, additus est eis octavus sapiens. Et nunc emit frumentum veteri sale, et novus mercator cluet. Frequentat villicos, agros, pagos,

Mercaturit quoquo foro v.' Scaliger. *Mercatur rem q.* Iodocus Badius. Mavult Vinetus, *Mercatur in q.* Grævius conjicit, *Mercatur ergo quot foris venalia.* Emendationem Vineti probant Tollius et Floridus.—24 Al. *Mutatur*. Vid. inf. —27 Sic Vossianus secundus et ed. Ugoletti. Lego, inquit Scaliger, *Et nunc p. casso intritum, et sale :* alioqui præter ineptam sententiam erat in

NOTÆ

quippe est agricolæ siderum et tempestatum in arando serendoque observatio. Pleni sunt harum observationum tum Hesiodi Virgiliique, tum aliorum de re rustica libri.

19 *Gnaruris*] Idem quod, gnarus. Plaut. Mostell. Act. I. sc. 2. ' Simul gnarures vos volo esse hanc rem mecum.' Et in Prologo Pœnuli : ' Æque ut mecum sitis ignarures.'

20 *Promusque, quam condus magis*] Qui plus insumeret, et prodigeret, quam quæreret et conderet servaretque.

24 *Mutuatur ad Græcam fidem*] Græca et Punica fides in proverbiis pro mala fide. Mutuari ergo ad Græcam fidem, est mutuum sumere, nec reddere. In voce 'Mutuatur' duæ mediæ syllabæ per synalœpham coaluisse in unam intelligendæ sunt, ut constet metri ratio. In codice Veneto pervetusto est *Mutatur* pro *Mutuatur*, unde Tollius *Mutator* suspicabatur, ut esset *Mutator ad Græcam fidem*, qui in mercium permutationibus falleret. Quod in medium relinquo.

26 *Octavus accessit sophos*] Octavus sapiens. Ironia est. De Græciæ sapientibus vide supra Carmen de Ludo Sapientum, et ad illud Notas.

27 *Et nunc paravit, &c.*] Lectionem servavimus codicis alterius Vossiani, quæ huc optime facit. Comparasse enim triticum Philonem illum mani-

Adit inquilinos, rura, vicos, oppida,
Soli et sali commercio;
Acatis, phaselis, lintribus, stlatis, rate,
Tarnim et Garumnam permeat:
Ac lucra damnis, damna mutans fraudibus,
Se ditat, et me pauperat.
Is nunc ad usque vectus Hebromagum tuam,.
Sedem locavit mercibus.

urbes mercatura terrestri, et maritima; navigat per totum Tarnim, et Garumnam acatis, phaselis, lintribus, stlatis, rate. Et permutans quæstus damnis, et damna dolis, locupletat se, et me depauperat. Ille nunc devectus usque ad villam tuam Hebromagum, delegit ibi locum ad condendas suas merces * * * * *ut inde*

versu vitium.—35 *Hebromanum* Vulg. Al. *Ebromagum*.—36 Sic lacunam hanc

NOTÆ

festum est ex Prosa superiore. 'Casco sale' dixit, veteri voce utens 'cascus,' quæ veterem significat. Unde proverb. 'Cascus Cascam ducit,' hoc est, vetulus vetulam. Apage Scaligeri *intritum*, non sapit hoc loco. *Casco* seu *veteri sale*, hic positum putat Tollius ad elevandam per jocum salis bonitatem. Attamen, in regum nostrorum edictis ad rem salinam spectantibus vetantur horreorum salinorum præfecti salem venalem exponere priusquam per triennium in horreis depositum resederit. Quod etiamnum observatur, nisi pe- [redacted]

cap. 30. 'Navigeram similitudinem et aliam in Propontide visam sibi prodidit Mutianus: Concham esse acatii modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata,' &c. Phaselum, ex Catulli Carmine de Phaselo, constat navigium fuisse velis et remis aptum. Sic enim ille: 'Phaselus ille, quem videtis hospites, Ait fuisse navium celerrimus, Neque ullius natantis impetum trabis Nequisse præterire, sive palmulis Opus foret volare, sive linteo.' Myoparones et Phaselos eosdem fuisse existimat Bayfius. Lintres fluviatiles naves [redacted]

[redacted]

* * * *
Ut inde nauso devehat
* * * *
Nostros in usus, ut refert,
Hunc ergo paucis ne graveris hospitem,
* * * *
Adjutus ut mox navis auxilio tuæ,
Ad usque portus oppidi,
Jam jam Perusina, et Saguntina fame,
Lucaniacum liberet.
Hoc si impetratum munus abs te accepero,
Prior colere, quam Ceres.
Triptolemon olim, sive Epimenidem vocant,
Aut Bullianum Buzygen,

deferat nauso * * * *in meos usus, ut ait. Ne ergo molestum tibi sit eum habere apud te hospitio in aliquot dies,* * * * *Ut statim adjutus præsidio tuæ navis, usque ad portum urbis, eximat Lucaniacum fame quæ jamjam similis futura esset Perusinæ, et Saguntinæ fami. Si obtinuero hoc a te exoratum beneficium, potiori te cultu venerabor, quam Cererem. Et ducam Triptolemum illum veterem, et illum quem appellant vel Epimenidem, vel Buzygem Bulia oriundum, postponen-*

paucis supplet Scaliger ex Prosa superiore: *Sedem locavit mercibus, Ut inde nauso, sive navi devehat Nostros in usus, ut refert.*—41 Vinetus conjicit, *portas.* Idem.—42 Credit Ausonium potius scripsisse: *Jam jam peresam vel S. f.* ut quidam codices habent. Potuisset, inquit Tollius, minori labore, et compendio breviore Vinetus emendasse: *Perusina vel S. f.* sed indulget sibi in hisce noster.—46 Ita emendavit Vinetus ex Vulg. *sive Medem.* Alii *Meden:* alii *Medon.*—47 Al. *Tullianum.*

NOTÆ

37 *Ut inde nauso*] De nauso supra.

41 *Ad usque portus oppidi*] Portum Condatem intelligit Scaliger, haud procul Lucaniaco Ausonii villa distantem.

42 *Perusina, et Saguntina fame*] Qualem pertulit Perusium Tusciæ urbs, obsidente eam, et in ea clausum Lucium Antonium Marci fratrem, Augusto; et Saguntus obsidente Annibale. Hinc Perusina et Saguntina fames in proverbium cessere.

46 *Triptolemon*] Quem curru Draconibus juncto fruges, Cereris inventum, per orbem terrarum sparsisse fabulantur.

Sive Epimenidem vocant, Aut Bullianum Buzygen] Ita Isaacus Vossius hæc legit. Hesychius de Buzyge illo: Βουζύγης ἥρως Ἀττικὸς, ὁ πρῶτος βοῦς ὑπὸ ἄροτρον ζεύξας· ἐπικαλεῖτο δὲ Ἐπιμενίδης. 'Buzyges heros Atticus, qui primus boves junxit aratro: cognominabatur autem Epimenides.' Plin. lib. VII. cap. 56. 'Bovem, et aratrum [invenit] Buzyges Atheniensis, ut alii,

Tuo locabo postferendos nomini.
Nam munus hoc fiet tuum.

dos esse tuo nomini. Etenim illud frumentarium beneficium, quo illi celebrantur, tuum evadet.

NOTÆ

'Triptolemus.' Bulianus dicitur a Bulia, ut vult Vossius, Civitate Atticæ; at Phocidi eam Ptolemæus, Pausanias, et Stephanus attribuunt, non Atticæ. Est Atticæ Pagus Βουτεία Suidæ Βουτία, unde fortasse melius legas hic *Butianum*, quam *Bulianum*.

* *Aut Bulianum Buzygen*] Ita Isaacus Vossius, cum antea legeretur *Tullianum*. De Buzyge est aliquid in Appendice Vaticana Proverbiorum quæ Schottus edidit: ubi et de sua emendatione per Literas Vineto communicata mentionem facit, sed quæ ad correctionem vocis *Tullianum* nil juvat. *Desposius.*

XXIII. AUSONIUS PAULINO. 416

PROXIMA quæ nostræ fuerat querimonia chartæ,
Credideram, quod te, Pauline, inflectere posset,
Eliceretque tuam blanda objurgatio vocem.
Sed tu, juratis velut alta silentia sacris
Devotus teneas, perstas in lege tacendi.
Non licet, anne pudet, si quis tibi jure paterno
Vivat amicus adhuc, maneasque obnoxius hæres?

Existimaveram, o Pauline, fore, ut recens querela meæ Epistolæ posset te flectere, et lenis mea increpatio eliceret tuum responsum. Verum tu permanes in silendi [redacted]

[redacted]

Ignavos agitet talis timor: at tibi nullus
Sit metus: et morem missæ acceptæque salutis
Audacter retine: vel si tibi proditor instat,
Aut quæsitoris gravior censura timetur,
Occurre ingenio, quo sæpe occulta teguntur.
Threicii quondam quam sæva licentia regis
Fecerat elinguem, per licia texta querelas
Edidit, et tacitis mandavit crimina telis:
Et pudibunda suos malo commisit amores
Virgo, nec erubuit tacituro conscia pomo.
Depressis scrobibus vitium regale minister
Credidit, idque diu texit fidissima tellus:

ejusmodi solicitet segnes. At tu nihil timeas: et confidenter serva consuetudines mittendi et accipiendi salutem. Aut si proditor tibi imminet, aut si metuis severiorem notam quæsitoris, i obviam solertia mentis, quæ sæpe operit arcana. Illa mulier, quam crudelis libido Thracii Tyranni olim privarat lingua, expressit querimonias suas ope filorum contextorum, et commisit telis taciturnis accusationem scelerum regis. Et alia puella verecunda credidit suos amores malo, neque puduit eam habere conscium pomum quod erat celaturum arcana ipsius. Famulus regis mandavit defossis scrobibus illius deformitatem, et terra fidelissima id celavit diu: deinde canna afflata vento

••••••••••••

muses.—8 *Ac tibi* vulg.—21 *Inscribe* inter Paulini Epistolas, pro isto *incide.*—

NOTÆ

10 *Proditor*] Qui referat ad uxorem Paulini, quam timere præsertim videtur Auson. sic enim de ea infra: 'Tanaquil tua nesciat istud.' Eandem in animo habere hic videtur cum dicit: 'Aut quæsitoris gravior censura timetur.' Ejus scilicet consilio maxime inductus Paulinus Nolam secesserat, severiori Christianæ legis observationi vacaturus, et nuntium quodammodo amicis et negotiis sæcularibus remiserat, ut videre est ex Epist. XXXVI. D. Ambrosii.

* *Si tibi proditor instat*] Incertum an Poëta spectet uxorem Paulini Therasiam, an Eugenii turmas, qui nondum, ut vulgo creditur, Hispaniam sub jugum miserat. Rem tamen extra dubium ponere mihi videntur hi duo versus: 'Si prodi, Pauline, times, nostræque vereris Crimen amicitiæ, Tanaquil tua nesciat istud.'

13 *Threicii quondam, &c.*] Varias occulte scribendi artes amico suo per jocum subjicit, et firmat exemplis.

Threicii . . . regis] Terei.

14 *Quam, &c. Fecerat elinguem*] Philomela. Vide Ovid. Metam. lib. VI. Fab. 7. 8.

16 *Et pudibunda suos malo, &c.*] Cydippe apud Delum insulam decepta ab Acontio, incisum malo fidei maritalis pactum, et additum per Dianam, templi præsidem Deam, jusjurandum legens, ut colligere est ex mutuis eorum Epistolis apud Ovid.

18 *Vitium regale*] Aures Midæ asininas. Vide Ovid. lib. XI. Metam. Fab. 4.

Minister] Tonsor ejus.

Inspirata dehinc vento cantavit arundo.
Lacte incide notas: arescens charta tenebit
Semper inaspicuas: prodentur scripta favillis.
Vel Lacedæmoniam scytalen imitare, libelli
Segmina Pergamei tereti circumdata ligno
Perpetuo inscribens versu: qui deinde solutus
Non respondentes sparso dabit ordine formas,
Donec consimilis ligni replicetur in orbem.
Innumeras possum celandi ostendere formas,

illud cecinit. Inscribe literas lacte: charta, cum fuerit sicca, retinebit eas, nec unquam poterunt aspici: at quæ inscriptæ fuerint, apparebunt cineribus aspersis. Aut imitare Scytalen Laconicam, circumvolvens baculo rotundo segmenta membranacei libri, et in iis scribens lineas per totam baculi longitudinem; quæ postea solutæ exhibebunt ordine turbato literas sibi invicem non congruentes, quousque revolvantur in circuitum baculi similis. Facile mihi est monstrare tibi infinitos modos tegendi

22 'Tò *inaspicuas* Gronovii est emendatum felicissime, pro vulgato *in auspiciis*, pro quo Scaliger *in aspicuis*.' Floridus. Vid. Not. Var.—23 Al. *Lacedæmonias*.—26 '*Dabit ordine formas*] Ita pro *dedit*, postulante sensu, ex Lugdu-

NOTÆ

22 *Prodentur scripta favillis*] Inspersi scilicet chartæ cineres, iis tantum locis adhærentes in quibus viscosa lactis pinguedo quædam superit, inconspicuas prius literas oculis prodent.

[redacted]

cylindro, quem penes se habebat, tæniam circumvolvisset. Quo facto verba eodem quo scripta erant ordine, redeuntibus in locum suum literis, apparebant. Vide Plutarch. in Lysandro, A. Gell. lib. XVII. Noct.

[redacted]

Et clandestinas veterum reserare loquelas,
Si prodi, Pauline, times, nostræque vereris
Crimen amicitiæ: Tanaquil tua nesciat istud.
Tu contemne alios, nec dedignare parentem
Affari verbis; ego sum tuus altor, et ille
Præceptor primus, primus largitor honorum,
Primus in Aonidum qui te collegia duxi.

scripta, et explicare occultas rationes loquendi antiquorum, si metuis prodi, o Pauline, et times ne amicitia nostra tibi crimini vertatur: tua uxor hoc ignoret. Tu sperne ceteros: neque indignum te putes alloqui me parentem tuum. Ego sum tuus educator, et ille tuus primus Magister, primus impertitor honorum, qui primus deduxi te in cœtus Musarum.

nensi libro et vetere Pulmanni codice emendavimus.' *Tollius.*—34 Vetus cod. *veterum largitor honorum.* Vid. Not. Var.

NOTÆ

31 *Tanaquil tua*] Sic Therasiam sanctissimam Paulini conjugem appellat, innuens ejus monitis parere et consilio regi virum, quemadmodum Lucumo seu Tarquinius Priscus a sua Tanaquile regebatur. Revera ut Tanaquil Lucumonem impulit ad Romam relictis Tarquiniis petendam, ita non parum contulisse ad secessum Paulini Therasiam testis est D. Ambrosius loco supra laudato. Ab ea Tanaquile temporibus illis Tanaquiles solebant appellare uxores quæ maritis imperarent. Sidonius Apollin. lib. v. Epist. 7. de suo Tetrarcha: ' Temperat Lucumonem nostrum Tanaquil sua.' Therasiam suam moleste tulit Paulinus ab Ausonio Tanaquilem esse dictam, ut videre est ex ejus Epistolis ad Ausonium 1. et 2. quas ad libri ejus calcem excudi curavi, cum quibusdam Symmachi ad eundem Ausonium Epistolis.

XXIV. AUSONIUS PAULINO S. 417

Discutimus, Pauline, jugum, quod certa fovebat

O Pauline, excutimus jugum, quod levabat temperies quædam: quod placida con-

1 ' In veteri libro hic erat titulus: *Incipit alia ad eundem, cum ille ad alia sola magis responderet, neque se venturum polliceretur.* Licet ineptus sit, dissi-

NOTÆ

1 *Discutimus, &c.*] Hanc e tribus Epistolis quas uno die ad Paulinum scripserit Ausonius primam facit Scaliger, ad centesimum tertium usque versum ejus: ' Agnoscisne tuam, Ponti dulcissime, culpam?' quem versum alterius Epistolæ principium facit vetus codex Lugdunensis, cum hoc titulo: ' Ausonius Paulino.' Et Scaliger tertiam illarum putat

Temperies: leve quod positu, et tolerabile junctis,
Tractabat paribus concordia mitis habenis:
Quod per tam longam seriem volventibus annis
Fabula non unquam, nunquam querimonia movit,
Nulla querela loco pepulit, non ira, nec error,
Nec quæ compositis malesuadæ credula causis,
Concinnat verisimilis suspicio culpas.
Tam placidum, tam mite jugum: quod utrique parentes
Ad senium nostrum traxere ab origine vitæ:
Impositumque piis hæredibus, usque manere
Optarunt, dum longa dies dissolveret ævum.

cordia moderabatur loris æqualibus: cum esset lene quando imponebatur, et facile toleratu, cum ei juncti eramus: quod jugum nunquam rumor, nunquam querela sollicitavit per annos currentes tam longo spatio, quod nullus questus movit loco suo, non ira, neque error, neque suspicio, quæ credens fictis rationibus malæ suasionis, machinatur accusationes verisimiles. Tam lene, tam suave jugum, quod nostri ambo patres pertulerunt a vitæ suæ principio ad senectutem usque: et injunctum nobis religiosis eorum hæredibus, voluerunt semper subsistere, quousque longæva

mulare tamen nolui.' *Tollius.* *Quod nota* Vulg.—2 Al. *venerabile.*—7 Ita ex vetere libro legendum monet Scaliger. Vid. Not. inf. et Not. Var.—8 Alii, *suspectio.*—9 Sic scribit Grævius pro, *uterque parentes.*—19 '*Discutimus*] Sic

NOTÆ

esse, secundam vero quæ supra exposita fuit: 'Proxima quæ nostræ fuerat,' &c. Sed nihil necesse est [redacted]

tus sum, et 'malesuadam' substantive sumtum verti 'malam suasionem.' Ut enim suada ipsa suasio est, [redacted]

Et mansit, dum læta fides, nec cura laborat
Officii servare vices: sed sponte feruntur
Incustoditum sibi continuantia cursum.
Hoc tam mite jugum docili cervice subirent
Martis equi, stabuloque feri Diomedis abacti:
Et qui mutatis ignoti Solis habenis
Fulmineum Phaëthonta Pado mersere jugales.
Discutitur, Pauline, tamen: nec culpa duorum
Ista, sed unius tantum tua: namque ego semper
Contenta cervice feram: consorte laborum
Destituor: nec tam promtum gestata duobus
Unum deficiente pari perferre sodalem.
Non animus, viresque labant: sed iniqua ferendo
Conditio est oneri, cum pondus utrumque relicto

ætas finiret nostram vitam. Et quod jugum substitit, quamdiu fides inter nos erat vigens, neque opus nobis erat solicitudine, ut præstaremus officia mutua: sed illa ultro procedebant sese ultro excipientia absque observatione. Hoc jugum tam lene collo obsequenti exciperent equi Martis, et illi, qui abducti fuerunt ex equili Diomedis: et equi illi qui cum sentirent mutata sua lora regi a Sole sibi incognito, in Eridanum Phaëthontem percussum fulmine egerunt præcipitem. Excutimus tamen illud jugum, o Pauline: neque hæc culpa est duorum, sed tua unius solummodo. Ego enim portabo illud perpetuo intento collo. Deseror a socio laborum meorum. Neque ita facile est unum socium deficiente altero socio gestare ea quæ duo prius ferebant. Non vacillat animus meus, neque vires meæ: sed injusta lex est ponderi gestando, quando utrumque onus incumbit uni derelicto; et quando pondus alienæ

ex Pulmanni cod. non *Discutitur.*' Floridus.—24 *Proferre* vulg.

NOTÆ

17 *Martis equi*] Quamvis valde feroces. Servio ad hunc versum lib. III. Georg. 'Martis equi bijuges et magni currus Achillis,' *Δεῖμος* atque *Φόβος*, Metus et Terror, contra mentem Eustathii ad hunc versum Iliad. O. *Ὣς φάτο, καί ῥ' ἵππους κέλετο Δεῖμόν τε Φόβον τε Ζευγνύμεναι*: ubi *Δεῖμον* et *Φόβον* filiorum aut satellitum Martis nomina esse ait, quibus imperet equos currui jungere, non autem ipsorum equorum. Quintus Calaber lib. VIII. *παραλειπ.* quatuor Marti equos tribuit Borea et Erinny genitos, quorum nomina: *Αἴθων, Φλόγιος, Κόμβος, Φόβος.*

Stabuloque feri Diomedis abacti] Equi Diomedis Thraciæ regis humanis carnibus a tyranno illo pasti, quibus demum ipse ab Hercule objectus est vorandus.

18 *Et qui mutatis, &c.*] 'Pyrois, Eous, et Æthon, Solis equi, quartusque Phlegon.' Ovid. II. Metam.

21 *Sed unius tantum tua*] Ita Propert. lib. III. Eleg. 24. 'Tu bene conveniens non sinis esse jugum.'

Ingruit; acceduntque alienæ pondera libræ.
Sic pars ægra hominis trahit ad contagia sanum
Corpus; et exigui quamvis discrimine membri,
Tota per innumeros artus compago vacillat.
Obruar usque tamen, veteris ne desit amici
Me durante fides: memorique ut fixa sub ævo
Restituant profugum solatia casta sodalem.
Impie, Pirithoo disjungere Thesea posses,
Euryalumque suo socium secernere Niso.
Te suadente fugam, Pylades liquisset Orestem;
Nec custodisset Siculus vadimonia Damon.
Quantum oblectamen populi, quæ vota bonorum
Sperato fraudata bono? gratantia cuncti
Verba loquebantur: jam nomina nostra parabant
Inserere antiquis ævi melioris amicis.
Cedebat Pylades: Phrygii quoque gloria Nisi
Jam minor, et promissa obiens vadimonia Damon.

lancis superadditur ei. Ita membrum hominis morbo aliquo tentatum corripit contagio corpus alioqui sanum: et in periculo unius partis, quanquam parvæ, tota compages corporis labascit per membra innumerabilia. Opprimar tamen usque, licet, ut non deficiat fides antiqui mei Sodalis, me vivo: et ut solamina sancta consignata annalibus reddant mihi socium qui aufugit. O impie, posses separare Theseum a Pirithoo, et disjungere comitem Euryalum a suo Niso. Pylades deseruisset Orestem, si hortatus esses eum ad fugiendum; et Damon Siculus deseruisset vadimonium. Quanta oblectatio populi, quæ vota proborum hominum defraudata sunt bono sperato? Jam omnes dicebant nobis verba gratulantia. Jam meditabantur referre nomina nostra inter antiquos melioris ætatis amicos. Pylades vincebatur a nobis: laus etiam Nisi Trojani jam minor erat nostra, et cedebat nobis [redacted]

Nos documenta magis felicia: qualia magnus
Scipio, longævique dedit sapientia Lælî.
Nos studiis animisque iisdem, miracula cunctis:
Hoc majora, pares fuimus quod dispare in ævo.
Ocyus illa jugi fatalis solvere lora
Pellæum potuisse ducem reor, abdita opertis
Principiis, et utroque caput celantia nodo.
Grande aliquod verbum nimirum diximus, ut se
Inferret nimiis vindex Rhamnusia votis;
Arsacidæ ut quondam regis non læta triumphis
Grandia verba premens ultrix Dea Medica belli

Damon sistens se vadimonio promisso. Nos eramus exempla feliciora: qualia magnus Scipio et senex ille sapiens Lælius præbuerunt. Nos cum essemus iisdem studiis, et iisdem animis, fuimus admirationi omnibus; et eo majori, quidem, quod licet ætate inæquali eramus tamen æquales. Existimo Imperatorem Pellæum potuisse citius dissolvere lora illa jugi fatalis, quæ occulta essent, quia tecta erant eorum initia, et abscondebant principium ab utraque parte nodi. Scilicet protulimus aliquod magnum verbum, ut Dea ultrix, Rhamnunti culta, ingereret se optatis nostris nimiis; quemadmodum olim illa Dea, vindex belli a Medis illati, ægre ferens triumphos regis Persarum, repri-

NOTÆ

rannum, amicum Pythiam mortem pro se oppetiturum, nisi ipse dicta die rediisset. Quod cum summa fide præstitisset, miratus eorum fidem et amicitiam Tyrannus, ignovit damnato, eosque rogavit ut se tertium ad amicitiam ascriberent, ut testatur Cicero lib. III. de Officiis.

44 *Qualia magnus Scipio, &c.*] Pub. Cornel. Scipio, et Caius Lælius. Sed de his Ciceronem vide de Amicitia.

47 *Pares fuimus quod dispare in ævo*] Quod magis mirum, cum ad amicitiam parum non faciat æqualitas ævi. Senior porro erat Ausonius, et Paulini, ut ipse ait Epist. superiore, altor, et præceptor primus, primus largitor honorum, primus qui in Aonidum collegia eum duxerat.

48 *Ocyus*] Quam lora nostri jugi; hoc est, nostram amicitiam.

Illa jugi fatalis.. lora] Nodum Gordium; quem qui solvisset, Orbis ei imperium oraculis promittebatur. Vide Arrianum, et Curtium.

49 *Pellæum ... ducem*] Alexandrum Magnum, Pella Macedoniæ urbe oriundum.

51 *Grande aliquod verbum, &c.*] Respexisse videtur ad illud Æneid. lib. x. 'Dixerat. Ille aliquid magnum, vimque affore verbo Crediderat.' Ubi Servius: 'Proverbialiter dictum est, ac si diceret, non mirum sic occisum esse, qui sibi plurimum arrogabat.' Notare scilicet verba nimis superba Nemesis credebatur, et punire illa malo aliquo eventu. Hinc amicitiæ suæ et Paulini dissolutionem ei Deæ tribuit, quæ sic ulta fuerit jactantiora verba, quibus eam amicitiam, dum vigeret, extulerant.

52 *Rhamnusia*] Nemesis, a Rhamnunte Atticæ Pago, ubi colebatur.

53 *Arsacidæ regis*] Darii.

54 *Ultrix Dea Medica, &c.*] Vel

Sistere Cecropidum in terris monumenta paranti
Obstitit: et Graio jam jam fingenda tropæo,
Ultro etiam victis Nemesis stetit Attica Persis.
Quæ tibi Romulidas proceres vexare libido est?
In Medos, Arabasque tuos per nubila, et atrum
Perge chaos. Romana procul tibi nomina sunto.
Illic quære alios oppugnatura sodales:
Livor ubi iste tuus, ferrugineumque venenum
Opportuna tuis inimicat pectora fucis.
Paulinum, Ausoniumque, viros, quos sacra Quirini
Purpura, et auratus trabeæ velavit amictus,
Non decet insidiis peregrinæ cedere Divæ.
Quid queror, Eoique insector crimina monstri?

mens superbas ejus voces, opposuit sese ei, cum meditaretur constituere monumenta sui in regione Atheniensium; et cum jamjam collocanda esset in tropæum de Græcis, constitit etiam ultro Nemesis Attica Dea Persis devictis. Quæ tibi libido est, o Nemesis, exagitare optimates Romanos? Tende per nubes, et nigrum Chaos adversus tuos Medos, et Arabes. Longe remota sunt a te Romana nomina. Quære ibi alios socios, quos oppugnes; ubi tua ista invidia, et virus rubiginosum infensa reddit inter se corda accommoda tuis fraudibus. Dedecet Paulinum, et Ausonium, viros quos sacra purpura Romuli, et aureum indumentum trabeæ texit, vinci fraudibus Deæ exteræ. Quare conqueror, et accuso terribilem illam Deam Orientalem?

—55 *Parenti* vulg.—56 Legendum monet Tollius, *figenda.*—70 De *Ripa*

NOTÆ

[redacted]

Occidui me ripa Tagi, me Punica lædit
Barcino, me bimaris juga ninguida Pyrenæi.
Quæque suo longe dirimit provincia tractu
Trans montes, Solemque alium, trans flumina et urbes,
Et quod terrarum, cœlique extenditur inter
Emeritensis Anæ, latæque fluenta Garumnæ.
Quod si intervallis spatium tolerabile limes
Poneret exiguus; (quamvis longa omnia credant,
Qui simul esse volunt;) faceret tamen ipsa propinquos
Cura locos, mediis jungens distantia verbis,
Mœnibus e patriis formam queque vestis et oris.

Ripa Tagi Hesperii, Barcino Carthaginiensis, et cacumina nivosa Pyrenæi montis ad duo maria pertinentis, causa sunt mei doloris. Et provincia quæ nos separat procul suo spatio ultra montes, et alium Solem, ultra fluvios, et oppida, et quicquid terræ ac cœli panditur inter aquas Anæ Emeritensis, et latæ Garumnæ. Quod si brevis terminus constitueret intervallum tolerabile nostræ distantiæ; (licet ii qui cupiunt una esse, existiment spatia cuncta nimis longa;) ipsa tamen cura nostra redderet vicina loca in quibus essemus, connectens ope verborum ea quæ remota inter se essent, atque etiam ostendens invicem e muris nostris patriis formam vestis, et

Transpositione et lectionibus versuum sequentium ad septuagesimum nonum

NOTÆ

67 *Eoi ... monstri*] Ejusdem Nemeseos ultricis, et monstrosæ ac terribilis Deæ, in Græcia et Oriente primum cultæ.

68 *Occidui me ripa Tagi, &c.*] De Hispania sibi querendum esse ait, quæ sibi tum Paulinum detinebat. Occiduus dicitur Tagus Hispaniæ fluvius, in Occidentalem Oceanum influens.

Punica lædit Barcino] Urbs Hispaniæ Tarraconensis ad Mediterraneum mare, a Pœnis Hispaniam obtinentibus condita, ut hic locus Ausonii, et ipsum Barcinonis nomen indicat. 'Barcino' quippe, seu 'Barchino,' a Barcina, seu Barchina, Annibalis familia, a cujus aliquo condita fuerit; fortasse ab ipso Annibalis patre Amilcare, qui, testibus Plutarcho et Appiano, cognominatus est 'Barcas.'

70 *Quæque Provincia*] Hispania.

73 *Emeritensis Anæ*] Sic Heinsius. Anas Hispaniæ fluvius, *Guadiana*, ad quem urbs est antiquitus clarissima Augusta Emerita, nunc *Merida*, de qua Carmen IX. de Claris Urbibus.

77 *Mediis jungens distantia verbis*] Post hæc verba, interposita tantum virgula, subjungo versum: 'Mœnibus e patriis forsan quoque vestis et oris,' et, neglectis aliorum emendationibus, pro *forsan* repono *formam*, ut sit sensus, quem in Interpretatione exposui.

78 *Mœnibus, &c.*] Versum hunc, loco motum, sedi suæ restitui, nempe inter versus: 'Cura locos,' &c. et 'Santonus ut sibi,' &c. sicque constat sensus, in Interpretatione expositus, qui alias nullus esset. Prius erat inter versus: 'Barcino me bimaris,' &c.

Santonus ut sibi Burdigalam, mox jungit Aginnum
Illa sibi, et populos Aquitanica rura colentes:
Utque duplex Arelas, Alpinæ tecta Viennæ,
Narbonemque pari spatio sibi conserit: et mox
Quincuplicem socias tibi, Martie Narbo, Tolosam.
Hoc mihi si spatium vicinis mœnibus esset,
Tunc ego te ut nostris aptum complecterer ulnis:
Afflaretque tuas aures nostræ aura loquelæ.
Nunc tibi trans Alpes, et marmoream Pyrenen

vultus nostri. Quemadmodum Mediolanum Santonum connectit sibi Burdigalam, et hæc deinde sibi Aginnum, et populos arantes arva Aquitanica, et ut Arelas urbs gemina jungit sibi æquali intervallo domus Viennæ Alpinæ, et Narbonem; ac deinde tu, o Narbo Martie, jungis tibi Tolosam quincuplicem. Si illud mihi esset intervallum muris nostrarum urbium haud multum distantibus, tum ego te amplecterer quasi junctum meis brachiis: et flatus meæ vocis perveniret ad tuas aures. Nunc habitas ultra Alpes, et Pyrenæum marmore abundantem, apud Cæsar-

NOTÆ

et 'Quæque suo longe,' &c.

79 *Santonus ut, &c.*] Exemplis declarat quod supra dixit: 'Quod si intervallis spatium tolerabile limes Poneret exiguus,' &c. Santonus hic est Mediolanum, Santonum metropolis, *Saintes.* Hanc a Burdigala abesse leucis 22. ait Vinetus, Burdigalam vero Aginno leucis 18.

81 *Utque duplex Arelas*] Vide Carmen VIII. de Claris Urbibus quod in-

modo quadruplices ex se cum effuderit urbes, Non ulla exhaustæ sentit dispendia plebis.' Ubi vide Notas nostras.

86 *Afflaretque tuas aures*] Confer cum hoc versu versum supra loco motum: 'Mœnibus e patriis formam quoque vestis et oris.'

87 *Trans Alpes, et marmoream Pyrenen*] Alpes generatim dici angustos inter montes transitus, et in Py-

[redacted]

Cæsareæ Augustæ domus est. Tyrrhenica propter
Tarraco, et ostrifero superaddita Barcino ponto.
Terjuga Burdigalæ trino me flumina cœtu
Secernunt turbis popularibus: otiaque inter
Vitiferi exercent colles, lætumque colonis
Uber agri, tum prata virentia, tum nemus umbris
Mobilibus, celebrique frequens ecclesia vico:
Totque mea in Novero sibi proxima prædia pago,
Dispositis totum vicibus variata per annum,
Egelidæ ut tepeant hyemes, rabidosque per æstus

Augustam. Prope te sunt Tarraco Tyrrhenica, et Barcino adjuncta mari ostreoso. Montes et fluvii terno numero me separant a strepitu populi Burdigalæ: et otiantem exercent clivi consiti vitibus, et solum fertile agri mei gratum agricolis, præterea viridia prata, præterea sylva suis umbris nutantibus, et cœtus numerosus in pago frequenti incolis: et tot meæ villæ sibi vicinæ in Novero pago, quas muto statis vicibus per totum annum; ut tepidæ mihi hyemes sint, et exigui Aquilones

vide inf. et Not. Var.—90 ' Sic fortasse melius, quam quomodo alii habent

NOTÆ

88 *Cæsareæ Augustæ*] Quæ Arragoniæ regni caput est, hodie *Sarragosa*. Appellabatur 'Salduba,' priusquam a Cæsare Augusto, Cæsarea Augusta, aut etiam, Cæsar-Augusta, nominaretur.

Tyrrhenica propter Tarraco] *Tarragona*, ciara urbs, quæ Tarraconensi Hispaniæ nomen fecit. Tyrrhenicam hic appellatam putat Vinetus, non quod a Tyrrhenis condita fuerit, quæ Scipionum opus fuit, teste Plinio et Solino, sed quod ad mare internum sit Tyrrhenum appellatum.

90 *Terjuga Burdigalæ, &c.*] Sic recte vidit Vinetus legendum, non, *Me juga, &c.* Neque enim in jugis Burdigalæ erat, qui apud Noverum pagum in Santonis versabatur, ut infra videre est. 'Terjuga,' hoc est, triplicia illa flumina, quibus a Burdigalæ turbis popularibus secernebatur, erant Garumna, Duranius, et Carantonus, trans quem intelligendum est situm fuisse Noverum pagum in Santonis. De hoc enim pago locutum minime dubito Ausonium fuisse Epist. XI. cum dixit: 'Vinum cum bijugo parabo plaustro Primo tempore Santonos vehendum,' &c.

* 91 *Secernunt turbis popularibus*] Expressum illud ex Horatii Ode I. 'Me gelidum nemus Nympharumque leves cum Satyris chori Secernunt populo.' Otium et delicias villæ suæ apud Santones in Novero pago, hodie *les Nouliers*, describit, cujus inter commoda recenset (quod notandum) Ecclesiæ viciniam: 'Celebrique frequens Ecclesia vico.' At Villæ delicias et commoda, amico absente, negat sibi aliquo esse in pretio.

95 *In Novero*] In quibusdam codd. *Novaro*, in Lugdun. Membranis *Nabaro*. Vide Notam superiorem. Suspicatur Vinetus pagum hunc esse qui hodie *les Nouliers*, Novalarii, et Ecclesia sancti Petri de Novalariis in Latinis diplomatibus, propius Angeriacum, quam Santonos.

Aspirent tenues frigus subtile Aquilones.
Te sine sed nullus grata vice provenit annus.
Ver pluvium sine flore fugit. Canis æstifer ardet.
Nulla autumnales variat Pomona sapores:
Effusaque hyemem contristat Aquarius unda.
Agnoscisne tuam, Ponti dulcissime, culpam?
Nam mihi certa fides, nec commutabilis unquam
Paulini illius veteris reverentia durat:
Quæque meo atque tuo fuerat concordia patri.
Si tendi facilis cuiquam fuit arcus Ulixei,
Aut præter dominum vibrabilis ornus Achillei,
Nos quoque tam longo Rhamnusia fœdere solvet.
Sed cur tam mœsto sero tristia carmina versu?
Et non in meliora animus se vota propinquat?
Sit procul iste metus: certa est fiducia nobis,

afflent mihi tenue frigus per calores rabidos æstatis. At sine te nullus mihi annus exoritur jucunda vicissitudine. Ver pluvium elabitur absque floribus. Canicula flagrat æstuans. Pomona nequaquam mihi suppeditat fructus diversi saporis per Autumnum: et Aquarius tristem facit hyemem effusis imbribus. Faterisne tuam hanc esse culpam, o jucundissime Ponti? Nam mihi constans fides manet, et veneratio nunquam mutabilis prisci illius Paulini: et unanimitas quæ intercesserat inter patrem meum, et tuum. Si facile fuit ulli homini intendere arcum Ulyssis, aut si hasta Achillis potuit mitti ab aliquo præter ipsum ejus dominum, Nemesis etiam dissociabit nos a tam diuturna amicitia. At quare compono mœstum poëma tam lugubri carmine? Et quare mens mea non accedit ad faustiora vota? Hic

[redacted]

Si genitor natusque Dei pia verba volentum
Accipiat, nostro reddi te posse precatu:
Ne sparsam raptamque domum, lacerataque centum
Per dominos, veteris Paulini regna fleamus:
Teque vagum toto quam longa Hispania tractu,
Immemorem veterum, peregrinis fidere amicis.
Accurre, o nostrum decus, o mea maxima cura,
Votis, ominibusque bonis, precibusque vocatus,
Appropera: dum tu juvenis, dum nostra senectus
Servat inexhaustum tibi gratificata vigorem.
Et quando iste meas impellet nuntius aures?
Ecce tuus Paulinus adest: jam ninguida linquit
Oppida Iberorum, Tarbellica jam tenet arva.
Hebromagi jam tecta subit; jam prædia fratris

timor longe pellatur. Mihi est certa confidentia, si Deus Pater, et filius Dei audit pias voces exoptantium, te posse restitui nostris precibus: ut non lugeamus dispersum, et direptam domum veteris Paulini, et ejus possessiones dissipatas per centum dominos: et te vagantem per totum spatium Hispaniæ quantumcunque longa est, oblitum veterum amicorum, fidere extraneis. Accurre o noster honos, o solicitudo mea maxima, accitus votis, et ominibus faustis, ac precibus festina huc: donec tu es juvenis, dum senecta mea in tui gratiam retinet vires integras. Quandonam hic nuntius pulsabit meas aures? En adest tuus Paulinus. Jam deserit niveas urbes Hispanorum, jam est in agris Tarbellicis. Jam ingreditur tecta Hebromagi; jam

meliora animo se vota propinquant: sed nibil mutat.—123 'Scitus mehercule, et elegans versus est, quem pro hoc Pulmanni vetus liber substituit: *En erit ut nostras hic nuntius excitet aures?* nec quem præferam video: idem liber mox, [vs. 130] pro *Totum occursantis, &c.* habuit: *Prævertit cunctos, ut te amplectatur, amicos.*' Tollius.—125 *Trebellica* vulg.

NOTÆ

115 *Sparsam raptamque domum, &c.*] A cognatis, aut etiam libertis servisque Paulini absentis, ut fere fit.

120 *Votis ominibusque*] Horat. libri IV. Ode V. 'Votis, ominibusque, et precibus vocat.'

123 *Et quando iste, &c.*] Pro hoc versu vetus Pulmanni liber illum habet non minus elegantem: *En erit ut nostras hic nuntius excitet aures?*

* 124 *Ecce tuus Paulinus adest*] Ambigo utrum apud Veteres quid occurrat quod tum verbis, tum sententiis affectibusque, magis præstet quam extrema hæc Epistola.

125 *Tarbellica . . . arva*] Quæ prima occurrunt ex Hispania Vasconia Aquitaniam ingredientibus.

126 *Jam prædia fratris*] De fratre illo Paulini ejusque prædiis nihil notum.

Vicina ingreditur; jam labitur amne secundo;
Jamque in conspectu est; jam prora obvertitur amni;
Ingressusque sui celebrata per ostia portus
Totum occursantis populi prævertitur agmen:
Et sua præteriens, jam jam tua limina pulsat.
Credimus, an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?

intrat fundos fratris sui proximos Hebromago; jam descendit secundo fluvio; et jam cerni potest; jam prora ejus navis vertitur ad fluvium, et ingressus per jactata fama ostia sui portus, præterit totam turbam populi obvii: et præteriens suam januam, jamjam pulsat tuam. Credendumne hoc mihi? an vero qui amant effingunt sibi ipsis somnia?

NOTÆ

128 *Jam prora obvertitur amni*] Jam appellit, et ripam tenet. Virg. lib. VI. Æneid. 'Obvertunt pelago proras. Tum dente tenaci Anchora fundabat naves: stant littore puppes.'

129 *Sui celebrata per ostia portus*] Portum Condatem videtur innuere, de quo jam supra.

131 *Sua præteriens*] Præ studio ut te videat.

132 *Credimus, &c.*] Virgilii est Ecl. VIII. in fine. Similiter Horat. lib. III. Od. IV. 'Auditis? an me ludit amabilis Insania,' &c.

XXV. AUSONIUS PAULINO SUO S. 418

QUARTA tibi hæc notos detexit epistola questus,
Pauline; et blando residem sermone lacessit.
Officium sed nulla pium mihi pagina reddit,

Hæc quarta Epistola explicat tibi querelas nostras jam tibi cognitas, o Pauline; et provocat te pigrum comi oratione. At nulla pagina tua mihi exhibet vicissim

[redacted]

Fausta salutigeris ascribens orsa libellis.
Unde istam meruit non felix charta repulsam,
Spernit tam longo cessatio quam tua fastu?
Hostis ab hoste tamen per barbara verba salutem
Accipit: et salve mediis intervenit armis.
Respondent et saxa homini: percussus ab antris
Sermo redit: redit et nemorum vocalis imago:
Littorei clamant scopuli, dant murmura rivi,
Hyblæis apibus sæpes depasta susurrat.
Est et arundineis modulatio musica ripis:
Cumque suis loquitur tremulum coma pinea ventis.
Incubuit foliis quotiens levis Eurus acutis,
Dindyma Gargarico respondent cantica luco.

pium hoc officium, scribens in capite libellorum salutem præferentium initia felicia. Qua ratione infortunata Epistola, quam mora tua contemnit tam diuturna superbia, promerita est istam repulsam? Attamen hostis accipit salutem ab hoste barbaris vocibus: et vox salve intercedit in medio armorum. Cautes etiam respondent homini. Oratio impingens in antra revertitur ab iis. Et simulacrum vocis remittitur e sylvis: rupes, quæ sunt in littore maris, reboant; rivuli edunt susurros; sæpes, quam Hyblee apes depascuntur, iis murmurat. Auditur etiam musicus sonus in ripis fluviorum cannis abundantibus: et frondes pinuum edunt tremulum murmur cum ventis ipsas afflantibus. Quoties tenuis ventus afflavit acutas frondes, cantus Dindymi montis respondent stridori sylvæ Gargaricæ. Nihil natura fecit

direxit.—10 *Reboat nemorum* vulg. '*Redit et n.*] Verissima lectio: nam τὰ *reboat* et *resultat* ex Interpretatione sunt.' *Tollius.*—12 Sic restituit ex membranis Lugdunensibus Scaliger, pro eo quod correctores reposuerunt: *Somniferumque canit sepes depasta susurrum.*—14 Sic vetus codex, pro: *Atque arguta suis loquitur coma, &c.*—16 *Dindymaque Idæo* vulg.—21 Alia exemplar.

NOTÆ

4 *Fausta . . . orsa*] Puta S. P. hoc est salutem plurimam, vel, ut apud Græcos, Χαίρειν καὶ εὐπράττειν, hoc est, ut vertit Horat. 'Salvere, et bene rem gerere.'

7 *Hostis ab hoste tamen*] Apud Ovid. Phædra Hippolyto: 'Inspicit acceptas hostis ab hoste notas.'

9 *Respondent et saxa homini*] Cic. pro Archia poëta: 'Saxa et solitudines voci respondent.'

10 *Vocalis imago*] Echo.

Hyblæis apibus] Expressum est ex his Virg. Ecloga I. 'Hinc, tibi quæ semper vicino ab limite sæpes Hyblæis apibus florem depasta salicti, Sæpe levi somnum suadebit inire susurro.'

16 *Dindyma Gargarico*] Dindymus Gargarus, et Ida, montes sunt Phrygiæ, tubis et tympanis Matris Deum personari soliti. Huc facit locus hic Claudiani lib. I. de raptu Proserpinæ: 'Hic sedes augusta Deæ, templique colendi Religiosa silex, densis quam pinus obumbrat Frondibus,

Nil mutum natura dedit: non aëris ales,
Quadrupedesve silent, habet et sua sibila serpens,
Et pecus æquoreum tenui vice vocis anhelat.
Cymbala dant flictu sonitum, dant pulpita saltu
Icta pedum: tentis reboant cava tympana tergis.
Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus.
Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,
In numerum quotiens radiis ferientibus ictæ
Respondent dociles moderato verbere pelves.

mutum. *Non volucris aëria, neque bestiæ quadrupedes tacent, anguis quoque habet sua sibila, et greges marini anhelitum edunt quasi quandam exiguam vocem. Cymbala percussa sonant, et pulpita pulsata saltu pedum. Tympana concava coriis intentis tecta remugiunt. Sistra Ægyptiaca excitant sonitus in sacris Isidis. Neque tinnitus æris Dodonæi cessat quoties lebetes percussi virgis pulsantibus modulate resonant dociles ad ictus incussos in numerum. Tu vero, Pauline, perinde ac si*

Tacta pedum.—25 Emendat et scribit Tollius ex vet. libro, *modulato.*—28 Sic

NOTÆ

Et nulla luces agitante procella Stridula coniferis modulatur carmina ramis: Terribiles intus thyasi, vesanaque misto Concentu delubra gemunt. Ululatibus Ide Bacchatur, timidas inclinant Gargara sylvas.'

19 *Anhelat*] Motitando branchias.

20 *Cymbala dant flictu sonitum*] Expressum ex hoc Virg. Æneid IX. 'Tum scuta cavæque Dant sonitum

pulsa crebrius lebetem feriret, isque percussus tinnitum redderet ad multum etiam temporis resonantem. Suidas rem aliter narrat ex Dæmone. Ait oraculum Jovis, quod olim erat in Dodona, lebetibus æreis undique cinctum fuisse, ita ut invicem sese contingerent. Itaque necesse erat fieri, ut uno quopiam pulsato, vicissim et omnes resonarent, sonitu per

[redacted]

[redacted]

Tu velut Œbaliis habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Ægyptius oscula signet,
Obnixum, Pauline, taces: agnosco pudorem:
Quod vitium fovet ipsa suum cessatio jugis.
Dumque pudet tacuisse diu, placet officiorum
Non servare vices: et amant longa otia culpam.
Quis prohibet Salve atque Vale brevitate parata
Scribere? felicesque notas mandare libellis?
Non ego longinquos ut texat pagina versus
Postulo: multiplicique oneres sermone tabellas.
Una fuit tantum, qua respondere Lacones,
Litera: et irato regi placuere negantes.

incola sis taciturnus Amyclarum a Laconibus conditarum, vel tanquam Ægyptius Harpocrates premat digito tuum os, servas obstinatum silentium. Agnosco tuam verecundiam: quod vitium suum ipsa perpetua desidia alit. Et quia pudet diu siluisse, juvat non præstare mutua officia: et diuturna cessatio delectatur suo ipsius peccato. Quis impedit quominus scribas mihi facili brevitate, Salve, et Vale? Et committas chartæ literas fauste precantes? Ego non peto ut pagina a te missa expendat carmina longa, neque ut mandes tabellis orationem multam. Unica solum litera fuit qua Spartani responderunt, et denegantes placuerunt tamen regi quan-

NOTÆ

dere, unde strepitus resultaret non levis. Consule Parœmiarum auctorem.

26 *Œbaliis habites taciturnus Amyclis*] Ab Amyclis Œbaliis, seu Laconicis, dictæ sunt aliæ Amyclæ, a Laconibus colonis, duce Phalanto in magnam Græciam appulsis, conditæ: urbs est inter Caietam et Terracinam sita, de qua intelligendus hic locus. Cur tacitæ dictæ sint Amyclæ, rationem hanc Servius et Pomponius Sabinus reddunt ad hunc Virg. locum Æneid. x. 'Tacitis regnavit Amyclis,' quod cum in ea urbe frequenter falso nuntiaretur hostium adventus, et inani terrore civitas quassaretur, lata lege cautum est ne quis unquam hostis nuntiaret adventum. Postea, cum vere hostis veniret, nullo nuntiante, ex improviso capta est: unde 'Tacitæ Amyclæ' dictæ sunt, quod periere silentio.

27 *Sigalion Ægyptius*] Harpocratem intelligit, Deum illum Isidis et Osiridis comitem perpetuum, qui, ut ait Ovidius: 'Premit vocem, digitoque silentia suadet.' Non *Sigalion* hic, sed *Sigaleon* legit Lilius Gyraldus Syntagm. I. et exponit παρὰ τὸ σιγᾶν καὶ λεὼς, a silendo et populo, quod scilicet populis silentium indicat. Inter Lares cultus est, quod silentio arcana domus tegenda maxime sint.

36 *Una fuit tantum, &c.*] Litera O, qua, teste Eustathio in lib. v. Iliad. sonum illum exprimebant quem postea adjecto υ expresserunt οὐ, quod negantis est, et significat, non.

* *Una fuit tantum, qua respondere Lacones, Litera*] Auctor Plutarchus in Laconicis Apophthegm. Lacedæmonios Philippo regi quid quod præstare nollent petenti rescripsisse: ὅπερ ᾔτησας, οὐ, *quæ petiisti, non.* Ubi emendandum τὸ οὐ, et legendum ὃ, quod

Est etenim comis brevitas. Sic fama renatum
Pythagoram docuisse refert: cum multa loquaces
Ambiguis sererent verbis, contra omnia solum
Est, respondebat, vel Non. O certa loquendi
Regula! nam brevius nihil est, nec plenius istis:
Quæ firmata probant, aut infirmata relidunt.
Nemo silens placuit: multi brevitate loquendi.
Verum ego quo stulte dudum spatiosa locutus
Provehor? ut diversa sibi vicinaque culpa est,
Multa loquens, et cuncta silens! non ambo placemus:
Nec possum reticere, jugum quod libera nunquam
Fert pietas, nec amat blandis postponere verum.
Vertisti Pauline tuos dulcissime mores?
Vasconis hoc saltus, et ninguida Pyrenæi
Hospitia, et nostri facit hoc oblivio cœli?
Imprecer ex merito quid non tibi, Iberica tellus?

quam irato. Nam brevitas est urbana. Sic fama memorat Pythagoram, reversum ad vitam, docuisse. Cum garruli plurima dicerent verbis incertis, adversus illa omnia reponebat tantum Est vel Non. O certam normam loquendi! Nihil enim est brevius, neque copiosius illis vocibus: quæ approbant ea quæ confirmata sunt, vel refellunt quæ refutata. Nemo placuit tacendo: plurimi placuere loquendo breviter. At quo ego abripior jam diu stolide dicens vasta? quam discrepantia, et quam propinqua tamen invicem vitia sunt nimis multa dicere, et tacere omnia! Displicemus uterque: neque silere possum liberam caritatem nunquam premi servili jugo, neque solere posthabere veritatem blanditiis. Jucundissime Pauline ergo mutasti tuos mores? Saltusne Vasconiæ, et nivosa habitacula Pyrenæi montis, et oblivio nostri aëris hoc efficiunt? Quid mali tibi non optem jure, o terra Hispanica? Carthagi-

[redacted]

[redacted]

Te populent Pœni: te perfidus Hannibal urat:
Te belli sedem repetat Sertorius exul.
Ergo meum, patriæque decus, columenque Senati,
Bilbilis, aut hærens scopulis Calagorris habebit?
Aut quæ dejectis juga per scruposa ruinis
Arida torrentem Sicorim despectat Hilerda?
Hic trabeam, Pauline, tuam, Latiamque curulem
Constituis, patriosque istic sepelibis honores?
Quis tamen ista tibi tam longa silentia suasit?
Impius ut nullos hic vocem vertat in usus:

nienses te vastent: perfidus Annibal te concremet: Sertorius Roma exul iterum ponat in te sedem belli. Bilbilis igitur tenebit te honorem meum, et patriæ, ac ornamentum Senatus? Vel Calagurris affixa rupibus? Vel Ilerda quæ sparsis ruderibus per colles lapidosos, sicca ipsa deorsum videt Sicorim rapide fluentem? Pauline, isticne collocas tuam togam consularem, et sellam curulem Romanam, et contumulabis istic honores a patre tuo acceptos? At quis auctor tibi fuit istius silentii tam diuturni? Opto ut ille impius ad nullos usus adhibeat vocem:

—56 *Columen* et *culmen*, *Senatusque* et *Senati* hic legit Accursius. *Culmenque Senatus* est Vulg.—57 *Calaguris* in vet. cod.—68 '*Echo resecuta querelas*] Sic

NOTÆ

54 *Pœni*] Qui quondam populati sunt.

* *Te populent Pœni, &c.*] Vere Poëtam hic se exhibet Ausonius, dum varios quibus æstuat motus describit: modo imprecatur Iberiæ devastationem, incendia: modo indignatur vilibus oppidis Paulinum, Senatus columen, decusque patriæ, detineri, atque illic patrios honores sepelire: modo Diris eum devovet qui Paulino tam longa suasit silentia, precaturque, ut tristis, egens, deserta colat; et mentis inops, instar Bellerophontis, hominum cœtus vitet.

55 *Belli sedem repetat Sertorius*] Quam olim tenuit. Vide Plutarch. Appian. et alios Rerum Rom. Scriptores.

56 *Ergo meum . . . decus*] Paulinum. Indignantis hæc sunt.

Columenque Senati] Pro Senatus. Sic ad Probum supra: 'Dico hunc Senati præsulem.'

57 *Bilbilis*] Patria poëtæ Martialis, in Cæsaraugustano conventu, hodie *Calatajud*, ad Salonem fluvium.

Calagorris] Et Calagurris, montana urbs Vasconum Hispanorum, patria Quintiliani, ad Iberum amnem, hodie *Calahorra*, in finibus Navarræ et Legionis.

58 *Aut quæ dejectis, &c. torrentem Sicorim despectat Hilerda*] Hodie *Lerida*, in eodem Cæsaraugustano conventu ad Orientem, Athanagia primum dicta. De ejus situ sic Lucanus initio lib. IV. Pharsaliæ: 'Colle tumet modico, lenique excrevit in altum Pingue solum tumulo. Super hunc fundata vetusta Surgit Hilerda manu. Placidis prælabitur undis Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes.'

63 *Ut nullos*] 'Ut,' hic pro, utinam, quemadmodum apud Terent. in

Gaudia non illum vegetent: non dulcia vatum
Carmina, non blandæ modulatio flexa querelæ,
Non fera, non illum pecudes, non mulceat ales,
Non quæ pastorum nemoralibus abdita lucis
Solatur nostras Echo resecuta loquelas.
Tristis, egens, deserta colat: tacitusque pererret
Alpini convexa jugi: ceu dicitur olim
Mentis inops, cœtus hominum et vestigia vitans,
Avia perlustrasse vagus loca Bellerophontes.

non gaudia recreent illum: non jucundi poëtarum versus, non numerus inflexus querimoniæ comis, non fera, non pecora, non aves illum delectent, non Echo, quæ, abscondita in sylvis pastorum, consolatur nostros questus, respondens iis. Habitet solitudines mœstus, et inops: et vagetur silens per curva Alpium cacumina, quemadmodum Bellerophontes fertur quondam alienatus mente, fugiens congregationes, et passus hominum, percurrisse vagando solitudines devias. Imprecor hæc illi.

in Epigrammate nonagesimo nono: et melius verbo *Solatur* convenit *querelas*, quam, quod habebat vetus cod. *loquelas*.' Vinetus.—70 Al. *Alpinis convexa*

NOTÆ

Adelphis: 'Defessus sum ambulando. Ut, Syre, te cum tua Monstratione magnus perdat Jupiter.'

65 *Non blandæ modulatio flexa querelæ*] Elegia hic intelligi videtur.

68 *Loquelas*] Melius *querelas*, quod

Iliad. ' Qui miser in campis mœrens errabat Aleis, Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.'

Bellerophontes] Hipponous dictus, priusquam Belleron Corinthiorum primatem virum interfecisset, et ex

[redacted]

Hæc precor: hanc vocem Bœotia numina, Musæ,
Accipite: et Latiis vatem revocate Camœnis.

O Musæ Deæ Bœoticæ audite libentes hanc meam imprecationem, et revocate poëtam vestrum ad Latinas Musas.

jugis.—73 Legitur etiam *nomina*.

NOTÆ

73 *Hæc precor*] Desumtum ex Æneidos quarto, ubi Dido Æneæ ejusque posteris dira precatur omnia.

Bœotia numina Musæ] Quæ colitis Heliconem montem, et alia Bœotiæ loca, a quibus Heliconides, Thespiades, Pierides, Aonides dictæ.

* *Hanc vocem, Bœotia numina, Musæ Accipite*] Mariangelus Accursius, nescio qua emendandi prurigine, mutat *numina* in *nomina*. Verum ipsa quam affert ratio obstat huic emendationi, nempe Paulinum, cum Ausonii Epistolis responderet, dixisse: 'Non his numinibus tibi me patriæque reduces.' Quis autem sensus eliceretur, si legeres *nomina*, fateor me non habere exploratum. An mos est precari nomina? Num vocem possunt nomina accipere? Præterea, ut superius monui, hæc desumta ex Æneidos quarto vss. 611. et 612. ubi Dido morti proxima, vocatis Hecate, Dirisque ultricibus, sic ait: 'Accipite hæc, meritumque malis advertite numen, Et nostras audite preces.'

AUSONII

BURDIGALENSIS

AD

GRATIANUM IMPERATOREM

DISCIPULUM

GRATIARUM ACTIO

PRO CONSULATU.

419.

Ago tibi gratias, Imperator Auguste; si possem, etiam referrem.[a] Sed nec tua fortuna[b] desiderat remunerandi vi-

Profiteor gratias quas tibi debeo, Imperator Auguste; redderem quoque, si penes me esset. Verum neque tu es ejus conditionis ut reposcas a me mutuam remunera-

[redacted]

[redacted]

cem: nec nostra suggerit restituendi facultatem. Privatorum ista copia est, inter se esse munificos. Tua beneficia ut majestate præcellunt, ita mutuum non reposcunt. 2. Quod solum igitur nostræ opis est, gratias ago: verum ita, ut apud Deum fieri amat,[c] sentiendo copiosius, quam loquendo. Atque non in sacrario modo imperialis oraculi,[d] qui locus horrore tranquillo et pavore venerabili raro eundem animum præstat et vultum: sed usquequaque gratias ago, tum tacens, tum loquens, tum in cœtu hominum, tum ipse mecum, et cum voce patui, et cum meditatione secessi, omni loco, actu, habitu, et tempore. Nec mirum, si ego terminum non statuo tam grate[1] profitendi, cum tu finem facere nescias honorandi. 3. Quis enim locus est, aut dies, qui non me hujus, aut similis gratulationis admoneat?

tionem; neque ego, ut possim eam tibi reddere. Hæc facultas pertinet ad privatos, ut sint invicem liberales. Tua munera ut dignitate superant munera ceterorum, sic non desiderant reciprocam vicem. Ergo, quod unum possum, ago grates tibi: sed quemadmodum solet fieri erga Deum, cogitando amplius quam dicendo. Neque solum coram tribunali, ex quo tu Imperator jus dicis, in quo loco raro habent homines eandem mentem et frontem propter serenum horrorem, et metum venerationis plenum, quem illis incutit: verum semper et ubique ago tibi gratias, tum silens, tum loquens, tum in frequentia hominum, tum solus apud me, et quando aperio mentem meam sermone, et quando segregavi me ad cogitandum, omni loco, omni actione, statu, et tempore. Neque mirandum est si ego non facio finem agendi tibi tantas grates, quando quidem tu non desinis me ornare. Nam quis est locus, aut quis dies qui non me admoneat harum, aut hujusmodi gratiarum tibi agendarum? Sed quid dico,

1 *Grate* pro *grata*, hic reponit Tollius, bene, judice Florido.—2 ' Inter-

NOTÆ

aliquid, quo beneficium a te acceptum remunerarem.

[b] *Sed nec tua fortuna, &c.*] In hunc sensum, ante Ausonium, Mamertinus in Gratiarum Actione ad Julianum: 'Absit, Auguste, et istud sancta divinitas omen avertat, ut tu a quoquam mortalium expectes vicem beneficii: verum tamen, quod solum vel accipere potest ista fortuna, vel a nobis opibus tuis tribui, immortalitatem munerum tuorum colam officiis sempiternis.'

[c] *Ut fieri amat*] Ut solet. Græcum est ὡς φιλεῖ.

[d] *In sacrario modo imperialis oraculi*] In Consistorio principis, ubi jus dicebat, et de rep. deliberabat. Allegoria est. Sacrarium enim proprie locus erat in templo, in quo sacra reponebantur: sicut donarium, ubi ponebantur oblata, ut ait Servius.

Admoneat autem?[e] O inertiam significationis ignavæ! Quis, inquam, locus est, qui non beneficiis tuis agitet, inflammet?[2] Nullus, inquam, Imperator Auguste, quin admirandam speciem tuæ venerationis incutiat: non palatium, quod tu, cum terribile acceperis,[f] amabile præstitisti: non forum, et basilica[g] olim negotiis plena, nunc votis, votisque[3][h] pro tua salute susceptis: (nam de sua,[i] cui non te imperante securitas?) non euria honorificis modo

admoneat? O quam enervis est, et imbecilla significatio hujus vocis! Quis, inquam, est locus qui non me exagitet, et incendat recordatione beneficiorum tuorum? Nullus, inquam, est, Imperator Auguste, qui non objiciat meæ menti imaginem tuæ Majestatis: non palatium, quod cum acceperis formidabile, reddidisti amabile: non forum, et Basilica quondam referta litibus, nunc plena votis, et votis quidem nuncupatis pro tua incolumitate: (quis enim non securus est de sua sub tuo imperio?) non

serit *et* Mariang. Accurs. *agitet et inflammet*. Acidalius hic *beneficiis tuis* mutat in *pæne facibus, stimulis,* male.' *Floridus.*—3 *Votis pro tua sal.* Tillanus

NOTÆ

[e] *Admoneat autem*] Correctio.

[f] *Quod tu cum terribile acceperis*] Carpere videtur Valentiniani severitatem, ut filii ejus Gratiani lenitatem extollat. Valentinianum severiorem fuisse tradunt Aurelius Victor, D. Hieronymus, et alii.

[g] *Basilica*] Basilicarum ad negotia, mercatus, et judicia extructa-

notæ? præterea τὸ *votis* non venustatis modo, verum etiam expositionis causa iteratur. 'Forum et basilica olim negotiis plena, nunc votis,' (vota quodammodo negotiis opponuntur,) 'votisque' (interpretationis causa, ut dixi, vox iteratur) 'pro tua salute susceptis.' Sed quid his immoror quæ luce ipsa clariora sunt? Ceterum Auso-

læta decretis, olim solicitis mœsta querimoniis: non publicum, in quo occursus gaudentium plurimorum neminem patitur solum gratulari: non domus commune secretum.[k] 4. Lectus ipse ad quietem datus, beneficiorum tuorum reputatione tranquillior. Somnus abolitor omnium imagines tuas offert.[4] Ipsa[5] autem sedes honoris, sella curulis, gloriosa pompis imperialis officii, in cujus me fastigio (ex qua mediocritate?) posuisti, quotiens a me cogitatur, vincor magnitudine, redigor ad silentium, non ingratus beneficiis, sed oppressus. Ades enim locis omnibus. 5. Nec jam miramur licentiam poëtarum, qui omnia Deo plena dixerunt.[l] Spem superas, cupienda prævenis, vota præcurris: quæque animi nostri celeritas Divinum instar[6] [m] affec-

curia nunc exhilarata senatusconsultis honorificis, quondam tristis anxiis querelis. Non publicæ viæ in quibus nemini licet soli gaudere, cum obvii sint in iis permulti gaudentes. Non communis secessus ædium. Cubile ipsum concessum ad quiescendum, quietius est ob recogitationem tuorum benefactorum. Somnus qui delet ex animo omnia, exhibet tuas effigies. Ipsa vero sella curulis, sedes dignitatis, superba insignibus muneris imperialis, in cujus eminenti gradu me collocasti, (ex quam mediocri loco?) quoties obversatur meo animo, superor magnitudine hujus honoris, et cogor tacere, non quod ingratus sim erga tua benefacta, sed quod iis opprimar. Nam mihi præsens es ubique. Neque amplius admiramur licentiam poëtarum, qui dixerunt cuncta plena esse Deo. Prætergrederis spem, anteoccupas optanda, prævenis vota: et ea velocitas nostræ mentis, quæ vindicat sibi similitudinem cum Deo,

codex. Malit Gronovius: *nunc notis votisque.*—4 Alii, *affert.*—5 Sic legendum monet Accursius, non *ista.* Acidalius inquit, 'alii *ista,* recte.'—6 *Divum*

NOTÆ

[k] *Non domus commune secretum, &c.*] Enumeratio hæc ad imitationem videtur composita Tullianæ illius Orat. IV. in Catilinam: 'Ego sum ille Consul, P. C. cui non forum, in quo omnis æquitas continetur, non Campus Martius, Consularibus auspiciis consecratus, non curia, summum auxilium omnium gentium, non domus, commune perfugium, non lectus, ad quietem datus, non denique hæc sedes honoris, sella curulis, unquam vacua mortis periculo atque insidiis fuit.'

[l] *Poëtarum, qui omnia Deo plena dixerunt*] Ut Virgilius Ecloga III. 'Ab Jove principium, Musæ: Jovis omnia plena,' &c. Et fusiori enumeratione Aratus initio Phænomenon: *Μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί· Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί, μεστὴ δὲ θάλασσα, Καὶ λιμένες.* 'Plena vero Jovis omnia quidem compita; Omnes vero hominum cœtus: plenum vero mare, Et portus.'

[m] *Divinum instar*] Hanc librorum quorundam lectionem prætuli vulgatæ, *Divum instar*, quæ, licet in eundem sensum recidat, minus tamen decet Christianum oratorem, apud

tat, beneficiis præeuntibus anteceditur. Præstare tibi est, quam nobis optare, velocius. 6. Ago igitur gratias, optime Imperator. Ac si quis nunc sermonem meum iisdem verbis tam sæpe repetitum, inopiæ loquentis assignat, experiatur hoc idem persequi:[7] sed nihil poterit[8] proferre facundius. 7. Aguntur enim gratiæ non propter majestatis ambitum, nec sine argumentis, Imperatori fortissimo: testis est[n] uno pacatus anno[o] et Danubii limes, et Rheni.[p] Liberalissimo: ostentat hoc dives exercitus. Indulgentissimo: docet securitas erroris humani.[q] Consultissimo: probat hoc tali principe Oriens ordinatus. Piissimo: hujus vero laudis locupletissimum testimonium est pater divinis honoribus[r] consecratus: instar filii ad imperium frater ascitus:[s] a contumelia belli patruus vindicatus:[t] ad Præfecturæ collegium

præoccupatur tuis benefactis anteeuntibus. Promtius tibi est efficere, quam nobis cupere. Ergo grates tibi ago, Imperator optime. Et si aliquis tribuit penuriæ dicentis, quod tam sæpe repetam iisdem vocibus hanc meam orationem, tentet perficere hoc idem: at nihil poterit promere disertius. Nam grates aguntur non ad aucupandam gratiam Principis, neque sine fundamentis, fortissimo Imperatori: testantur hoc fines Imperii ad Istrum et Rhenum pacati a te spatio unius anni. Imperatori largissimo: exercitus locupletatus a te id prædicat. Mitissimo: id patet ex eo quod nulli homini fraudi est erravisse. Prudentissimo: id ostendit ordo redditus Orienti a te tali Imperatore. Maxime pio: hujus vero tuæ laudis amplissima probatio est, quod patrem sacravisti honoribus cœlestibus: quod fratrem socium Imperii assumsisti tanquam filium: quod ultus es patruum ab ignominia

instar vulg.—7 *Prosequi* vulg.—8 Tilianus cod. *et nihil poterit.*—9 Pro *electus,*

[redacted]

[redacted]

filius cum patre[u] conjunctus: ad Consulatum præceptor evectus.[9 v] 8. Possem[10] ire per omnes appellationes tuas, quas olim virtus dedit, quas proxime fortuna concessit, quas adhuc indulgentia divina meditatur. Vocarem[11 w] Germanicum, deditione gentilium: Alemannicum,[x] traductione

belli infausti: quod nos Ausonios filium et patrem collegas invicem fecisti in Præfectura: quod promovisti me tuum magistrum ad Consulatum. Possem persequi tuos omnes titulos, quos tua virtus jamdudum tibi præbuit. Quos nuper fortuna tibi largita est: et quos divina benignitas parat adhuc tibi concedere. Appellarem te Germanicum ob deditionem gentium illarum: Alemannicum, eo quod captos bello

quod hic legebatur, Acidalius reponit *evectus*, optime, censente Florido.—10 Idem *Possem* pro *Possum*.—11 *Voca* vulg.—12 *Desiderat* vulg.—13 *Quod*

NOTÆ

societatem a Gratiano assumtus, et Orienti præpositus, ultus est, Gothis e Thracia pulsis.

[u] *Filius cum patre*] Ipse Ausonius cum patre Julio Ausonio. De ea Præfectura paulo infra: 'Et tui tantum Præfectura beneficii: quæ et ipsa non vult vice simplici gratulari, liberalius divisa quam juncta: cum teneamus duo integrum, neuter desideret separatum.'

[*] *Ad Præfecturæ collegium filius cum patre conjunctus*] Hic toto cœlo aberrat cum ceteris Interpres noster, dum hoc 'Præfecturæ collegium' de Ausonio Poëta, Julioque ejus parente intelligit. Infra enim de eadem Præfectura dicet Ausonius: 'Liberalius divisa quam juncta, cum teneamus ambo integrum, neuter desideret separatum.' Quod si, ut patet, cum gratias ageret pro Consulatu, Præfecturam Ausonius tenebat junctam potius quam divisam, quonam pacto ista 'Julio' competent, quem ex 'Epicedio' constat ante mortuum, quam Poëta Consul crearetur? Igitur ea intelligenda de Ausonio Poëta, ejusque nato Hesperio, qui socius patri fuerit adjunctus, quod, uti recte suspicatur in Mallii Theodori vita Rubenius, viro Musis amico (adde et annis gravi) non liberet totum se negotiis permittere. An vero duplicem Præfecturam ita gesserit, ut iterum fuerit Præfectus Prætorio, inter eruditos non constat. Iterum fuisse probamus in Dissertatione operi præfixa.

[v] *Præceptor evectus*] Ipse Ausonius Gratiani præceptor.

[*] *Ad Consulatum præceptor evectus*] Ut vere impletum fuerit quod antea Juvenalis dixerat: 'Si Fortuna volet, fies de Rhetore Consul.'

[w] *Vocarem*] Sic recte Acidalius pro *voca;* supra enim, 'possem ire,' &c. et infra 'connecterem,' &c.

[x] *Germanicum, &c. Alemannicum*] A Germanis et Alemannis ejusdem Germaniæ populis. Utrumque nomen Teutonica lingua idem pœne sonat: est enim GER seu GAR MANN valde vir, hoc est, admodum strenuus et fortis, ALLE MANN vero totus vir, seu prorsus fortis. De Gratiano Sextus Aurel. Victor in Epitome: 'Hic apud Argentarium oppidum Galliæ triginta Alamannorum millia in bello extinxit.' Cui consonat Ammianus Marcellinus lib. ultimo, et alii.

captorum:[y] vincendo et ignoscendo, Sarmaticum.[a] 9. Connecterem omnia merita virtutis, et cognomina felicitatis: sed alia est ista materia, et suo parata secreto: cum placuerit signanter et breviter omnia, quæ novimus, indicare, nec persequi: ut qui terrarum orbem unius tabulæ ambitu circumscribunt, aliquando detrimento magnitudinis, nullo dispendio veritatis. 10. Nunc autem, quod diei hujus proprium, de Consulatu gratias agam.[a] Sed procurrunt et aliæ dignitates, atque in vocem gratulationis erumpunt, ac se prius debere profitentur. 11. Tot gradus nomine Comitis[b] propter tua incrementa congesti ex tuo merito: te ac

Alemannos in alias terras transtulisti; Sarmaticum, eo quod Sarmatas debellasti, et eis pepercisti. Conjungerem omnes laudes virtutis tuæ, et titulos quos tua felicitas tibi quæsivit: verum illud argumentum diversum est, et reservatum separato loco in quo tractetur: quando libitum mihi fuerit non enumerare quidem, sed designare breviter cuncta quæ in te novi: velut illi qui complectuntur orbem terrarum spatio unius tabulæ, aliquo damno magnitudinis ejus, sed nulla jactura veritatis. Nunc vero grates tibi agam ob Consulatum meum, quod proprium est hujus diei. At alii etiam honores in me collocati prodeunt, et prorumpunt in gratiarum actionem, et prædicant se grates debere tibi ante meum Consulatum. Tot honorum gradus sub titulo Comitis coacervati in me a patre tuo ob tuos progressus in literis:

NOTÆ

[y] *Traductione captorum*] Juvenum scilicet, quos abduxit tironibus Romanis admiscendos. Sic enim Ammian. lib. ult. 'Quem Lentienses [Alemanni ut ex superioribus patet] intentum jugulis suis omni perseve- [redacted]

sulatu gratias agam] Morem hunc etiam discas ex Plin. in Panegyrico: 'In consuetudinem vertit,' inquit, 'ut Consules publica gratiarum actione perlata, suo quoque nomine, quantum debeant Principi profiteantur.' [redacted]

[redacted]

patre principibus, Quæstura communis: et tui tantum Præfectura[c] beneficii, quæ et ipsa non vult vice simplici gratulari, liberalius divisa quam juncta: cum teneamus duo integrum,[d] neuter desideret[12] separatum. 12. Sed illa, ut paulo ante promisi, habebunt sui muneris peculiare secretum. Consulatus hic meus orat, atque obsecrat, ut obnoxiam tibi uni sinas fieri ejus dignitatem, quem omnibus prætulisti. Quot quidem[13][e] et ipse sibi invenit[14] gradus? 13. Cum clarissimo viro collega meo[15][f] honore conjunctus, nuncupatione prælatus,[g] Consul ego, Imperator Auguste, munere tuo non passus septa,[h] neque campum, non suffra-

ex tua dignatione Quæstura in me collocata in commune a te et parente tuo, dum ambo imperatis: et Præfectura ex tua tantum liberalitate profecta: quæ ipsa quoque non contenta est semel tantum agere gratias, cum beneficentius eam diviseris in me et patrem meum, quam si in me solum eam totam contulisses: cum ambo possideamus totum tuum beneficium, ac neuter cupiat illud esse divisum. Verum ista, sicut promisi paulo supra, habebunt locum sibi peculiariter destinatum, quo exhibeant tibi suas grates. Hic meus Consulatus rogat te, et obtestatur, ut permittas tibi soli deberi honorem illius hominis quem anteposuisti cunctis. Ac quidem quot ipse Consulatus meus gradus etiam sibi reperit? Ego conjunctus fui dignitate cum illustrissimo viro meo collega, antepositus nominatione, ego factus Consul, Imperator Auguste, non expertus cancellos, neque Campum Martium, non suffragia, non

quidem vulg.—14 Pro *invenit* legit Acidalius, *innuit*, qui dicit, 'ac forte junctim, *subinnuit*.'—15 Alii, *in eo*.—16 *Adulavi*, *vocatis* vulg.—17 Alii pleri-

NOTÆ

dice Justinianeo, Ammiano, Cassiodoro, et aliis cognoscitur.

[c] *Præfectura*] Prætorii Galliarum.

[d] *Cum teneamus duo integrum*] Cum ego et pater Præfecturam hanc indivisam tenuerimus, et administraverimus.

[e] *Quot quidem, &c.*] Sic optime restituit Tollius pro, *Quod quidem*. Gradus illos dignationis suæ in Consulatu mox enumerat.

[f] *Cum clarissimo viro collega meo*] Anicio Probino Hermogeniano Olybrio.

[g] *Nuncupatione prælatus*] Quia prior renuntiatus erat, ut infra videbitur.

[h] *Non passus septa, &c.*] Removet a se ea quæ in electionibus fiebant, cum populus Consules creabat.

Septa] Quæ et Ovile, locus erat in Campo Martio cancellis conclusus, in quem Centuria suffragium latura ingrediebatur per pontes seu angustas vias: in pontis aditu stabant Diribitores, qui tabellas, quibus candidatorum nomina inscripta erant, singulis ingredientibus ministrabant. Ingredientibus ovile Rogatores cistam proponebant, in quam conjicerent eam quam vellent tabulam. Post quam autem totius Centuriæ tabellæ collectæ erant, tum educendis suffragiis adhibebantur custodes. Eorum munus erat describere suffragia, id est, tot puncta in tabella notare, quot tabellæ similes reperirentur: ut

gia,[i] non puncta,[k] non loculos:[l] qui non prensaverim manus,[m] nec consalutantium confusus occursu, aut sua amicis nomina non reddiderim, aut aliena[n] imposuerim: qui Tribus non circumivi, Centurias[o] non adulavi, jure vocatis[16] classibus[p] non intremui, nihil cum sequestre deposui,[q] cum diribitore[17] nil pepigi.[r] Romanus populus, Martius campus, equester ordo, rostra, ovilia, senatus, curia, unus mihi omnia Gratianus. 14. Jure meo, Auguste Maxime, affirmare possum incolumi omnium gratia, qui ad hunc honorem diversa unquam virtute[18] venerunt, venturique sunt,

puncta, non largitionem pecuniæ: qui non prehenderim manus, neque perturbatus occursu aliorum una mecum salutantium populum, aut non compellaverim amicos nominibus propriis, aut vocaverim alienis: qui non ambivi Tribus, non blanditus sum Centuriis, non expavi, cum classes rite vocarentur, nihil deposui apud sequestrem, nullum pactum feci cum distributore tabellarum. Solus Gratianus mihi fuit populus Romanus, Campus Martius, equester ordo, rostra, septa, senatus, curia, omnia. Possum asseverare pro meo jure, Auguste Maxime, pace omnium qui unquam pervenerunt, et perventuri sunt ad hanc dignitatem diverso merito, (singuli

que: *cum distributore.*—18 Gronovius *via* vel *itinere* pro *virtute* reponebat,

NOTÆ

inito tandem numero, ea Centuriæ sententia renuntiaretur, quæ plures habere similes tabellas ex numero punctorum perspiceretur. Sed de his omnibus plura vide apud Gruchium de Comitiis, et Rosinum antiquit.

[redacted]

latus, qui singulorum nomina suggereret.

° *Tribus non circumivi, Centurias, &c.*] De Tribubus, Centuriis, et Classibus in quas Centuriæ distributæ erant, prærogativa tum Tribu, tum

[redacted]

(suis enim cuique animus, suum meritum, sibique mens conscia est,) jure, inquam, meo affirmare possum, me mihi videri a ceteris esse secretum. 15. Sunt, quos votorum cruciat inanitas: non optavi:[s] quos exercet ambitus: non petivi: qui assiduitate exprimunt: non coëgi: qui [19] offeruntur occasione:[t] non affui:[u] quos juvat opulentia: obstat temporum disciplina.[v] Non emi: nec possum continentiam jactare; non habui. Unum præstare tentavi,[w] et hoc ipsum quasi meum vindicare non possum: in tua enim positum est opinione, si merui. 16. Fecisti autem et facies alios quoque Consules, piissime Gratiane, sed non et causa pari. Viros gloriæ militaris: habent enim tecum, ut semper laboris, ita dignitatis plerumque consortium,[x] virtutis quam

etenim habent suum animum, suam virtutem, et pectus sibi conscium,) possum, inquam, asseverare merito me videri mihi esse distinctum a reliquis. Sunt quidam qui angentur votis inanibus, at ego non concupivi Consulatum. Sunt quos ambitio agitat: non rogavi. Sunt qui extorquent honores assidue petendo: ego non extorsi. Sunt quos occasio offert honoribus: ego non affui cum dares. Sunt quos opes suæ adjuvant in honoribus consequendis: at disciplina horum temporum id prohibet. Ego non emi hunc honorem, neque possum prædicare meam ea in re continentiam; etenim non habui unde emerem. Conatus sum efficere unum, neque possum mihi id asserere velut meum: nam pendet ex tua existimatione, an meruerim. Porro, pie admodum Gratiane, fecisti jam, et facies adhuc alios etiam Consules, at non similem quoque ob rationem. Facies Consules viros militia claros: quippe illi participant, ut semper labores tuos, ita sæpe et honores, cum prius col-

male, judice Florido.—19 Acidalius, *Quibus*.—20 *Romæ* hic ponit Gronovius.

NOTÆ

ejus opera essem Consul creatus.

[r] *Cum diribitore nil pepigi*] Puta ut potentioris alicujus competitoris tabellas suppirmeret inter diribendum.

[s] *Sunt quos, &c. non optavi*] Enumeratio elegans cum subjectione.

[t] *Qui offeruntur occasione*] Qui forte tum temporis occurrunt principi, aut in comitatu sunt, cum comitia ordinat, quemadmodum fuerat collega ejus Olybrius. Sic enim de eo infra: 'Sed tamen ad hoc dictum erexerant animos, qui libenter clarissimum virum collegam meum, quem præsentem habebat occasio, prælatum credidissent.'

[u] *Non affui*] Erat quippe tunc in Gallia, Gratianus vero Sirmii in Pannonia, ut videbitur infra.

[v] *Obstat temporum disciplina*] Hæc ad Gratiani laudem, sub cujus Imperio non opibus, sed virtute honores parentur.

[w] *Unum præstare tentavi*] Ut mererer.

[x] *Ita dignitatis plerumque consortium*] Dum eos facis tuos in Consulatu collegas.

honoris antiquiore collegio: viros nobilitatis antiquæ: dantur enim multa nominibus; et est Roma[20] pro merito:[y] viros fide inclytos, et officiis probatos: quorum me etsi non secerno numero, tamen, quod ad honoris viam pertinet, ratione dispertio. 17. Quartum hunc gradum[z] novi beneficii[a] tui, Auguste, constituis auferre[1] tibi ipsi, quo alter ornetur: bona animi tui ad alienam referre præstantiam,[b] eruditionemque naturæ,[c] quam Deo et patri et tibi debes,

legæ sint tibi in virtute, quam in Magistratu. Facies Consules viros priscæ nobilitatis: plurima enim conceduntur magnis illis nominibus, et vicem meriti in iis obtinet, quod sint ex veteribus familiis Romanis. Facies viros claros fidelitate sua, et spectatos suis officiis: ex quorum numero quanquam me non eximo, nihilominus, quod spectat ad modum perveniendi ad Consulatum, segrego me ab eorum ratione. Hunc facis quartum gradum beneficii nuper a te in me collati, Auguste, demere tibi ipsi, quo exornes alterum: referre ad excellentiam alterius dotes tui ingenii, et reflectere magis grato animo, quam vero sermone, ad operam alterius peritiam

—1 'Lego: *Quartus hic gradus n. b. tui Auguste. Constituis auferre, &c.* Nisi quis malit: *Quantus hic gradus n. b. t. Auguste?* nam pro *quartum*, *quantum* fuit in papyraceo Vossiano. Præferam tamen, quam indicavi, lectionem. Potest autem et sic legi: *Quartus hic g. n. beneficii. Tu, Auguste, constituis, &c.*' *Tollius.* ' Vett. editiones, *efferre*, unde Grævius, *auferre*, pro vulgato *deferre*,

NOTÆ

[y] *Et est Roma pro merito*] Non satisfacit Gronovio, vocabulum *Romæ* hic positum; quasi, inquit, nulla esset nobilitas civis Romani, nisi præcise Romæ nati; ut vellet hic *prosa-*

tu detrahat de animi ac naturæ suæ bonis Gratianus, ut ornet suum præceptorem, ejus scilicet præceptis et educationi tribuendo præclaras dotes, quas Deo et patri debebat, non præ-

[redacted]

[redacted]

ad alterius gratiam gratius[2] retorquere, quam verius. Tua hæc verba sunt a te mihi scripta: SOLVERE TE, QUOD DEBEBAS: ET ADHUC DEBERE, QUOD SOLVERIS. O mentis aureæ dictum bracteatum![d] 18. O de pectore candidissimo lactei sermonis alimoniam! Quisquamne tam parcus est in ostentatione beneficii? quisquam pondus gratiæ suæ vim meriti profitetur alieni? quisquam denique quod indulget, quasi ab obnoxio deferatur, pretium mavult vocare, quam donum? 19. Certent huic sententiæ veteres illi et Homerici oratores, subtilis deducta oratione Menelaus,[e] et instar profundæ grandinis ductor Ithacesius,[f] et melleo delibutus eloquio jam tertiæ Nestor ætatis: sed neque ille concinnius eloquetur, qui se Laconica brevitate collegit:[g] neque ille contortius,[h] qui cum sensibus verba glomeravit: nec iste[3] dulcius,[i] cujus lenis oratio mulcendo potius, quam extorquendo, persuasit. 20. Solvere te di-

naturalem quam debes Deo, et patri, et tibi. Ecce tua verba, quæ ad me scripsisti: Te solvere *mihi* quod debebas; et debere adhuc quod solveris. *O vocem auream ingenii præstantissimi. O cibum orationis lacteæ manantem e candidissimo pectore! An aliquis est tam modicus in jactando beneficio? An aliquis palam prædicat id, quod a benevolentia tantum sua profectum est, deberi merito alieno? Postremo an aliquis mavult appellare mercedem, quam donum, id quod dat benigne, perinde ac si teneatur illud dare? Contendant cum elegantia hujus sententiæ prisci illi Oratores quos Homerus celebrat, Menelaus acutus tenui oratione, et dux Ithacensis eloquio vehementi instar grandinis altæ, et Nestor jam tertiæ ætatis unctus mellita facundia: at nec ille qui coërcuit se Spartano breviloquio dicet magis apposite, neque ille qui contorsit voces cum sententiis loquetur majori ambitu; neque hic cujus sermo dulcis persuasit magis blandiendo, quam rapiendo, eloquetur suavius.*

bene.' *Floridus.*—2 *Ad alterius gratiam rectius* vulg. In Til. cod. fuit: *ad alterius efficaciam gratius.*—3 Tò *iste* deest in vulgatis.—4 Alii subornant, *tri-*

NOTÆ

quam naturali ingenii tui lumine potius quam opera, et præceptis meis paravisti.

[d] *Dictum bracteatum*] Metaphora a signis, quæ bracteis, hoc est, lamellis, seu foliis aureis deaurabantur.

[e] *Homerici oratores, subtilis deducta oratione Menelaus, &c.*] In Iambico carmine Epistolæ XVI. 'Hunc dico, qui lingua potens, Minorem Atridam præterit, Orando pauca et musica. Qui grandines Ulyssei, Mellifluentem Nestora,' &c. Ubi vide Notas.

[f] *Ithacesius*] Græcum est 'Ιθακήσιος, Ithacensis.

[g] *Qui se Laconica brevitate collegit*] Menelaus Spartanus.

[h] *Neque ille contortius*] Ulysses.

[i] *Nec iste dulcius*] Nestor.

cis, quod debebas: et debiturum esse, cum solveris. Auguste juvenis, cœli tibi et humani generis rector hoc tribuat,[4] ut prælatus antiquis, quos etiam[5] elegantia sententiæ istius antecessisti, vincas propria singulorum: in Menelao regiam dignationem, in Ulixe prudentiam, in Nestore senectutem. 21. Subjiciet[6] aliquis, Ista quidem adeptus es: sed effare, quo merito? Quid me oneras sciscitator? RATIONEM FELICITATIS NEMO REDDIT. Deus, et qui Deo proximus, tacito munera dispertit arbitrio: et beneficiorum suorum indignatus per homines stare judicium, mavult de subditis dedisse miraculum. 22. Quo, inquis, merito? Ego nullum scio, nisi quod tu, piissime Imperator, debere te dicis: et hoc debere, latissime pertinet: sive hoc eruditionis tuæ fœnus[k] existimas: sive sine fœnore gloriam liberalitatis affectas: sive te pondere conceptæ sponsionis exoneras: seu fideicommissum patris exsolvis:[l] seu magnanimitate cœlesti, ostentatione suppressa,[m] Dei munus imitaris. 23. Debere te dicis. Cui?

Ais te solvere quod debebas, et debiturum adhuc esse quando solveris. O adolescens Auguste, moderator cœli et generis humani hoc tibi det, ut antepositus priscis illis quos superasti elegantia istius sententiæ, superes etiam quæ propria fuerunt uniuscujusque eorum: majestatem regiam in Menelao; prudentiam in Ulysse; senectutem in Nestore. At dicit quispiam, Assecutus quidem es ista: verum dic mihi quonam tuo merito? Quare mihi molestus es percontator? Nemo reddit rationem suæ felicitatis. Deus, et ille qui proximus est Deo, distribuit dona sua secreto judicio, et non ferens benefacta sua æstimari arbitrio hominum, mavult ciere ipsis admirationem, iis quæ subjicit eorum oculis. Quonam, inquis, tuo merito? Ego

[redacted]

[redacted]

quando? quo nomine? Lege syngrapham, nomina creditorem. Accepti et expensi tabulæ[n] conferantur: videbis alio summæ istius transire rationem.[o] Tibi cœpit Deus debere pro nobis.[p] 24. Quid autem mihi debes, gratissime Imperator? Patitur enim humanitas tua, ut præter regias virtutes, privata appellatione[q] lauderis. Quid tu mihi debes? Et contra, quid non ego tibi debeo? Anne quod docui? hoc ego possum verius retorquere, dignum me habitum, qui docerem: tot facundia, doctrinaque præstantes, inclinata in me dignatione, præteritos: ut esset quem tu matura jam ætate succinctum[r] per omnes honorum gradus festinata bonitate proveheres: timere ut videreris, ne in me vita deficeret, dum tibi adhuc aliquid, quod deberes præstare, superesset. 25. Negat Cicero Consularis, ultra se habere, quod cupiat. Ego autem jam Consul, et senex, adhuc aviditatem meam jam fatebor. Te videre sæpius in

Quo tempore? Quo titulo? Recita instrumentum debiti, nomina creditorem: tabulæ accepti et expensi comparentur inter se: agnosces rationem istius summæ transferri in aliam partem. Deus incipit tibi debere pro nobis. Quid vero debes mihi, o princeps gratissime? Nam benignitas tua præter Imperatorias tuas dotes sustinet adhuc prædicari laudatione privata. Quid tu debes mihi? Contra vero quid ego tibi non debeo? An debes mihi aliquid quia erudivi te? Ego possum hoc verius reflectere in me ipsum, quod existimatus fuerim idoneus qui te instituerem: quod tot viri excellentes eloquentia et scientia prætermissi fuerint, honore hoc in me collato, ut esset aliquis, quem, ævo jam provecto paratum ad mortem, tu extolleres per universos gradus magistratuum benignitate accelerata: adeo ut videreris metuere, ne vita me desereret, quamdiu tibi restaret adhuc aliquid mihi tribuendum. Cicero, functus Consulatu, ait se nihil habere amplius quod exoptet. Ego vero cum Consul sum, et provecta ætate, confitebor adhuc meam cupiditatem. Aveo cernere te sæpius in

NOTÆ

[n] *Accepti et expensi tabulæ*] Rationum libri in quibus scriptum est, quid acceptum, et quid expensum.

[o] *Videbis alio summæ istius transire rationem*] Id est, non te mihi debitorem, sed me tibi ex illis rationibus remanere.

[p] *Tibi cœpit Deus debere pro nobis*] Hoc est, tot tantaque tibi debeo, ut ea persolvere tibi pro me jam solus Deus possit.

[q] *Privata appellatione*] Gratissimi; hæc enim privatis melius convenit, quorum, ut supra dixit, ista copia est esse inter se munificos, quam principibus, qui beneficia conferre ceteris solent, non ab illis accipere, quæ gratum animum a se reposcant.

[r] *Matura jam ætate succinctum*] Jam senem, et in procinctu ad moriendum. Hanc esse hujus loci sententiam colligo ex his quæ sequuntur; 'timere ut videreris,' &c.

hoc magistratu, Gratiane, desidero: ut et sex Valerii Corvini,[7] [s] et septem Caii Marii,[t] et cognominis tui [u] Augusti tredecim Consulatus, unus æquipares. 26. Tibi plures potest ætas et fortuna tua præstare: verum ego in numero parcior, quia tu in munere liberalior: ipsum enim te sæpius hoc honore defraudas, ut et aliis largiaris. 27. Scis enim, Imperator doctissime, (rursum enim utar laude privata,) scis, inquam, septem ac decem Domitiani Consulatus,[v] quos ille, invidia alteros [8] provehendi, continuando conseruit,[w] ita in ejus aviditate derisos, ut hæc eum pagina [9] Fastorum suorum, immo fastidiorum,[x] fecerit insolen-

hoc Magistratu, o Gratiane; ita ut tu unus æques sex Consulatus Valerii Corvini, septem Caii Marii, et tredecim Augusti tibi similis cognomine. Ætas et fortuna tua potest præbere tibi plures Consulatus; at ego parcior sum in numero Consulatuum quos tibi opto, quoniam tu largior es in hoc munere concedendo; nam sæpius privas te hac dignitate, ut eam impertiaris etiam aliis. Nosti enim, Princeps eruditissime, (nam iterum adhibebo in te laudem privatam,) nosti, inquam, septemdecim Consulatus Domitiani, quos ille conjunxit continuos præ invidia, ne promoveret alios ad hunc honorem, sic fuisse deridiculo habitos in illius cupiditate, ut illa pagina Fastorum, immo fastidiorum ejus, reddiderit eum arrogantem, at non potuerit reddere

Tilianum exemplar.—9 Alia exemplar. *ut hoc eum pag.* Suspicatur Grono-

NOTÆ

[s] *Ut et sex Valerii Corvini*] Seu, ut habent vetusta marmora, *Corvi*, Consulis primum facti anno ætatis 23. ab [redacted]

latus] De hoc Sueton. 'Consulatus septem et decem cepit: quot ante eum nemo. Ex quibus septem medios [redacted]

tem, nec potuerit præstare felicem.[y] 28. Quod si principi honoris istius temperata, et quæ vocatur aurea, debet esse mediocritas;[10 z] quid privati status hominibus?[11] quid æquanimis? quid jam senibus erga se oportet esse moderaminis? 29. Ego quidem, quod ad honores meos pertinet, et vota saturavi: tu tamen, Imperator optime, tu, piissime, tu quem non fatigat liberalitas, nisi quando cessavit: tu, inquam, indulgentissime Gratiane, ut ad benefaciendum subito es nec opinus ingenio,[12] adhuc aliquid, quod hoc nomine mihi præstetur, invenis.[13] Sic intellexere omnes: sic nobis ordinem ipse fecisti: sic amicus Deo es, ut a te jam impetratum sit, quod optatur: a quo,[14] et quod nondum optamus, adipiscimur.[15] 30. At rursum aliquis adjiciat,[16] aut sermone libere, aut cogitatione liberius: Nonne olim, et apud veteres multi ejusmodi doctores fuerunt? An tu solus præceptor Augusti? immo ego cum multis conjunctus officio, sed cum paucissimis secretus exemplo.

beatum. Quod si Imperator debet observare modum temperatum et aureum, ut vocant, mediocritatem in munere illo capessendo; quam moderationem debent observare homines conditionis privatæ? Quam qui sunt æquo animo? Quam qui ætate jam grandi? Ego quidem, quod spectat ad munera quæ gessi, explevi etiam vota mea: tu tamen, optime Princeps, tu, piissime, tu cui molesta nunquam est liberalitas, nisi cum est otiosa: tu, inquam, Gratiane benignissime, ut habes ingenium promtum ad benefaciendum de improviso, reperis adhuc aliquid quod mihi tribuatur eo titulo. Ita omnes agnoverunt. Eo tu ipse ordine nos renuntiasti Consules. Ita carus es Deo, ut quod expetitur jam impetratum sit a te; a quo etiam consequimur id quod nondum expetimus. At subjunget iterum quispiam vel voce libere, vel etiam liberius mente: An non quondam etiam apud antiquos extiterunt plurimi tales præceptores? An tu unus fuisti Magister Imperatoris? Immo fui æquatus multis munere docendi Principes; verum segregatus cum perpaucis exemplo præmii. Nolo

vius: *ut tot cum pag.* . . . . . . *nec potuerint p. f.*—10 Distinguit Acidalius: *Temperata, et quæ vocatur, aurea debet esse mediocritas.*—11 *Privatis status hominibus* vulg.—12 Grævius mallet: *subito es nec opino ingenio.*—13 Sic Tollius, pro *invenies*, recte, censente Florido.—14 *Quod optatur ab aliquo; et* vulg.—15 Pro *adipiscimur* legit Acidalius, *adipiscamur*, qui etiam—16 *At* vel *Sed*

NOTÆ

Fastidiorum] Vel contemtus clarorum virorum, quos merito honore defraudabat sese perpetuo Consulem reficiendo: vel etiam tædii quod afferebat legentibus Fastos, idem Consul annorum omnium titulis præfixus.

[y] *Nec potuerit præstare felicem*] Cum pro honore, quem inde sperabat, derisionem tantum tulerit.

[z] *Quæ vocatur aurea, &c. mediocritas*] Horatio lib. II. Od. X.

31. Nolo Constantini temporum taxare collegas:[a] Cæsares docebantur.[b] Superiora contingam.[17] Dives Seneca,[c] nec tamen Consul,[d] arguetur rectius, quam prædicabitur, non erudiisse indolem Neronis, sed armasse sævitiam.[e] Quintilianus, Consularia per Clementem ornamenta sortitus,[f] honestamenta nominis potius videtur, quam insignia potestatis habuisse. Quomodo et Titianus[18] magister.[g] Sed glo-

carpere collegas temporum Constantini: erudiebantur tunc Cæsares tantum. Loquar de superioribus. Seneca locuples, neque tamen Consul accusabitur melius, quam jactabitur non instituisse ingenium Neronis, sed armavisse ejus crudelitatem. Quintilianus, consecutus insignia Consulatus ope Clementis, videtur habuisse potius ornamenta famæ quam notas potentiæ. Quemadmodum et Titianus præceptor

r. a. *objiciet*. *Objiciet* quoque probat Tollius.—17 Vulg. *extinguam*.—18 Al.

NOTÆ

[a] *Constantini temporum taxare collegas*] Innuere videtur Lactantium Firmianum Crispi Cæsaris, Constantini ex Minervina concubina filii, præceptorem, qui, ut ait Hieronymus ad Chronicon Eusebii, vir omnium suo tempore eloquentissimus, sed adeo in hac vita pauper fuit, ut plerumque etiam necessariis indiguerit, nedum deliciis; et Exuperium Rhetorem Dalmatii liberorum præceptorem, de quo est Carmen XVII. Professorum.

[b] *Cæsares docebantur*] Filii Impera- [redacted]

Trebellianum factum sub Nerone, Annæo Seneca, et Trebellio Maximo Coss. octavo Kal. Septemb. ut patet ex Ulpiano leg. 1. ff. ad SC. Trebellianum §. 1. et Instit. De Fideicommissariis hæreditatibus, et ad SC. Trebellianum §. 4.

[e] *Sed armasse sævitiam*] Literis et eloquentia: 'Cujus quo major est vis,' inquit Cicero lib. III. de Oratore, 'hoc est magis probitate jungenda, summaque prudentia: quarum virtutum expertibus si dicendi copiam tra- [redacted]

riosus[19] ille, municipalem scholam[h] apud Visontionem Lugdunumque variando, non ætate quidem, sed vilitate consenuit. 32. Unica mihi amplectenda est Frontonis[i] imitatio: quem tamen Augusti[20] magistrum[k] sic Consulatus ornavit, ut Præfectura non cingeret. Sed Consulatus ille cujusmodi?[1] Ordinario suffectus, bimestri spatio inter-

Maximini. At ille superbior paulo mutando ludum suum municipalem, apud Vesontionem et Lugdunum, exolevit, non senio quidem, sed abjectione. Solum Frontonem agnoscere possum æmulum, qui nihilominus præceptor Imperatoris ita decoratus est Consulatu, ut non ornaretur Præfectura. At qualis fuit ille Consulatus? Subditus fuit in locum Consulis ordinarii, insertus numero Consulum per duos tantum menses,

Commodo Titianus.—19 *Sed gloriosius* vulg. Al. *Scilicet gloriosus.* Suspicatur Gronovius ab Ausonio fuisse: *Sed gloriosulus.* Idem sentit Tollius.—20 'Fortasse apud Ausonium scribendum fuerit *Augustorum*, non *Augusti*; nam scribebant semper compendiose *Augg.*' Scaliger. Hanc conjecturam haud esse aspernandam, dicit Tollius: sed numero forte singulari Poëta usus est, ut rem elevet, minuatque.—1 Ausonium scripsisse, dicit Acidalius se credere,

NOTÆ

tianum recte observat Vinetus non eum esse Fabium Titianum, qui post Ausonium cum Aurelio Symmacho Consul fuit, de quo proinde ut Consule jam loqui non posset, neque dicere eum vilitate consenuisse, ut mox subjungit. Sed eum esse Julium Titianum Maximini junioris præceptorem, Capitolino Titianum dictum, de quo jam dixi ad hunc versum Iamb. Epist. XVI. 'Fandi Titianus artifex,' ubi vide Notas. Pro *quomodo Titianus magister* suspicabatur Acidalius *Commodo Titianus magister*, quod libens amplecterer, nisi Maximino juniori præceptorem Titianum, Commodo vero alios dicendi magistros, atque inter hos Frontonem, Capitolinus assignaret. Nisi dicamus Ausonium in discipuli nomine errasse, et Commodum posuisse pro Maximino.

[h] *Municipalem scholam*] Quam in municipalibus urbibus Vesontione et Lugduno habebat. Notum quid sit 'municipium.'

[*] *Municipalem scholam*] Tenuandi causa municipalem dixit, quia, ut ait Sirmondus Not. ad Sidonium, in municipiis humiliora et obscuriora sunt omnia.

[i] *Frontonis*] Is est Cornelius Fronto Marci Antonini, atque etiam Veri artis Oratoriæ magister, quem eo usque amavit Marcus, ut statuam ei in Senatu petierit, ut in Marci Vita refert Jul. Capitolinus.

[k] *Quem tamen Augusti magistrum*] Conjiciebat Scaliger scriptum fuisse *Augg.* hoc est, 'Augustorum magistrum,' quia Marci et Veri fuit magister, librarios vero, omisso uno *g*, *Aug.* tantum scripsisse, unde factum fuerit *Augusti.* De hoc Frontone vetus inscriptio a Scaligero relata; M. AVFIDIO. FRONTONI. PRONEPOTI. M. CORNELI. FRONTONIS. ORATORIS. CONSVLIS. MAGISTRI. IMPERATORVM. LVCI ET. ANTONINI. NEPOTIS. AVFIDI. VICTORINI. PRÆFECTI. VRBIS. BIS. CONSVLIS. FRONTO. CONSVL. FILIO. DVLCISSIMO.

positus,[1] in sexta anni parte consumtus: quærendum ut reliquerit tantus orator, quibus Consulibus[m] gesserit Consulatum. 33. Ecce aliud, quod aliquis opponat: in tanti ergo te oratoris fastigium gloriosus attollis? Cui talia requirenti respondebo breviter: non ego me contendo Frontoni, sed Antonino præfero Gratianum. 34. Celebrant quidem solennes istos dies omnes ubique urbes, quæ sub legibus agunt, et Roma de more,[n] et Constantinopolis de imitatione,[2][o] Antiochia pro luxu,[p] et Carthago discincta,[q] et domus fluminis[3] Alexandria:[r] sed Treviri principis bene-

implerit munus suum sexta parte anni: adeo ut tantus orator reliquerit inquirendum sub quorum Consulatu Consul fuerit. En aliud quod objiciat quispiam: Tu igitur evehis te superbus ad culmen tanti oratoris? Cui ista roganti respondebo paucis. Ego non comparo me Frontoni, verum antepono Gratianum Antonino. Cunctæ quidem ubique urbes, quæ vivunt sub legibus, celebrant dies illos solennes, et Roma more suo, et Constantinopolis ad imitationem Romæ, et Antiochia propter luxum, et Carthago vestitu affluens, et Alexandria domus fluminis: at Augusta Trevirorum

Sed et Consulatus ipse cujusmodi.—2 'Non video, quare hic omissa sit copula, cum omnibus reliquis sit addita: crediderim excidisse negligentia vel festinatione librariorum.' *Tollius.*—3 Vid. inf.—4 Al. *ostentare.*—5 *Dilatas* vulg.

NOTÆ

[1] *Bimestri spatio interpositus*] Quod spatium sæpius fuit Consulatuum illorum, ab Imperatoribus per illas ordinationes delatorum, quæ nundina dictæ sunt, ut plerumque senas in anno ejusmodi ordinationes facerent, aliquando tamen pauciores, pro suo libitu. De his nundinis Consularibus videndi Casaubonus et Salmasius ad qua Consulatus iniretur, sed et in aliis clarioribus Imperii Rom. ex hoc loco intelligere est.

[o] *Constantinopolis de imitatione*] Quippe quæ Romæ æmula esset, et nova Roma diceretur.

[p] *Antiochia pro luxu*] Præpone copulam *et*, librariorum negligentia omissam. Notæ Antiochiæ Metro-

[redacted]

[redacted]

ficio:[s] et mox cum ipso auctore beneficii. Loca inter se istant, vota consentiunt. 35. Unus in ore omnium Gratianus, potestate Imperator, virtute victor, Augustus sanctitate,[t] Pontifex religione,[u] indulgentia pater,[v] ætate filius,[w] pietate utrumque.[x] 36. Non possum fidei causa ostendere[4] imagines majorum meorum, ut ait apud Sallustium[y] Marius: nec deductum ab Heroibus genus, ad Deorum stem-

celebrat diem quo inivi Consulatum munere Imperatoris, ac statim cum ipso muneris largitore. Loca remota sunt a se invicem; at desideria omnium conveniunt inter se. Unus Gratianus versatur in ore cunctorum, Imperator potentia, victor fortitudine, Augustus sanctitate, Pontifex religione, parens benignitate, filius juventute, utrumque caritate. Non possum ostentare effigies meorum Majorum ad fidem astruendam meis dictis, ut dicit Marius apud Sallustium, neque referre ad prosapiam

NOTÆ

riant hic libri; alii enim *domus;* alii *domum*, unde posset fieri *donum*, alii *fluminis*, alii *fulminis*. Vinetus utrumque tolerari posse putat: *fluminis* quidem, quia Alexandria ad unum e Nili ostiis sita est, quod per Antonomasiam *flumen* dici potest, cum e maximis sit orbis terrarum fluminibus: *fulminis* vero, quod uni e Ptolemæis Alexandriæ et Ægypti regibus cognomen fuit Κεραυνὸς, id est, fulmen. Sed hoc posterius, ut longius petitum, merito aspernatur Tollius.

[s] *Sed Treviri principis beneficio*] Innuit apud Trevirorum urbem non, ante se Consulem, celebratum fuisse diem illum Consulatui ineundo solennem Kalendarum Januar. Treviris vero Consulatum inivisse Ausonium, cum ex hoc loco patet, tum infra in fine hujus Gratiarum Actionis, ubi acceleratum Gratiani, ad se Consulem visendum, iter describit.

[t] *Augustus sanctitate*] Græcis σεβαστὸς, Augustus, sancte venerandus. Ovid. Fast. I. ' Sancta vocant Augusta patres: Augusta vocantur Templa Sacerdotum rite dicata manu. Hujus et Augurium dependet origine verbi, Et quodcumque sua Jupiter auget ope.'

[u] *Pontifex religione*] Nomen hoc honoris, Imperatoribus a Paganis tributum, secuti Imperatores, quanquam Christiani, a suis titulis non removebant. De Gratiano inscriptio vetus a Vineto relata: FLAVIVS GRATIANVS. PIVS. FELIX. MAXIMVS VICTOR. AC. TRIVMPHATOR. SEMPER AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. GERMANICVS. MAXIMVS. ALEMANNICVS MAXIMVS. FRANCICVS. MAXIMVS. GOTHICVS. MAXIMVS. TRIBUNITIAE. POTESTATIS. TERTIVM.

[v] *Pater*] Populorum.

[w] *Ætate filius*] Necdum vicesimum annum Gratianus attigerat.

[x] *Pietate utrumque*] Et pater et filius. Jul. Capitolinus de Marco Antonino Philosopho: ' Cum igitur in amore omnium imperasset, atque ab aliis, modo frater, modo pater, modo filius, ut cujusque ætas sinebat, et diceretur, et amaretur,' &c.

[y] *Apud Sallustium*] In de bello Jugurthino, ubi non *ostendere* sed *ostentare* legitur, in oratione Marii ad plebem Romanam.

ma[4] replicare: nec ignotas opes, et patrimonia sparsa sub regnis:[a] sed ea, quæ nota sunt, dicere potius, quam prædicare, patriam non obscuram, familiam non pœnitendam, domum innocentem, innocentiam non coactam, angustas opes, verumtamen libris et liberis[b] dilatatas:[5] frugalitatem sine sordibus, ingenium liberale, animum non illiberalem, victum, vestitum, supellectilem, munda, non splendida: veteribus ut illis Consulibus (excepta, quæ tum erat,[6] bellicarum collatione virtutum) si quis me conferre dignetur, seponat opulentiam, non derogaturus industriam. 37. Verum quoniam gratiis agendis jamdudum succumbo materiæ; tu orationi meæ, Gratiane, succede. 38. Tu, Gratiane,[7] qui hoc nomen[c] sic per fortunam adeptus es, ut nemo verius ambitione quæsierit: (neque enim justius Metellus cognomento Pius, patre revocato, qui esset impius exu-

Deorum genus meum derivatum ab Heroibus: neque jactare divitias tantas ut eas non noverim, et fundos dispersos per varias provincias: sed eloqui potius, quam jactare ea quæ cognita sunt omnibus, scilicet me habere patriam non ignobilem, prosapiam cujus me non pigeat, domum innocentem, probitatem liberam, rem familiarem arctam, at tamen amplificatam libris, et natis: parcimoniam absque sordibus, indolem honestam, animum ingenuum, victum, vestitum, supellectilem, pura ista omnia, non tamen magnifica: adeo ut si aliquis velit componere me cum priscis illis Consulibus, (demta comparatione virtutum militarium quæ tunc erant in iis,) removeat a me divitias eorum, non detracturus mihi parem ipsis diligentiam in obeundo Consulatu. Sed quia in agendis gratiis jam diu vincor magnitudine rerum; tu subveni meo sermoni, o Gratiane. Tu Gratiane, qui ita forte sortitus es istud nomen, ut nemo æquius illud ambiverit: (nam Metellus non justius cognominatus est Pius, ob reductum ab exilio parentem suum, qui impius esset, si eum pateretur exulare:

[redacted]

[redacted]

lante; aut verius Sylla Felix, qui felicior ante,[d] quam vocaretur; quam tu, Gratianus: cui et hoc nomen est,[e] et illa Metelli Syllæque[f] cognomina:) 39. tu, inquam, Gratiane, qui hoc non singulis factis, sed perpetua grate agendi benignitate, meruisti; cui, nisi ab avo[g] deductum esset, ab omnibus adderetur; tu ipse tibi, inquam, pro me gratiam refer: tu tuæque virtutes: bonitas, qua in omnes prolixus es, perpetuus in me: pietas, qua orbem tuum temperas, quamque in ulciscendo patruo[h] probas, tuendo in fratre cumulas, ornando in præceptore multiplicas. 40. Agat gratias clementia, quam humano generi impertis: liberalitas, qua ditas omnes: fortitudo, qua vincis: et mens ista aurea, quam de communi Deo[i] plus quam ullus[*] hausisti. Agant

neque Sylla verius vocatus fuit Felix, qui erat felicior prius quam appellaretur; quam tu vocaris Gratianus: qui habes et nomen istud, et illa cognomenta Metelli, et Syllæ:) tu, inquam, Gratiane, qui promeruisti non factis aliquibus singularibus, sed jugi liberalitate in grate agendo, ut hoc cognomen tibi adjiceretur ab universis, si non traxisses illud ab avo tuo: tu ipse, inquam, redde tibi grates pro me: tu et tuæ præstantissimæ dotes: bonitas illa qua effusus es in omnes, et quam expromis assidue erga me. Pietas qua moderaris imperium tuum toto orbe patens, et quam ostendis in ulciscendo patruo tuo, aggeras in fovendo fratre, congeminas in decorando Magistro. Agat tibi pro me grates mansuetudo ista quam exhibes in genus humanum: munificentia, qua locupletas cunctos: Virtus qua vincis: et animus iste præstantissimus quem duxisti uberius quam quivis alius ex divina aura diffusa

NOTÆ

[d] *Qui felicior ante, &c.*] De eo Plinius lib. VII. cap. 44. 'Unus hominum ad hoc ævi Felicis sibi cognomen asseruit L. Sylla, civili nempe sanguine, ac patriæ oppugnatione adoptatus. Et quibus felicitatis inductus argumentis? Quod proscribere tot millia civium, ac trucidare potuisset. O prava interpretatio, et futuro tempore infelix! Non melioris sortis tum fuere pereuntes, quorum miseremur hodie, cum Syllam nemo non oderit?'

[e] *Et hoc nomen est*] Gratianus.

[f] *Et illa Metelli Syllæque*] Pius, et Felix: vide inscriptionem supra allatam.

[g] *Ab avo*] Gratiano Funario.

[h] *Quamque in ulciscendo patruo, &c.*] Supra: 'Piissimo: hujus vero laudis locupletissimum testimonium est pater divinis honoribus consecratus: instar filii ad imperium frater ascitus, a contumelia belli patruus vindicatus: ad Præfecturæ collegium filius cum patre conjunctus: ad Consulatum præceptor electus.' Ubi vide Notas.

[i] *De communi Deo*] De Deo a quo omnes mentem hauriunt, quæ est 'divinæ particula auræ.'

[*] *Mens ista aurea, quam de communi Deo plus quam ullus hausisti*] Miror Tollium hæc velle magis oratorie quam pie dicta; Ethnicos enim opinatos nostras animas divinæ auræ particulas esse. Pie quidem et Christiane coram Imperatore Pio et Christiano prolata hæc fuisse probat vel

[redacted]

et pro me gratias voces omnium Galliarum: quarum Præfecto[k] hanc honorificentiam detulisti. Ultra progredior; et hoc quia debere te dicis, agat, quæ optime agere potest, vox ista, quam docui. 41. Jamdudum autem quam grati animi, tam sermonis exigui, ut supra dictum est, succumbo materiæ, neque adhuc illa perstrinxi, quæ ne infantissimus quidem, nisi idem impiissimus, eminentia per famam, et omnium gaudiis testata supprimeret; quæ supra vires dicendi meas posita, cunctor attingere, aut ingrati crimine arguendus, aut temerarii professione culpandus: tamen alterum cum subeundum sit, audaciam quam malevolentiam malo reprehendi. 42. Tu, Auguste venerabilis, districtus maximo bello, assultantibus tot millibus barbarorum, quibus Danubii ora prætexitur,[9] comitia Consulatus mei armatus exerces. Tributa ista, quod in urbe[l] Sirmio gerun-

in omnes. Agant etiam grates pro me voces universarum Galliarum: quarum Præfecto tribuisti hunc honorem. Pergo ulterius; et quoniam ais te id mihi debere, agat tibi grates pro me tuum istud eloquium quod excolui. Quod optime agere potest. Ego autem, qui quam grato sum animo, tam tenui sum oratione, jamdiu opprimor magnitudine argumenti, ut superius dixi: necdum attigi illa, quæ ne omnium quidem minime facundus (nisi simul esset impiissimus) premeret silentio, cum extent per famam et comprobata sint lætitia omnium; quæ dubito tractare utpote elata supra meum orandi facultatem, vel accusandus crimine ingrati animi, si ea sileo, vel damnandus temeritatis, si ea attingere audeo: nihilominus cum incurrendum mihi sit in alterutrum horum, malo argui in me temeritatem, quam malignitatem. Tu Venerande Imperator, occupatus bello gravissimo, cum tot barbarorum millia, quibus ripa Istri cingitur, irruerent in te, agis comitia mei Consulatus armatus. An Comitia hæc appellabuntur tributa, quoniam habentur in urbe Sirmio?

—8 Al. *unus.*—9 Nonnullis placet, *protexitur.*—10 Vulg. *An* (*ut*) *quod in.*

NOTÆ

ea precatio qua mox ad Deum Orator se convertet: 'Æterne omnium genitor, ipse non genite, opifex et causa mundi, principio antiquior, fine diuturnior, qui templa tibi et aras penetralibus initiatorum mentibus condidisti,' &c. Mitto quæ habentur Epist. xxiv. vers. 112. 'Certa est fiducia nobis, Si genitor, natusque Dei pia verba volentum Accipiat.'

[k] *Quarum Præfecto*] Ipsi Ausonio.

[l] *Tributa ista, quod in urbe, &c.*] Non, quod in urbe haberentur semper tributa Comitia; tam enim extra quam intra pomœrium habita fuisse constat: sed quia in tributis Comitiis ex regionibus et locis urbis suffragia ferebantur. Sirmium porro Pannoniæ oppidum, ubi tunc Gratianus degebat, cum Ausonium fecit Consulem, pro Roma haberi poterat, ex quo Roma cœpit esse ubi esset Imperator.

[redacted]

tur, an, quod in[10] procinctu,[m] Centuriata dicentur? An (ut quondam)[n] Pontificalia vocabuntur, sine arbitrio multitudinis sacerdotum tractata collegio? Sic potius, sic vocentur,[11] quæ tu Pontifex Maximus Deo participatus habuisti. 43. Non est ingenii mei, piissime Imperator, talia comminisci. Verba sunt literarum tuarum: quibus apud me auctoritatem summi numinis, et vim tuæ voluntatis[12] amplificas. Sic enim loqueris: CUM DE CONSULIBUS IN ANNUM CREANDIS SOLUS MECUM VOLUTAREM, UT ME NOSTI, UT FACERE DEBUI,[13] UT VELLE TE SCIVI, CONSILIUM MEUM AD DEUM RETULI. EJUS AUCTORITATI OBSECUTUS, TE CONSULEM DESIGNAVI, ET DECLARAVI, ET PRIOREM NUNCUPAVI. 44. Cujus orationis ordo lucidior? Quæ doctrina tam diligens propriis comitiorum verbis loqui, nec vocabulis moris antiqui nomina peregrina

an Centuriata quoniam fiunt in procinctu? An dicentur Pontificalia, ut quæ olim fiebant a collegio Pontificum absque suffragiis plebis? Ita potius, ita appellentur hæc quæ tu Pontifex Maximus exercuisti communicans cum Deo. Non est acuminis mei excogitare talia, piissime Princeps: hæ sunt ipsæ voces Epistolæ tuæ; quibus mihi exaggeras auctoritatem supremi numinis, et efficaciam tui consilii. Nam ita loqueris: Cum solus meditarer apud me de eligendis Consulibus in annum, petii a Deo consilium, ut scis me *solere*, ut debebam facere, ut noveram te cupere. Obediens ejus voluntati designavi te Consulem, et renuntiavi, et appellavi priorem. *Cujusnam orationis clarior series est? Quænam eruditio adeo accurata in adhibendis propriis verbis comitiorum, neque admiscendis*

Delendum monet Acidalius τὸ *ut* vel *quod*.—11 Vulgo omnes: *vocetur*.—12 ‘*Et ut tuæ voluntatis*] Τὸ *ut* recte omittere Stephanum docet Rittershusius.’ *Hedenus.* Vid. Not. Var.—13 *Atque ut facere debui* vulg. Τὸ *atque* delendum conjicit Tollius, quoniam mox in secundo Vossiano: *et velle te sciri* pro

NOTÆ

[m] *An, quod in procinctu*] Hoc est, in armis, cum parati et procincti tunc, cum Gratiano, essent milites adversus Sarmatas et alios barbaros bellaturi. Centuriata porro Comitia, teste Gellio lib. xv. intra pomœrium fieri nefas erat, quia exercitum extra urbem imperari oporteret, intra urbem imperari jus non esset: propterea Centuriata in Campo Martio habebantur, exercitusque imperari præsidii causa solebat, quoniam populus in suffragiis ferendis erat occupatus.

[n] *Ut quondam*] Ante legem quam Cn. Domitius Ænobarbus Tribunus plebis, infensus Pontificibus, quod alium quam se in patris sui demortui locum cooptassent, tulit, anno ab U. C. 651. ut Sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet, ut referunt Paterculus et Suetonius.

miscere? Valete modo classes populi, et urbanarum Tribuum prærogativæ,[o] et Centuriæ jure vocatæ. Quæ comitia pleniora unquam fuerunt, quam quibus præstitit Deus consilium, Imperator obsequium? 45. Et nunc ego, piissime Imperator, ne fastigium auditorii sacri[p] dictorum tuorum timidus interpres offendam, divinitatis tuæ prope cum[14] piaculo[q] verba transcurro. 46. CUM DE CONSULIBUS, inquis, IN ANNUM CREANDIS. Erudita vox, et cura solennis![15][r] SOLUS MECUM VOLUTAREM. O profundi altitudo secreti![16] Habes ergo consiliatorem, et non

barbaris vocibus cum verbis prisci usus? Jam valete classes populi, et prærogativæ Tribuum urbanarum, et Centuriæ jure vocatæ. Quænam unquam comitia perfectiora fuerunt, quam ea in quibus Deus præbuit consilium, et Imperator obedivit ei? Ac jam ego, Princeps piissime, ne peccem adversus celsitatem hujus sacri auditorii, explicando meticulose tua verba, percurro voces tuæ Majestatis pæne cum sacrilegio. Cum de creandis Consulibus in annum, *inquis. Oratio docta, et solicitudo solennis Imperatori?* Solus meditarer apud me. *O profunditas arcani intime abditi! Habes igitur consiliarium, et non times proditorem.* Ut scis me *solere, quid*

---

ut: unde existimat has copulas ab librario insertas.—14 Credit Tollius fuisse: *divinitatis tuæ propemodum:* in libris: *d. tuæ probem cum p.*—15 'Omittunt alii libri ista, *et cura solennis:* leguntque, *et cum solus mecum.* Ego video ex his, *et cum solus*, facile potuisse fieri, *et cura solennis:* superflua tamen vix putem. Certe si aliena illa, non video, quid ista hic faciant, *et cum.* Non profecto ad nexum sequentium posuit Ausonius, qui nihil tale addit in reliquis. Ut omnino credam, legitima esse, *et cura solennis:* cum et sensui optime conveniant, et tam facile *solennis* occasione *τοῦ solus* in aliis omitti, et *cura* in *cum* mutari potuerit, quam in aliis eadem ob eandem literarum similitudinem geminari.' *Acidalius.* Vid. inf. et Not. Var.—16 Vossianus alter: *altitudo con-*

[redacted]

metuis proditorem. UT ME NOSTI. Quid familiarius? UT FACERE DEBUI. Quid[17] constantius? UT VELLE TE SCIVI. 47. Quid dici blandius potest? CONSILIUM MEUM AD DEUM RETULI. Et quemadmodum SOLUS, cui præsto est tam grande consilium?[18] An plenius cum Senatu, cum Equestri ordine, cum plebe Romana, cum exercitu tuo, et provinciis omnibus deliberasses? CONSILIUM MEUM AD DEUM RETULI. 48. Non ut, credo, novum sumeres, sed ut sanctius fieret, quod volebas. EJUS AUCTORITATI OBSECUTUS:[19] scilicet ut in consecrando patre, in ulciscendo patruo, in cooptando fratre fecisti. 49. TE CONSULEM DESIGNAVI, ET DECLARAVI, ET PRIOREM NUNCUPAVI. Quis hæc verba te docuit? Ego tam propria et tam Latina nescivi. DESIGNAVI, ET DECLARAVI, ET NUNCUPAVI. Non fit hoc temere. Habet moras suas dispertitis gradibus tam matura cunctatio. 50. Has ego literas tuas si in omnibus pilis atque porticibus, unde de plano legi possint,[t] instar edicti pendere mandavero; nonne

familiarius dici potest? Ut debebam facere, *quid, perseverantius?* Ut noveram te cupere, *quid blandius?* Petii a Deo consilium, *et quomodo* solus *es cum tibi adsit tam amplum Consilium? An plenius deliberavisses cum Senatu, cum ordine Equestri, cum plebe Romana, cum tuo exercitu, et universis Provinciis?* Petii consilium a Deo, *non, arbitror, ut caperes novum, verum ut quod decreveras fieret sanctius.* Obediens ejus voluntati, *nempe ut fecisti in referendo parente tuo in Divorum numerum, in ulciscendo patruo, in assumendo fratre in collegam Imperii.* Designavi te Consulem, et renuntiavi, et appellavi priorem. *Quis te docuit hæc verba? Ego certe nescivi tam propria, et tam Latina.* Designavi, et renuntiavi, et appellavi. *Non hoc fit absque consilio. Cunctatio tam prudens habet moras suas gradatim dispositas. Si ego jussero has tuas literas appendi tanquam edictum aliquod ad omnes columnas, et in omnibus Porticibus, unde possint legi ex*

'et non metuis proditorem.'—17 Acidalio hic omnes, [Vid. inf.] præter Scaligerum, subscribunt.—18 *Concilium* legitur in vet. libro.—19 Vid. Not. Var.

NOTÆ

sonat Acidalii observatio. 'Cura' Imperatori 'solennis' est Consulum creandorum, quæ quotannis redit.

[s] *Ut me nosti. Quid familiarius? Ut facere debui. Quid, &c.*] Sic singula singulis interjicienda potius, quam disjuncta post simul ponenda censuit Acidalius recte. Subjectio est elegantissima.

[t] *Unde de plano legi possint*] Id est, non altius suspensæ, quam quo visus commode pervenire possit. Vetus est formula: 'Unde de plano recte legi possit:' his literis V. D. P. R. L. P. in vetustis marmoribus quibusdam expressa.

tot statuis honorabor, quot fuerint paginæ libellorum? 51. Sed ad blandiora[20][u] festino. Ab hac enim literarum ad me datarum parte digressus, eo quoque descendisti, ut quæreres, qualis ad me trabea mitteretur.[v] Omne largitionum tuarum ministerium solicitudine fatigasti. Non ergo supra Consulatum mihi est adhibita per te cura tam diligens, pro me cura tam felix? In Illyrico arma quatiuntur. 52. Tu mea causa per Gallias civilium decorum indumenta dispensas. Loricatus de toga mea tractas. In procinctu, et cum maxime dimicaturus,[1] palmatæ vestis meæ[w] ornamenta disponis: feliciter, et bono omine. Namque iste habitus, ut in pace Consulis est, sic in victoria, triumphantis. Parum est, si qualis ad me trabea mittatur, interroges: te coram promi jubes. 53. Nec satis habes, ut largitionum[2] ministri[x] ex more fungantur:[y] eligis ipse de mul-

plano; an non decorabor totidem statuis, quot appensa fuerint folia ejusmodi Epistolarum? Verum propero ad blandiora. Nam relicta illa parte Epistolæ ad me scriptæ, ad id etiam descendisti, ut inquireres qualis trabea ad me mitteretur. Vexavisti cura omnes Ministros tuarum largitionum. An non igitur, præter Consulatum quem mihi contulisti, hanc induisti pro me solicitudinem tam diligentem ex tua parte, tam faustam mihi? Bella moventur in Illyrico. Tu propter me distribuis per Gallias amictus honorum civilium. Tu lorica indutus agis de toga mea. In procinctu et jamjam pugnaturus ordinas decora meæ togæ palmatæ fauste et præsagio felici. Amictus enim ille, quemadmodum Consulis est in pace, ita etiam est triumphantis in victoria. Tanquam parum sit, si quæras qualis toga mittatur ad me: imperas depromi eam ante oculos tuos. Neque contentus es quod ministri largitionum tuarum exequantur jussa tua more solito: tu ipse seligis unam ex mul-

[redacted]

[redacted]

tis: et cum elegeris, munera tua verborum honore prosequeris. PALMATAM, inquis, TIBI MISI,[2] IN QUA DIVUS CONSTANTIUS[3] PARENS NOSTER[4] INTEXTUS EST. Me beatum, cujus insignibus talis cura præstetur! Hæc plane, hæc est picta, ut dicitur, vestis, non magis auro suo, quam tuis verbis. 54. Sed multo plura sunt in ejus ornatu, quæ per te instructus intelligo. Geminum quippe in uno habitu radiat nomen Augusti. Constantius

tis: et postquam selegisti eam, adjungis muneribus tuis verba honorifica. Misi, *ais*, ad te togam palmatam, in qua picta est acu effigies Divi Constantii patris nostri. *O me felicem! in cujus ornamentis eligendis ejusmodi diligentia adhibeatur. Hæc prorsus, hæc vestis picta est, ut dicunt, non magis auro ipsi intexto, quam tuis verbis. At longe plura sunt in illius exornatione, quæ agnosco, amictus ea per te. Etenim nomina duorum Augustorum micant in una veste. Constantius*

NOTÆ

quærendæ trabeæ.

[2] *Palmatam tibi misi*] Togam hanc supra dixit ut in pace Consulis, sic in victoria triumphantis fuisse. 'Palmata' autem, juxta Isidorum lib. XIX. Orig. dicebatur, 'quam merebantur ii qui reportabant de hostibus palmas. Vocabatur et toga picta, eo quod Victorias cum palmis intextas haberet.' Eandem vero 'togam' fuisse et 'palmatam,' et 'pictam;' et 'Triumphalem' recte observat in Adversariis Turnebus ex 'Metello,' qui Valerio in veste 'Palmata,' Sallustio in 'Picta,' Plutarcho *ἐν Θριαμβικῇ* convivia celebrasse dicitur.

[3] *In qua Divus Constantius parens noster*] Constantius Constantini Magni filius, qui moriens prægnantem reliquit Faustinam conjugem, ex qua edita posthuma ejus nomine appellata Constantia cum adolevisset, matrimonii jure copulata est Gratiano, ut ait Ammianus Marcellinus lib. XXI. Hinc eum hic Gratianus appellat parentem.

[4] *In qua D. Constantius . . . intextus est*] Sensum hujusce loci non cepit cl. Antiquit. explan. auctor, cum Supplem. Tom. IV. p. 8. Gallice ita reddidit: *Je vous envoye la Toge ornée de palmes que nôtre pere Constance portoit.* Ceterum hinc patet Consularem togam, uti et Triumphalem variis emblematibus seu figuris intextam fuisse: qualem scilicet Jovis Olympii ornatum describit Pausanias lib. v. *Τῷ ἱματίῳ ζώδιά τε καὶ τῶν ἀνθῶν τὰ κρίνα ἐστὶν ἐμπεποιημένα*: 'Tunicæ et animalcula et ex floribus lilia sunt intexta.' Sic quoque in Stiliconis Dyptico exteriorem tunicam floribus distinctam videre est, orariumque duobus Consulibus intextum. Sic et in Basilii Dyptico cernitur ima ora viri in bigis currentis effigies. Utrumque habes Antiq. explan. Supplem. Tom. III.

Mos autem ille antiquitus ab Etruscis ad Romanos fluxit, ut docet Macrobius Saturnal. lib. XI. cap. 6. 'Tull. Hostilius, rex Romanorum tertius, debellatis Etruscis, sellam Curulem, lictoresque, et Togam pictam atque prætextam, quæ insignia Magistratuum Etruscorum erant, primus, ut Romæ haberentur, instituit.'

in argumento vestis intexitur: Gratianus in muneris honore sentitur. 55. Accessit tam impenso beneficio tuo pondus quorundam sciscitatione cumulatum. Interrogatus, quem priorem decerneres Consulem, NEC DUBITANDUM esse dixisti tu: et, qui tecum boni sunt, dubitare non poterant. Sed tamen ad hoc dictum erexerant animos, qui libenter clarissimum virum Collegam meum, quem præsentem habebat occasio, prælatum credidissent. Fatigantes tamen, quod intellexerant, requirebant. 56. Hic tu, sicut mihi renuntiatum est, noto illo pudore tuo paulisper hæsisti: non rationis ambiguus, sed eorum dubitationem vultu et rubore condemnans, qui studium suum[4][b] interpretationis errore palpabant. Deinde illico subdidisti: QUID DE DUOBUS CONSULIBUS DESIGNATIS QUÆRITIS, QUIS ORDO SIT NUNCUPATIONIS? ANNE ALIUS[5] QUAM QUEM PRÆFECTURA CONSTITUIT? 57. O felicem verecundiam tuam, cui ista popularis ratio tam prudenter occurrit! Scisti aliud, Gratiane, quod[6] diceres:[c] sed propter quorun-

intexitur in pictura togæ: Gratianus sentitur in honore muneris. Addita est tam ingenti tuo muneri dignitas aucta percontatione quorundam. Tu rogatus utrum ex Consulibus designares priorem, respondisti non *esse* ambigendum: *et probi viri qui sunt tecum non poterant ambigere. At nihilominus illi qui propendebant ad existimandum præclarum virum collegam meum, quem occasio coram offerebat, mihi antepositum esse, sustulerant animos ad hanc vocem. Molesti interim rogabant adhuc id quod satis intellexerant. Tunc tu, ut ad me relatum est, tantisper hæsitasti ista tua solita verecundia; non incertus consilii, sed damnans facie eru-*

[redacted]

[redacted]

dam verecundiam dicere noluisti. Scrupulosus hic mihi locus est: et propter eam, quam nunquam appetivi, gloriam, recusandus. Cum prior renuntiatus sim, satis est tuum tenere judicium: interpretes valete meritorum. 58. Neque autem ego, sacratissime Imperator, in tenui beneficio gradum nuncupationis amplector. Num est hæc gloria ignota Ciceroni? *Prætorem me*, inquit,[d] *populus Romanus primum fecit, Consulem priorem.* Ex ipsa ejus sententia intelligitur commendabilius ei videri, uni quam pluribus esse præpositum. Nulla enim est quidem contumelia secundi: sed ex duobus gloria magna prælati. 59. Alexandri Macedonis hoc fertur: cum legisset illos Homericos versus,[e] quibus Hectore provocante, e novem ducibus, qui omnes pugnare cupiebant, unum deligi placeret sortis eventu, trepida ubi conceptione votorum Jovem Optimum Maximum totus precatur exercitus, ut Ajacem, vel Tydei filium, aut ipsum regem ditium Mycenarum sortiri patiatur

deres, o Gratiane, at noluisti id respondere ut parceres pudori nonnullorum. Locus hic injicit mihi religionem, et detrectandus mihi est ob illum honorem quem nunquam concupivi. Quandoquidem nuncupatus fui prior, sufficit mihi stare tuo judicio: facessite vos, qui expenditis merita. Ego vero, Imperator Augustissime, non accipio tanquam leve munus, quod prior nominatus sum. An hic honor incognitus est Ciceroni? Populus Romanus, inquit, creavit me primum Prætorem, priorem Consulem. Agnoscitur ex illa ejus sententia arbitrari eum honorificentius esse prælatum fuisse uni quam multis. Nam nullum quidem dedecus redundat in secundum; verum ingens est decus illius ex duobus qui antepositus est alteri. Hoc narratur de Alexandro Macedone: cum legisset illa carmina Homeri in quibus, cum Hector vocaret ad certamen e Græcis aliquem, et visum esset eligi exitu sortis unum ex novem ductoribus, qui cuncti avebant decertare, ubi universus exercitus nuncupatis trepide votis orat Jovem Optimum Maximum, ut sinat sortem cadere in Ajacem, aut filium Tydei, vel ipsum Agamemnonem

NOTÆ

[d] *Prætorem me, inquit, &c.*] In proœmio orationis pro lege Manilia: ‘Propter dilationem Comitiorum ter Prætor primus Centuriis cunctis renuntiatus sum.’ Orat. in L. Pisonem: ‘Me cum Quæstorem in primis, Ædilem priorem, Prætorem primum cunctis suffragiis pop. Romanus faciebat.’ Et paulo post: ‘Me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa civitas, non prius tabella, quam voce priorem Consulem declaravit.’ Ad quæ loca respexit Ausonius.

[e] *Illos Homericos versus*] Iliad. VII. Ζεῦ πάτερ, ἢ Αἴαντα λαχεῖν, ἢ Τυδέος υἱὸν, Ἢ αὐτὸν βασιλῆα πολυχρύσοιο Μυκήνης. ‘Jupiter pater da vel Ajaci sortem obvenire, vel Tydei filio, Vel ipsi Regi ditissimarum Mycenarum.’

[redacted]

Agamemnonem: Occiderem, inquit, illum, qui me tertium nominasset. 60. O magnanimitatem fortissimi viri! Nominari inter novem tertius recusabat; ubi certe pluribus antecelleret, quam subesset. Quanta hic verecundia gravaretur posterior de duobus? Est enim in hoc numero arduæ plena dignationis electio.[7] Cum universis mortalibus duo, qui fiant Consules, præferuntur, qui alteri præponitur, non uni, sed omnibus antefertur. 61. Expectare nunc aures præsentium scio, et eminere in omnium vultu intelligo, quid[8] desiderio concipiatur animorum. Existimant enim cum ea, quæ ad grates agendas pertinebant, summatim tenuiore filo, ut dicitur, deducta libaverim, aliqua me etiam de majestatis tuæ laudibus debere perstringere. 62. Quanquam me istam dixerim seposuisse materiam, et in tempus aliud reservare, nihilominus tamen, ut nunc aliqua contingam, nutu et prope murmure cohortantur. Itaque faciam; quando cogunt volentem; sed majoribus separatis, tenuiora memorabo, nulla spe ad plenum exequendi: sed universi ut intelligant, eorum, quæ intus[f]

regem Mycenarum locupletium: Interficerem illum, ait, qui nominavisset me tertium. O magnanimitatem viri fortissimi! Respuebat nominari tertius inter novem; quo in loco profecto prælatus esset pluribus, quam postpositus. Quanto ille pudore oneraretur, si nominatus esset secundus ex duobus? Nam in hoc numero electio habet honorem cum magna adipiscendi difficultate conjunctum. Quando duo ex hominibus cunctis anteponuntur ceteris ut creentur Consules, ille qui præfertur alteri, non præfertur uni tantum, sed omnibus. Novi nunc aures astantium expectare, et agnosco apparere in ore cunctorum, quid comprehendatur cupidine mentium. Rentur namque cum attigerim ea quæ spectabant ad agendas gratias, enuntiata compendiose oratione, ut aiunt, exili, me debere quoque delibare quædam de laudibus tuæ Majestatis. Etsi monuerim jam me secrevisse hoc argumentum, et reservare in aliud tempus, attamen adhortantur me nutu, ac pæne obmurmuratione, ut nunc perstringam aliqua de illis. Faciam igitur; quando quidem ad id me adigunt jam sponte propendentem. Verum sepositis majoribus, referam tantum minora, non quod sperem me posse vel ea plene prædicare: sed ut omnes norint

ardua plane dignationis electio? vulgatum rectum.' *Acidal.*—8 *Quod* vulg.—

NOTÆ

[f] *Eorum, quæ intus, &c.*] Domesticorum, quæ nemo potest melius nosse quam ego præceptor tuus, qui tecum pæne ab incunabulis vixi. Unde infra: 'Possum videri familiaris notitiæ secretus interpres domestica isthæc non tam prædicare quam prodere.'

prædicanda sunt, a me poscendam esse notitiam, ab aliis dignitatem. Nec excellentia, sed quotidiana tractabo. 63. Nullum tu[9] unquam diem ab adolescentia tua, nisi adorato Dei numine, et reus voti, et illico absolutus egisti; lautis manibus, mente pura, immaculabili[10] [g] conscientia, et, quod in paucis est, cogitatione sincera. 64. Cujus autem unquam egressus auspicatior fuit, aut incessus modestior, aut habitudo cohibitior, aut familiaris habitus condecentior, aut militaris accinctior? In exercendo corpore quis cursum tam perniciter incitavit? Quis palæstram tam lubricus expedivit? Quis saltum in tam sublime collegit? Nemo adductius[11] [h] jacula contorsit, nemo spicula crebrius jecit, aut certius destinata percussit.[i] 65. Mirabamur poë-

petendam esse a me cognitionem eorum, quæ laudanda veniunt in tua vita interiore, ab aliis vero petendam esse eorum exornationem. Neque commemorabo ea quæ eminent inter cetera, sed quæ singulis diebus facis. Tu nullum unquam transegisti diem ab adolescentia tua quin veneratus sis Dei Majestatem, et nuncupaveris votum aliquod, quod statim persolvebas: manibus ablutis, animo mundo, conscientia pura, et, quod in paucis reperitur, candido pectore. Cujus vero unquam exitus in publicum fuit melioris ominis, vel gressus modestior, vel habitus corporis concinnior, vel vestitus domesticus magis decens, vel bellicus expeditior? in corporis exercitationibus quis acceleravit cursum tam velociter? Quis explicavit se tam agiliter in luctando? Quis extulit saltum tam alte? Nemo melius vibravit jacula adducto lacerto, nemo misit sagittas spissius, neque certius attigit scopum. Mirabamur

9 *Nullum te* vulg.—10 Al. *immaculata.*—11 *Abductius* vulg. Vid. Not. Var.—

NOTÆ

[g] *Immaculabili*] Vox inferioris Latinitatis.

* *Immaculabili conscientia*] Docet Ambrosius Psal. 61. adeo castum fuisse Gratianum, ut nullius fœminæ consuetudine usus sit, nisi Constantiæ Constantii filiæ quam duxerat. Unde D. Constantium parentem suum appellat in literis ad Ausonium.

[h] *Nemo adductius*] Sic Acidalius conjicit pro *abductius*, bene. Virg. Æneid. v. 'Post acer Mnestheus adducto constitit arcu Alta petens.' Ubi Servius Hypallagen esse ait; 'nam,' inquit, 'adducitur telum, arcus intenditur.'

[i] *Aut certius destinata percussit*] Eadem Cedrenus de Gratiano, eadem Ammianus, sed vitio ei vertens. Sic enim lib. xxxi. de eo: 'Præclaræ indolis adolescens, facundus, et moderatus, et bellicosus, et clemens; ad æmulationem lectorum progrediens principum, dum etiam tum lanugo genis inserperet speciosa, ni vergens in ludibriosos actus natura, laxantibus proximis, semet ad vana studia Cæsaris Commodi convertisset. Ut enim ille, quia perimere jaculis plurimas feras spectante consueverat populo, et centum leones in Amphitheatrali circulo simul emis-

tam, qui infrænos dixerat Numidas:[k] et alterum, qui ita collegerat,[l] ut diceret in equitando verbera et præcepta esse fugæ et præcepta sistendi. Obscurum hoc nobis legentibus erat. Intelleximus te videntes, cum idem arcum intenderes, et habenas remitteres: aut equum segnius euntem verbere concitares, vel eodem verbere intemperantiam coërceres.[m] Qui te visi sunt hoc docuisse, non faciunt: immo qui visi sunt docuisse, nunc discunt. **66.** In cibis autem, cujus sacerdotis abstinentior cærimonia? In vino, cujus senis mensa frugalior? Operto conclavis tui non sanctior ara Vestalis, non Pontificis cubile castius, nec pulvinar Flaminis tam pudicum. **67.** In officiis amicorum non dico paria reddis:[12] antevenis, et quotiens in obsequendo præcedimus,[13] erubescis pudore tam obnoxio,

poëtam qui appellaverat Numidas infrænos: et alterum poëtam qui sic ratiocinatus erat, ut diceret eos inter equitandum ictibus incitare equos suos ad cursum, et coërcere currentes. Hoc erat nobis obscurum, dum legeremus. At intelleximus hoc, cum te vidimus, quando tu idem adducebas arcum, et laxabas lora, aut instigabas flagro equum lentius gradientem, aut eodem flagro reprimebas cursum ejus immoderatum. Illi qui credebantur te id docuisse, non faciunt ipsi; quin illi qui credebantur docuisse, nunc a te discunt. In cibis vero sumendis, cujus sacerdotis major est in cærimoniis abstinentia? Quod ad vinum spectat, cujus senis mensa est parcior? Ara Vestæ non est sanctior; lectus Pontificis non est pudicior, neque torus Flaminis est tam castus, quam secretum thalami tui. In officiis erga amicos, non dico refers paria: nam etiam prævenis nos: et quotiescumque prævenimus te in obsequio, erubescis verecundia tam demissa, quam deberet esse apud nos, cum tu

12 *Reddi* vulg.—13 *Prævenimus* melius esse quam *præcedimus* censet Acida-

[redacted]

quam in nobis esse deberet ab Imperatore præventis. In illa vero sede, ut ex more loquimur, Consistorii,[n] ut ego sentio, sacrarii tui,[o] nullus unquam superiorum aut dicenda[p] pensius cogitavit, aut consultius cogitata disposuit, aut disposita maturius expedivit. 68. Et aliqua de oratoriis virtutibus tuis dicerem, nisi vererer mihi gratificari.[q] Non enim Sulpicius[r] acrior in concionibus, nec majoris Gracchi[s] commendabilior modestia fuit, nec patris tui[t] gravior auctoritas. Qui tenor vocis, cum incitata pronuntias! quæ inflexio, cum remissa! quæ temperatio, cum utraque dispensas! Quis oratorum læta jucundius, facunda cultius, pugnantia densius, densata glomeratius, aut dixit, aut, quod est liberum,[14] cogitavit? 69. Vellem, si rerum natura pateretur, Xenophon Attice, in ævum nostrum ve-

Imperator nos prævertis. In illo autem tribunali tui consistorii, quemadmodum vulgo dicimus, sacrarii vero ut ego arbitror, nemo priorum principum vel magis solicite meditatus est quæ loqueretur, vel prudentius digessit meditata, vel executus est celerius digesta. Memorarem quoque nonnulla de tuis dotibus in dicendo, nisi metuerem ne viderer mihi gratulari. Nam Sulpicius non fuit vehementior in orationibus ad populum, neque modestia Gracchi senioris fuit laudabilior, neque auctoritas patris tui plus habuit in dicendo ponderis. Quæ firmitas vocis tuæ est quando pronuntias quæ vehementiam habent! Qui flexus quando pronuntias lenia! Quam mirabilis temperies, quando effers utraque! Quis ex oratoribus elocutus est, vel, quod plus habet facilitatis, concepit animo grata suavius, diserta elegantius, repugnantia crebrius, conglobata præcipitantius? Cuperem ut, si per rerum naturam liceret, redires in hanc nostram ætatem o Xenophon

lius.—14 Acidalius suspicatur *liberius*, probante Florido.—15 *Omnia quasi*

NOTÆ

[n] *Consistorii*] Sanctioris Consilii Imperatoris, ubi cum comitibus Consistorianis de Imperii administratione agebat.

[o] *Sacrarii tui*] Ut de numine quodam, ita de Imperatore loquitur, more tunc recepto.

[p] *Aut dicenda, &c.*] Gradatio concinna.

[q] *Nisi vererer mihi gratificari*] Prædicando, una cum tua eloquentia, meam in te docendo operam.

[r] *Sulpicius*] Eximius ille orator Pub. Sulpicius, de quo Cicero lib. III. de Oratore.

[s] *Majoris Gracchi*] Tiberii.

[t] *Patris tui*] Valentiniani, de quo Aurel. Victor: 'Fuit vultu decens, solers ingenio, animo gravis, sermone cultissimus. Quanquam enim ad loquendum parcus, severus, vehemens,' &c. Ammianus lib. XXX. 'Boni, pravique suasor, et dessuasor admodum prudens,' &c. 'Memoria, sermoneque incitato quidem, sed raro facundiæ proximo, vigens.'

nires, tu, qui ad Cyri virtutes exequendas[u] votum potius, quam historiam commodasti: cum diceres, non qualis esset, sed qualis esse deberet. Si nunc in tempora ista procederes, in nostro Gratiano cerneres, quod in Cyro tuo non videras, sed optabas. 70. Atque ista omnia, quæ quasi punctis[15] quibusdam acuminata signavi, si facundia pro voluntate suppeteret, et quanquam non copiosus,[16 v] exequerer, ubertatem stylo rerum magnitudine suggerente. Sed nec hujus diei, nec hujus ista materiæ. Qui dicturi estis laudes Principis nostri, habetis[w] velut seminarium, unde[x] orationum vestrarum jugera compleatis. Ego ista perstrinxi, atque, ut sciunt omnes, possum videri familiaris notitiæ secretus interpres domestica isthæc non tam prædicare, quam prodere. Atque ut ista dixi de

Attice, tu qui adhibuisti potius votum, quam historiam ad narrandas egregias dotes Cyri : cum referres non qualis ille princeps esset, sed qualis deberet esse. Si prodires nunc in hoc ævum, videres in nostro Gratiano, quod non videras in tuo Cyro, sed in eo cupiebas. Et tractarem illa omnia, quæ notari designata velut quibusdam apicibus, si adesset mihi eloquentia par studio, atque etiamsi non abundem eloquio, quoniam amplitudo argumenti subministraret stylo meo copiam. Verum illa non sunt hujus diei, neque hujus propositi. Vos qui prædicaturi estis laudes nostri Imperatoris, ecce vobis quasi seminarium, ex quo conseratis arva vestrarum orationum. Ego leviter delibavi hæc: et, ut omnes norunt, possum videri non tam laudare ista interiora quam patefacere, utpote expositor secretus eorum quæ cognovi in domo Augusta. Et quemadmodum dixi hæc de iis quæ ego, et familiares

punctis vulg. Tilianum exemplar, *omnia quæ punctis*.—16 *S. quanquam non*

[redacted]

[redacted]

cognitis mihi, atque intra aulam familiaribus; possem et foris celebrata memorare; nisi omnia omnes, et separatim sibi quisque novisset. 71. Possem pari brevitate dicere, qua superiora:[17] EMENDATISSIMI VIRI EST PŒNITENDA[18] NON FACERE. At tu nunquam[y] pœnitenda fecisti, et semper veniam pœnitentibus obtulisti. PULCHRUM EST INDULGERE TIMENTIBUS; sed tu perpetuæ bonitatis edictis occurristi omnibus, ne timerent. MAGNIFICUM EST LARGIRI HONORES. Tu honoratos et liberalitate ditasti. LAUDABILE EST IMPERATOREM FACILES INTERPELLANTIBUS[z] PRÆBERE ADITUS, NEC DE OCCUPATIONE CAUSARI. Tu confirmas adire cunctantes: etiam querimoniis explicatis, ne quid adhuc sileatur, interrogas. 72. Celebre fuit Titi Cæsaris dictum, PERDIDISSE SE DIEM,[a] QUO NIHIL BONI FECERAT. Sed celebre fuit, quia Vespasiani successor dixerat: cujus nimia parsimonia, et austeritas vix ferenda miram fecerat filii lenitatem. Tu Valentiniano genitus, cujus alta bonitas, præsens comitas, tem-

qui versantur in aula cognovimus; possem quoque referre ea quæ prædicantur extra aulam; nisi omnes scirent omnia, et singuli seorsim quæ ad se spectant. Possem dicere eodem compendio quo dixi superiora. Hominis est perfectissimi non patrare ea quorum *ipsum postmodum* pigeat. *Sed tu nihil unquam patrasti, cujus te pœnitere deberet, et semper paratus fuisti ignoscere iis quos male factorum pœniteret.* Est *aliquid* egregium benignum esse erga eos qui formidant. *At tu edictis a jugi tua benignitate profectis providisti cunctis, ne quid formidarent.* Magnificum *est* impertiri dignitates. *Tu locupletasti etiam beneficentia tua eos quos auxeras dignitatibus.* Laude dignum est si imperator det facilem accessum convenientibus *se*, neque excuset *se* ob negotia. *Tu addis fiduciam iis qui dubitant te convenire, atque etiam postquam exposuerunt suas querelas, sciscitaris adhuc ne aliquid taceatur ab iis. Celebratum est illud dictum Titi Imperatoris:* se perdidisse diem quo nullum beneficium contulerat *cuiquam. Verum celebratum illud fuit, quoniam prolatum erat a successore Vespasiani, cujus avaritia et acerbitas vix toleranda reddiderat mansuetudinem filii ejus admirabilem. Tu procreatus patre Valentiniano, cujus benignitas profunda fuit, urbanitas*

copiosus vulg. Legit Acidal. *s. et q. n. copiosius.*—17 *Dicere superiora* vulg.—18 *Pigenda* pro *pœnitenda* Tilianus codex, et Parisiensis editio, melius, judice

NOTÆ

[y] *At tu nunquam, &c.*] Hac et sequentibus subjectionibus Gratianum extollit, in majus semper augendo quæ facit.

[z] *Interpellantibus*] Adeuntibus se occupatum.

[a] *Perdidisse se diem*] Vide Sueton. in Tito.

perata severitas fuit, parto et condito optimæ [19] reipublicæ statu, intelligis posse te esse lenissimum sine dispendio disciplinæ. Neque vero unum aliquod bonum uno die præstas: sed indulgentias sæculares [b] per singula horarum momenta multiplicas. 73. Vel illud unum cujusmodi est, de condonatis residuis tributorum? [c] Quod tu quam cumulata bonitate fecisti! Quis unquam Imperatorum hoc provinciis suis aut uberiore indulgentia [20] dedit, aut certiore securitate prospexit, aut prudentia consultiore munivit? Fecerat et Trajanus olim, [d] sed, partibus retentis, [e] non habebat tantam oblectationem concessi debiti portio, quanta suberat amaritudo servati. Et Antoninus indulserat: [f] sed imperii, non beneficii, successor [g] invidit, qui ex documen-

obvia, severitas moderata, nunc cum Respub. optimo statu composita ac firmata est, cognoscis te posse esse mitissimum absque detrimento disciplinæ. Sed neque confers tantum unum aliquod beneficium uno die: verum congeminas per singula puncta horarum largitiones duraturas per sæculum. Vel istud unum tuum beneficium quo remisisti reliquias vectigalium, quale est? Quod tu quam plena benignitate fecisti! Quis Cæsarum unquam aut præstitit hoc suis provinciis largiori condonatione, aut providit eis tutiori cautione, aut stabilivit suum istud beneficium consilio prudentiori? Trajanus etiam fecerat quondam aliquid simile: sed cum reservasset quasdam partes, non tantum voluptatis percipiebatur ex parte debiti remissi, quantum relinquebatur amaroris ex eo quod erat retentum. Antoninus etiam condonaverat ejusmodi reliquias: verum successor imperii ejus non autem benignitatis, invidit hoc provinciis, qui remissa repoposcit juxta instrumenta et tabulas

Vineto.—19 *Optime* vulg. Græviua legit *optimo.*—20 *Uberiore te indulgentia*

[redacted]

[redacted]

-tis tabulisque populi condonata repetivit. Tu argumenta omnia flagitandi publicitus ardere jussisti.[h] 74. Videre in suis quæque foris omnes civitates conflagrationem salubris incendii. Ardebant stirpes fraudum veterum:[i] ardebant seminaria[1] futurarum.[k] Jam se cum pulvere favilla miscuerat, jam nubibus fumus involverat:[2 l] et adhuc obnoxii in paginis concrematis ductus apicum, et sestertiorum notas cum titubantia et trepidatione cernebant:[3] quod meminerant lectum, legi posse etiam tunc verentes.[4 m]

publicas. Tu imperasti, ut omnia instrumenta ex quibus peti ista possent cremarentur publice. Civitates cunctæ viderunt in suo quæque foro illa cremari salutari incendio. Cremabantur radices priscarum fraudium: cremabantur seminaria futurarum. Jam cinis mistus erat pulveri, jam fumus confuderat se cum nubibus, et debitores aspiciebant adhuc cum hæsitatione et metu figuras literarum, et characteres sestertiorum in foliis combustis: timentes etiam tum ne id posset legi in iis, quod recordabantur lectum antea fuisse. Quid benignius, quid prudentius

vulg.—1 *Semina* Tilianus codex.—2 Legendum monet Scaliger, *involuerat*, quod improbat Acidal. Vid. inf.—3 'Ita Scaliger ex *cum juvantia de ratione c.* (quod sensu plane caret) felicissime reposuit.' *Floridus*. Legit Gronovius, *cum ingenti trepidatione*. Hotomannus: *cum denariaria ratione cernebant quas*. In scripto altero est, *conjuvantia:* in Pulmanniano *cum XXX*. Malit Tollius: *conniventi* vel *conducenti de ratione cernebant*.—4 *Veteres* vulg. Vid. Not. Var.

NOTÆ

turpis, improbus, crudelis, libidinosus, gladiator. Sed de iis, quæ pater indulserat, repetitis, nihil scriptores.

[h] *Tu argumenta omnia flagitandi publicitus ardere jussisti*] Hoc ante Gratianum Hadrianus. Spartianus in ejus Vita: 'Ad colligendam autem gratiam nihil prætermittens, infinitam pecuniam, quæ fisco debebatur, privatis debitoribus in Urbe, atque Italia, in provinciis vero etiam ex reliquiis ingentes summas remisit; syngraphis in foro Divi Trajani, quo magis securitas omnibus roboraretur, incensis.'

[i] *Ardebant stirpes fraudum veterum, &c.*] Imp. Constantinus Aug. ad Provinciales lege 6. C. De jure fisci: 'Justas etiam, et quæ locum habent, fisci actiones præcipimus concremari, ob hoc solum, quod suis temporibus prolatæ non sunt: ut jam calumniæ privatorum eo saltem arceantur exemplo, quo justas fisci lites silere præcipimus.'

[k] *Seminaria futurarum*] Instrumenta illa, ex quibus, si superfuissent, intentari actiones fisci nomine in privatos potuissent, et lites moveri innumerabiles.

[l] *Fumus involverat*] Huc refer τὸ *se*, quod præcessit, 'Jam se cum pulvere,' &c. ut ad utrumque pertineat; et planus erit sensus.

[m] *Quod meminerant lectum, legi posse etiam tunc verentes*] Sic optime Tollius post Acidalium. Cujus etiam solertia quæ sequuntur lucem accepere.

Quid te, Imperator Auguste, indulgentius? Quid potest esse consultius? Quæ bona præstas, efficis ne caduca sint: quæ mala adimis, prospicis ne possint esse recidiva. 75. Hæc Provincialibus indulgentiæ bona. Quid illa nostro ordini?[n] quid illa militibus? Antoninorum comitas fuit;[o] et jam inde Germanicorum, cohorti amicorum, et legionibus familiaris humanitas. Sed ego nolo benevolentiam tuam aliorum collatione percellere.[5] [p] Abundant in te ea bonitatis et virtutis exempla, quæ sequi cupiat ventura posteritas; et si rerum natura pateretur, ascribi sibi voluisset antiquitas. Necesse est tamen aliquid comparari, ut possit intelligi, bona nostra quo præstent. 76. Ægrotantes amicos Trajanus visere solebat: hactenus[q] in eo comitas prædicanda est. Tu et visere solitus, et mederi, præbes ministros, instruis cibos, fomenta dispensas, sumtum adjicis medelarum, consolaris affectos, revalescentibus gratularis. In quot vias[r] de una ejus humanitate progrederis! 77.

esse potest te, o Imperator Auguste? Perficis ut beneficia quæ confers non intercidant; et caves ne mala quæ aufers possint redire. Ea sunt bona quæ indulsisti provincialibus. Quid dicam de iis quæ contulisti nostro ordini? Quid de iis quæ contulisti militibus? Eadem fuit ista tua, ac Antoninorum comitas, et consueta humanitas priscorum Germanicorum erga catervam amicorum, et legiones. At ego nolo imminuere tuam benignitatem comparatione aliorum. Cernuntur in te ubertim illa exempla bonitatis et virtutis, quæ futura posteritas optet imitari; et quæ vetustas optasset sibi attribui, si rerum natura sineret. Oportet nihilominus aliquid conferri tecum, ut cognosci possit qua in re bona nostra antecellant ceteris. Trajanus solebat invisere amicos suos morbo decumbentes. Intra hos fines consistit laus humanitatis ejus. Tu vero soles et invisere et mederi, das ministros, præbes

[redacted]

[redacted]

Legionibus universis, ut in communi Marte evenit, si quid adversi acciderat, vidi te circumire tentoria,[s] Satin' salvæ,[t] quærere: tractare vulnera sauciorum: et ut salutiferæ apponerentur medelæ, atque ut non cessaretur, instare. Vidi quosdam fastidientes cibum, te commendante, sumsisse. Audivi confirmantia ad salutem verba profari: occurrere desideriis singulorum: hujus sarcinas mulis aulicis vehere: his specialia jumenta præbere: illis ministeria perditorum instaurare lixarum: aliorum egestatem tolerare sumtu: horum nuditatem velare vestitu. Omnia agere indefesse,[u] et benigne, pietate maxima, ostentatione nulla: omnia præbere ægris, nihil exprobrare sanatis. 78. Inde cunctis salute nostra carior factus, meruisti, ut haberes amicos obnoxios, promtos, devotos, fideles, in ævum omne mansuros: quales caritas, non fortuna,[6] conciliat. 79. Concludam deinceps orationem meam, piissime Auguste, sermo-

una re conclusam? Si aliquid infausti contigerat legionibus totis, ut accidit in bello quod obnoxium est vicissitudinibus, vidi te ire per tabernacula, rogare num bene se haberent, contingere plagas vulneratorum, et urgere ut remedia salutaria adhiberentur, et ut non desisteretur ab iis curandis. Vidi nonnullos, qui respuebant cibum, sumsisse te hortante. Audivi te eis dicere verba quibus eos erigebas in spem convalescentiæ: obviam ire optatis uniuscujusque: jubere portari hujus sarcinas a mulis tuæ aulæ: his dare jumenta singillatim: illis resarcire damnum ministrorum et calonum quos amiserant: sublevare aliorum inopiam tuis impensis: operire amictu horum nuditatem. Facere ea omnia indefatigate, et comiter, summa caritate, nulla jactatione: præstare omnia ægrotantibus, nihil exprobrare sanatis. Hinc evasisti carior nobis omnibus quam nostra vita, et dignus qui haberes amicos tibi obstrictos, promtos, addictos, fidos, perstituros in amicitia perpetuo: cujusmodi amicos amor parat, non fortuna. Finiam modo meum orationem, piissime Impe-

—5 *Præcellere* vulg.—6 *Caritas potius, quam f.* vulg. *Acidalius m. prorsus*

NOTÆ

[s] *Vidi te circumire tentoria*] Plin. in Paneg. de Trajano: 'Non tibi moris tua inire tentoria, nisi commilitonum ante lustrasses, nec requiem corpori, nisi post omnes dare.'

[t] *Satin' salvæ*] Supple 'eos essent.' Usitata quærendi de salute ac statu formula. Liv. lib. I. de Lucretia: 'Quærentique viro, Satin' salvæ? Minime, inquit. Quid enim salvi est mulieri amissa pudicitia?' Et passim apud scriptores Latinos.

[u] *Omnia agere indefesse, &c.*] Fere cum Ausonio consentit Ammianus ipse, qui lib. XXVII. Gratianum fatetur, si diutius vixisset, vel maximis principibus parem futurum fuisse. Huic tamen objicit operam in figendis belluis male perditam, quam concusso et labanti Imperio melius præstitisset.

[redacted]

nis magis fine, quam gratiæ. Namque illa perpetua est: et, spatio non transmeabili, terminum calcis[v] ignorat. Flexu tamen parvo,[w] nec a te procul,[x] convertar ad Deum. 80. Æterne omnium genitor, ipse non genite, opifex et causa mundi, principio antiquior, fine diuturnior, qui templa tibi, et aras penetralibus initiatorum mentibus condidisti, tu Gratiano humanarum rerum domino ejusmodi semina nostri amoris[y] inolesti, ut nihil in digressu segnior factus, meminisset et relicti;[z] illustraret absentem, præsentibus anteferret. Dein quia interesse primordiis dignitatis per locorum intervalla[a] non poterat; ad solennitatem condendi honoris[b] occurreret, beneficiis ne deesset officium. 81. Quæ enim memoria unquam[7] transcursum tantæ celeritatis, vel

rator, termino sermonis potius quam gratiæ. Hæc enim sempiterna est; et, cum duratura sit tempore nunquam transituro, nescit finis extremitatem. Deflectam tamen ad Deum leni digressione, neque longe a te. Æterne parens rerum omnium, ipse nunquam genitus; fabricator et causa orbis, vetustior omni principio, diuturnior termino omni, qui exstruxisti tibi delubra et altaria in intimis animis eorum qui instructi sunt tuis mysteriis; tu indidisti Gratiano dominatori humani generis talia semina amoris erga me, ut nequaquam lentior factus in discessu a me recordaretur adhuc mei quem reliquerat; decoraret me absentem, præponeret præsentibus. Deinde, quoniam per distantiam locorum non licebat ei adesse principiis hujus mei honoris, accurreret ad solennitatem ineundi mei Magistratus, ut hoc præsentiæ suæ officio beneficium suum condecoraret. Nam quæ historia etiam

quales c. non f.—7 *Quæ enim memoria, memoria, inquam* vulg. Vossianus alter:

NOTÆ

[v] *Terminum calcis*] Metaphora. Calx, et Calcaneum, talus, humani corporis extremitas est.

[w] *Flexu tamen parvo*] Imitatur Plin. in Panegyrico.

[x] *Nec a te procul*] Quippe qui Deo es proximus.

[y] *Nostri amoris*] Mei.

[z] *Relicti*] Mei quem reliqueras.

[a] *Per locorum intervalla*] Erat nempe Gratianus Sirmii in Pannonia, Ausonius in Gallia apud Augustam Trevirorum.

[b] *Condendi honoris*] Primordia dignitatis fuerant ipsa Principis designatio, trabeæ missio. Solennitas condendi honoris non videtur alia fuisse, quam ipsius Consulatus Kal. Jan. apprehensio.

* *Condendi honoris, &c.*] Aberrat noster, dum ea exponit de 'ipsius Consulatus Kal. Jan. apprehensione.' Supra enim dixit Ausonius Gratianum per locorum intervalla primordiis dignitatis interesse non potuisse. Quin etiam ex legibus, Sirmii Februario mense, Mediolani Julio, aliisque a Gratiano alibi datis, constat non nisi exeunte anno 379. Treverim devenisse, ut me jam monuisse memini. Huc accedit quod τὸ 'condere' nunquam usurpatum est pro inire, auspicari;

[redacted]

in audacibus Græcorum fabulis,[c] commenta est? Pegasus volucer actus a Lycia,[d] non ultra Ciliciam permeavit. Cyllarus[e] atque Arion[f] inter Argos Nemeamque senuerunt. Ipsi Castorum equi, quod longissimum iter est,[8 g] non nisi mutato vectore transcurrunt. 82. Tu, Gratiane, tot Romani imperii limites, tot flumina et lacus, tot veterum intersepta regnorum, abusque Thracia,[h] per totum, quam longum est, latus Illyrici,[9] Venetiam, Liguriamque, et Galliam

in audacibus commentis Græcorum finxit unquam transitum tantæ velocitatis? Pegasus alatus profectus a Lycia, non penetravit trans Ciliciam. Cyllarus et Arion consenuerunt inter Argos et Nemeam. Ipsi equi Dioscurorum non percurrunt viam quæ est longissima, nisi mutato sessore. Tu, Gratiane, emetiris tot fines Romanæ ditionis, tot amnes et lacus, tot terminos regnorum antiquorum, ab ipsa usque Thracia per totum latus Illyrici, quantumcunque longum est, Venetiam, et Liguriam,

Quæ enim memoriam unquam memoria.—8 Al. *interest.*—9 Pulmannus, *lacus Illyrici.* Vulg. est: *Per totum, quam longus est, locum Illyrici.* Legendum mo-

NOTÆ

immo 'condere' passim apud Poëtas est absolvere. Sic Maro in Bucol. dixit, 'condere Soles,' id est, dies exigere, absolvere.

[c] *Vel in audacibus Græcorum fabulis*] Juvenal. 'Creditur altum Velificatus Athos, et quicquid Græcia mendax Audet in historia.'

[d] *Pegasus volucer actus a Lycia, &c.*] A Bellerophonte, sed prius a Perseo actus fuerat ab ultima Africa in Æthiopiam, et inde in Græciam, unde postea in Lyciam Asiæ minoris provinciam.

[e] *Cyllarus*] Virg. lib. III. Georg. 'Qualis Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus,' &c. Ubi Servius Pollucem pro Castore, cujus equus ille fuerit, positum observat, vel certe Pollucem pro Castore positum, quia ambo licenter et Polluces et Castores vocantur.

[f] *Arion*] Non musicus ille Delphini sessor, sed equus 'Αρείων, Neptuno in equum mutato, et Cerere Erinny genitus, a Neptuno donatus Lepræo Halyatti, Bœotiæ urbis regi; a Lepræo, Herculi; atque ab Hercule, regi Argivorum Adrasto, qui eo vectus Nemea in Archemori honorem celebravit. Statius videndus lib. IV. et VI. Thebaid. Homer. Iliad. XXIII. De hoc Propertius: 'Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion Tristis ad Archemori funera victor equus.'

[g] *Quod longissimum iter est, &c.*] Quodnam longissimum iter illud sit, quod mutato vectore transcurrunt Castorum equi, non video aliud, nisi iter illud quod fratres illi, vices mortalitatis et immortalitatis commutantes, a cœlo ad orcum, et ab orco ad cœlum conficiunt, de quo Virg. Æneid. VI. 'Si fratrem Pollux alterna morte redemit, Itque reditque viam toties.' Ita ut equos mutent in occursu.

[h] *Abusque Thracia*] Ubi interfectus a Gothis, et crematus in casa, Valens fuerat, cui suppetias latum ibat Gratianus, sed serius.

[redacted]

veterem,[i] insuperabilia Rhætiæ,[k] Rheni[l] aquosa,[m] Sequanorum invia,[m] porrecta Germaniæ,[n] celeriore transcursu, quam est properatio nostri sermonis, evolvis, nulla requie otii, ne somni quidem, aut cibi munere liberali, ut Gallias tuas inopinatus illustres: ut Consulem tuum, quamvis desideratus, anticipes: ut illam ipsam, quæ auras præcedere solet, famam, facias tardiorem. Hoc senectuti meæ, hoc honori a te datum. 83. Supremus ille imperii, et consiliorum tuorum Deus conscius, et arbiter, et auctor, indulsit, ut sellam curulem,[o] (cujus sedem frequenter ornabis,)[p] ut prætextam meam purpuræ tuæ luce fucatam, ut trabeam non magis auro suo, quam munere tuo splendidam, quæ ab Illyrico sermonis dignitas honestavit, apud Gallias illustriora præstares: Quæstorem ut tuum, Præfectum ut tuo

et priscam Galliam, montes Rhætiæ insuperabiles, aquas Rheni, avios saltus Sequanorum, campos patentes Germaniæ, transitu velociore quam est festinatio meæ orationis, nullo sumto tempore ad otiandum, ac ne capto quidem somno, aut cibo satis largo, ut improvisus affulgeas tuis Galliis: ut prævenias Consulem tuum quanquam ab eo exoptatus: ut reddas lentiorem illam ipsam famam quæ solet anteire ventos. Hoc indulsisti meæ senectæ, et meæ dignitati. Deus summus ille testis, et moderator, et auctor Imperii, et consiliorum tuorum, concessit mihi ut mea sella curulis, (cujus sæpe decorabis sedem,) ut mea prætexta, picta splendore tuæ purpuræ, ut mea trabea non magis fulgens auro quo est intexta, quam quod a te mihi data est, quæ omnia ornasti verbis ab Illyrico per Epistolam, magis decorarentur a te in Galliis: ut consecrares honore præsentiæ tuæ augustæ me

net Grævius: *per totum, quam longum est, Illyrici latus.*—10 *Rheni accolas* vulg.

NOTÆ

[i] *Galliam veterem*] Cisalpinam.

[k] *Insuperabilia Rhætiæ*] Alpium altitudines, in quibus mediis montibus est Rhætia, hodie *les Grisons.*

[l] *Rheni*] Cujus origo in Rhæticis Alpibus.

[m] *Sequanorum invia*] Sylvas saltusque quibus scatet ea regio.

[n] *Porrecta Germaniæ*] Ne hic Germaniam illam magnam intelligas, quam Rhenus a Gallia dirimit, sed eam Galliæ partem, quæ cis Rhenum posita Alsatiam et reliquas secundo Rheno ad Mosellam pæne usque sitas regiones complectitur, et Germania superior dicebatur, qua a Sequanis iter erat Treviros versus, ubi tunc Prætorium Galliarum, et ubi degebat tunc temporis Ausonius.

[o] *Ut sellam curulem, &c.*] Recapitulatio brevis beneficiorum Gratiani supra laudatorum.

[p] *Cujus sedem frequenter ornabis*] Sæpe Consul refectus. Hoc fuit Ausonii votum, quod mors Gratiani, a Maximo Tyranno paulo post interfecti, fecit irritum.

[redacted]

Prætorio, Consulem tuum, et, quod adhuc cunctis meis nominibus anteponis, Præceptorem tuum, quem pia voce [q] declaraveras, justa ratione prætuleras, liberali largitate ditaveras, augustæ dignationis officiis consecrares.

Quæstorem tuum, Præfectum me Prætorio, Consulem tuum, et (quod adhuc præfers omnibus meis titulis) præceptorem tuum, quem pia voce renuntiaveras Consulem, quem justa de causa priorem declaraveras, quem locupletaveras larga munificentia.

NOTÆ

q *Quem pia voce, &c.*] Isocolon elegans.

AUSONII

BURDIGALENSIS

PERIOCHÆ

IN

HOMERI ILIADEM ET ODYSSEAM.

IN ILIADEM. 420

Si Homerum scriptorem Troici belli eatenus, qua Iliadem suam incipit, quaque finit, percenseamus; orsum ab iracundia Achillis ad sepulturam Hectoris, quatuor et viginti libros contexuisse monstrabimus. Hæc ejus species apparet summam cutem primi operis intuenti. Verum hoc

[redacted]

ultimum fuit. 2. Nam si ratio putanda est oppugnationis decennis, nonus fere annus, idemque prope finem sui, ea negotia continebit, quæ ab injuria Agamemnonis,[b] ac Briseidis usurpatione, usque ad funus Hectoris[c] digna memoratu erunt: illa temporum[1] series, quæ ab ejusdem belli causis, atque origine, pertinent ad urbis excidium.[d] 3. Atqui ex eo eveniet, ut ignaris judicandi, et poëticæ œconomiæ expertibus,[2] [e] multa nobilia ab exordio belli usque ad Achillis jurgium omissa videantur. Nec minus multa ab Hectoris funere ad usque deletum Ilium. Quorum quidem maxima expectatio erat, propter tam longi certaminis con-

fere extremum. Etenim si subducenda est ratio obsidii decennalis, annus circiter nonus, atque is prope extremus, complectetur eas res quæ erunt digna relatu ab injuria Agamemnonis in Achillem, et raptu Briseidis usque ad funus Hectoris: ordo autem temporis ea continet quæ extenduntur a causis, et principio ejusdem belli, usque ad eversionem urbis. At inde fiet ut ii qui imperite judicant, et ignorant distributionem poëticam, putent plurima scitu digna, quæ evenerunt ab initio belli usque ad rixam Achillis, fuisse prætermissa. Neque pauciora etiam omissa esse a funere Hectoris usque ad excidium Trojæ; quorum quidem summa erat

1 Legit Gronovius: *non illa temporum.* Vid. inf.—2 *Et œconomiæ exp.* vulg.

NOTÆ

[b] *Ab injuria Agamemnonis*] Non ab Agamemnone accepta, sed ab eo illata Achilli; unde Iliadem orditur Homerus.

[c] *Usque ad funus Hectoris*] Ubi desinit Ilias.

[d] *Illa temporum series, quæ ab ejusdem belli causis, atque origine, pertinent ad urbis excidium*] Horum sensus nullus apparet. Præfigit Gronovius particulam *non*, ut sensum aliquem eliciat, legitque *non illa temporum series, &c.* Sed neque sic sententia mihi videtur constare aperta. Ut planius et apertius aliquid elicerem, pro *pertinet* legi *pertinent*, reposito, qui facile a librariis omitti potuit, titulo indice τοῦ *n*: suppletaque aut subintellecta voce 'continet,' aut aliquid simile, ut sit sensus quem in Interpretatione expressi.

[e] *Poëticæ œconomiæ expertibus*] 'Œconomiam,' verti distributionem. Vox tamen illa, a rebus domesticis ad poëma translata, non distributionem tantum seu partitionem, sed etiam judicium, ordinem, quæque elocutionis sunt, complectitur, teste Quintiliano. Verum a potiori parte distributionem verti, cum non suppetat vox Latina quæ totam illius vim exprimat. Hanc in Homero Œconomiam laudat Horatius lib. de Arte Poëtica his versibus: 'Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo. Semper ad eventum festinat, et in medias res, Non secus ac notas, auditorem rapit: et quæ Desperat tractata nitescere posse, relinquit. Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet, Primo ne medium, medio ne discrepet imum.'

summationem: sed ut divinum poëtam nihil, quod illustre fuerit, omisisse appareat, atque omnia, quæ finiri oportuit, contigisse; breviter, et in epitomæ speciem, belli Troici causam originis, apparatusque, quæ annis superioribus acciderunt, retexuimus. 4. Horum omnium prima origo est Paridis judicium inter Deas: deinde classis[3] contextio: qua idem Paris in Europam navigavit. Tum raptio Helenæ: quæ opinione veterum bipertita est: quod plerique Helenam juxta Homericum plasma ad Trojam deportatam fuisse existimaverunt; nonnulli autem[f] opinati sunt, cum Alexander cursu deerrasset, delatusque ad Ægyptum fuisset, cognita hospitalis fœderis injuria,[g] per Ægyptium regem,[h] servantissimum justi virum, Helenam cum iis, quæ una cum eadem fuerant abrepta,[4] Paridi sublatam, expugnatoque demum Ilio Menelao restitutam.

expectatio, ob finem belli tam diuturni. Verum ut perspicuum sit divinum illum vatem nihil prætermisisse, quod fuerit insigne, et tractasse cuncta quæ opus fuerit absolvi; recensuimus paucis et instar compendii causam exorti belli Trojani, et apparatus ejus, quæ contigerunt annis præcedentibus. Primus fons eorum omnium est judicium Paridis redditum inter Deas: tum fabricatio classis, qua idem Paris trajecit in Europam. Deinde raptus Helenæ, de quo duplex est antiquorum sententia: quia maxima pars crediderunt Helenam fuisse delatam Ilium, secundum fictionem Homeri: quidam vero existimaverunt, cum Paris aberrasset a via sua, et devectus fuisset ad Ægyptum, regem Ægypti, virum tenacissimum æquitatis, cum audivisset violatum a Paride fœdus hospitii, eripuisse Paridi Helenam cum iis rebus quas rapuerat simul cum ea, et tandem post captam Trojam reddidisse eam Menelao.

[redacted]

[redacted]

3. Chryses, Apollinis sacerdos, ob redimendam filiam cum Agamemnoni supplicasset, contumeliose[1] repulsus, Deum precatur ultorem. Insecuta subinde gravi pestilentia, cum Græcorum exercitus interiret; cogit Achilles concilium: et ab eodem invitus Calchas[a] morbi causam compellitur indicare. 4. Qua cognita, Agamemnon concitatur in Achillem: qui percitus iracundia, etiam cædem regis audebat, nisi[b] eum in ultimum furorem progredi Minerva vetuisset. A quo Briseis concubina in locum Chryseidis, quæ patri reddebatur, abducta est. Inde Thetis mater ad cœlum, lacrymas et contumeliam filii miserata, proficiscitur. Quæ fiducia defensi quondam cum Ægæone Jovis,[c] ultum iri affectans[2] injuriam obtestatur summum Deorum, ut Trojanos in rebus[3] belli superiores esse patiatur. 5.

Chryses sacerdos Phœbi, cum supplex orasset Agamemnonem, ad redimendam ab eo filiam suam, rejectus cum probro, invocat Deum illum vindicem adversus eum. Deinde sæva pestilentia secuta, cum exercitus Græcorum moreretur; Achilles congregat cœtum Græcorum, et ipse idem cogit Calchantem, quanquam nolentem, aperire causam illius morbi. Quæ cum patefacta esset, Agamemnon commovetur adversus Achillem: qui stimulatus ira ausus esset quoque interficere regem, nisi Pallas prohibuisset illum procedere ad extremam rabiem. Et concubina ejus Briseis erepta est ei ab Agamemnone in locum Chryseidis, quæ restituebatur patri ipsius. Ea de causa mater ejus Thetis, miserta fletuum et injuriæ filii sui, it in cœlum. Quæ eo freta, quod defendisset olim Jovem cum Briareo, cupiens vindicari contumeliam filii, obsecrat supremum Deorum, ut sinat Trojanos bello vincere. Quæ

1 Al. *et contumeliose.*—2 *Affectanti* vulg.—3 'Τὸ *in rebus* suspectum habet Gronovius, fastidiose nimis.' *Floridus.*

NOTÆ

1 *Iram, Diva, refer*] Versus sunt e principio Iliadis Μῆνιν ἄειδε, Θεὰ, &c. Latine ab Ausonio redditi.

[a] *Calchas*] Vates.

[b] *Cædem regis audebat, nisi, &c.*] Pro 'ausus esset.' Sic Tacitus lib. I. Annal. cap. 35. de Germanico: 'Ferrum a latere diripuit, elatumque deferebat in pectus, ni proximi prehensam dexteram vi attinuissent.'

[c] *Cum Ægæone Jovis*] Apud Homerum, hoc libro Achilles ad Matrem: Πολλάκι γάρ σέο πατρὸς ἐνὶ μεγάροισιν ἄκουσα Εὐχομένης, ὅτ' ἔφησθα κελαινεφεῖ Κρονίωνι Οἴη ἐν ἀθανάτοισιν ἀεικέα λοιγὸν ἀμῦναι, Ὁππότε μιν ξυνδῆσαι Ὀλύμπιοι ἤθελον ἄλλοι, Ἥρη τ', ἠδὲ Ποσειδάων, καὶ Παλλὰς Ἀθήνη· Ἀλλὰ σὺ τόν γ' ἐλθοῦσα Θεὰ ὑπελύσαο δεσμῶν, Ὦχ' ἑκατόγχειρον καλέσασ' ἐς μακρὸν Ὄλυμπον, Ὃν Βριάρεων καλέουσι Θεοὶ, ἄνδρες δέ τε πάντες Αἰγαίων'. ὁ γὰρ αὖτε βίῃ οὗ πατρὸς ἀμείνων, Ὅς ῥα παρὰ Κρονίωνι καθέζετο κύδεϊ γαίων. Τὸν καὶ ὑπέδδεισαν μάκαρες Θεοὶ, οὐδ' ἔτ' ἔδησαν. 'Sæpe enim te patris in ædibus audivi Gloriantem, cum dicebas tempestatum auctori Saturnio Solam te

Quibus Juno compertis, iracunde adversum conjugem commovetur. Sed gliscens jurgium, per deridiculum, ministrante Vulcano, simul consilii specie intercedente, lenitur.

cum Juno cognovisset, concitatur ira contra maritum. Verum rixa crescens jocose mitigatur Vulcano ministrante, et obsistente sub specie consilii dandi.

NOTÆ

inter immortales duram avertisse perniciem, Quo tempore eum colligare Cœlites voluerunt ceteri, Junoque et Neptunus, et Pallas Minerva: Sed tu illum adveniens liberasti vinculis, Mox Centimanum vocans ad altum Olympum, Quem Briareum vocant Dii, homines vero omnes Ægæona. Ille enim tunc viribus suo patre præstantior erat, Qui apud Saturnium sedit eo honore lætus: Quem timuerunt immortales Dii, neque ligaverunt.'

PERIOCHA II. ILIADOS. 422

Cœlestes, hominumque genus superabile curis,
Tranquilla obscuri carpebant munera somni.
At non pervigilem nox irrequieta Tonantem
Leniit, immodicos volventem corde paratus,
Cædibus ut Graium læsum ulciscatur Achillem.

6. Jupiter Agamemnonem somno monet prælii faciendi tempus adesse: ne cunctetur dimicare. Tum ille in concilium proceribus advocatis, mandatum Jovis, et speciem nocturnæ quictis explanat. 7. Mox in concione, multitudine congregata, pertentat [1] militum voluntatem: utque de-

[redacted]

[redacted]

omnibus navigationem adornantibus,[2] [a] fœda discessio ab Ulixe cohibetur: a quo etiam Thersites deformis, et loquax,[3] [b] in Heroum contumelias verborum licentia promtus, cum acerba objurgatione pulsatur. Ipse Minervæ monitu cunctos a profectione deterret. 9. Sumto deinde cibo armatur exercitus. Neque secius a Trojanis instructa acies, Iride ita monente, producitur. Sequitur enumeratio copiarum viritim: ut per catalogi seriem milites, naves, duces, patriæ, referantur.

Et cum jam universi pararent se ad navigandum, turpis abitus impeditur ab Ulysse: qui etiam percutit cum increpatione gravi Thersiten turpem, et dicacem, proclivem linguæ petulantia ad congerenda probra in duces. Ipse jussu Palladis avertit omnes a discessione. Deinde exercitus armatur post captum cibum. Similiter Trojani educunt exercitum ordinatum, monitu Iridis. Subjicitur recensio exercitus per singulos viros: ita ut milites, naves, duces, patriæ memorentur ordine catalogi.

lendum monet Tollius τὸ *loquax*.

NOTÆ

[a] *Adornantibus*] Ita recte Mariang. Accurs. pro *adhortantibus*, 'adornare navigationem,' est instruere, et præparare se ad navigandum. Sic 'adornare fugam,' apud Terent. in Eunucho.

[b] *Deformis, et loquax*] Τὸ *loquax* inducit Tollius, male, mea sententia: sic vertit ἀμετροεπὴς Homeri.

Argivos sua quemque[1] *acies in bella sequuntur.*
Dispositi in turmas equitum, cuneosque pedestres,
Turbida clangentes confundunt agmina Troës.

4. Instructum prælio exercitum, priusquam feriret acies,

Turmæ duces Græcos singulæ suum sequuntur ad prælium. Trojani ordinati in turmas equestres, et agmina pedestria, canentes tuba permiscent catervas turbatas.
Priamus aspicit e mœnibus exercitum paratum ad pugnam, antequam ventum

1 Legendum monet Accursius, *quæque*.

NOTÆ

1 *Argivos*] Non desumta hæc ab initio libri, ut superiora. 'Argivos' hic intellige, duces Argivorum.

[redacted]

Priamus spectat e muris: et monstratu Helenæ de viris insignibus edocetur. 5. Dehinc Menelaus ad singulare certamen ab Alexandro provocatur. Qui frustra Agamemnone dehortante congreditur, facta inter utrosque populos sponsione, et fœdere per sacra firmato, sub ea conditione, ut victorem Helena cum dote sequeretur. 6. Sed superatus Paris, regressusque ad urbem, jurgio uxoris[a] excipitur. Ab Agamemnone fœderis pacta[b] repetuntur.

esset ad manus: et discit nomina ducum, Helena docente. Deinde Menelaus provocatur a Paride ad prælium singulare. Qui, Menelaus, dissuadente incassum Agamemnone conserit pugnam, pacto prius inito inter ambos populos, et confirmato fœdere per sacrificia, ea lege, ut qui victor evasisset, abduceret Helenam cum dote sua. Verum Alexander victus, et reversus Trojam, excipitur ab uxore cum objurgatione. Agamemnon reposcit quæ promissa fuerant fœdere.

NOTÆ

[a] *Jurgio uxoris*] Ac deinde complexu.

[b] *Fœderis pacta*] Helena cum rebus suis victori Menelao ex fœdere debita.

PERIOCHA IV. ILIADOS. 424

Jupiter interea cum Dis genitalibus una
Concilium cogit Superum, de rebus Achivis.[1]

Interim Jupiter simul cum Diis rerum procreatoribus convocat cœtum Deorum super rebus Græcorum.

1 Alii *Genialibus* . . . . *Achivum.*—2 *Dissidium* vulg.

NOTÆ

1 *Cum Dis genitalibus*] 'Genitales Deos' intelligit Turnebus dici, ut parentes, et auctores et procreatores rerum omnium, eo quod *ἀειγενέτας* Homerus sæpe appellet; Grammatici modo 'æternos,' seu 'ab æterno genitos,' modo, 'perpetuo generantes' exponant. Turnebum secutus sum in Interpretatione. At non minus verisimilis est Barthii conjectura reponentis, *Genialibus*, et de iis Diis exponentis, qui cum Jove accumbant semper, et ejusdem mensæ velut genio censeantur. Quos Ennius enumerat numero duodecim, sex ab utroque sexu hoc disticho: 'Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jovi', Neptunus, Vulcanus, Apollo.' Qui 'Consentes' a Veteribus dicebantur, quod in consilio Jovis adhiberi putarentur, ut scribit D. Augustinus lib. IV. de Civitate Dei. Ab horum Genialium Deorum numero ducta δωδεκάθεος cœna Augusti, apud Suetonium, in qua Deorum Dearumque habitu discumbebant convivæ, et ipse Augustus Apollinem exhibens.

2 *De rebus Achivis*] Idem Barthius, *de rebus Achivum.* Bene.

3. Jovi placet delere Trojam: ad quod pertinacia Junonis urgetur. Cumque id fieri Minerva properaret, discidium[a] fœderis comminiscitur: et Pandarum sagittandi peritum astu suadentis aggreditur, ut clam vulnerato Menelao, belli causa crudescat. Quo facto, a Græcis prælium instauratur: congressisque exercitibus mutua clade decernitur.

Jupiter statuit excindere Trojam: ad quod impellitur obstinatione Junonis. Et cum Pallas cuperet hoc cito fieri, excogitat rationem abrumpendi fœdus: et solicitat arte persuasionis Pandarum gnarum mittendi sagittas, ut sauciato clanculum Menelao, causa belli ingravescat. Quod cum factum esset, pugna repetitur a Græcis: et cum acies conseruissent manus, pugnatur strage reciproca.

NOTÆ

[a] *Discidium*] A discindendo. Sic optime Barthius, et post eum Gronovius et Grævius pro *dissidium*, quod erat in vulgatis.

PERIOCHA V. ILIADOS.

Hic et Tydidem monitum Tritonia Pallas
Audaci virtute replet. Vomit aurea flammas
Cassis, et undantem clypeus defulgurat ignem.
Ipse autumnali clarum micat æmulus astro.

5. Diomedes auxilio Minervæ strenue præliatur. Venus quoque filio[a] subvenire conata, vulnere affecta digreditur. Mars etiam fit saucius, exceditque bello. Sequitur Tlepolemi Sarpedonisque congressio; et Tlepolemus Herculis filius, certamine victus, occiditur.

In hoc libro Minerva Tritonia monet Diomedem, et inspirat ei fortitudinem audacem. Galea ejus aurata emittit flammas, et scutum coruscat igne erumpente. Ipse fulget clare similis stellæ autumnali.

Diomedes pugnat fortiter præsidio Palladis. Venus etiam volens opitulari filio suo discedit saucia. Mars quoque vulneratur et exit e prælio. Sequitur certamen Tlepolemi et Sarpedonis; ac Tlepolemus filius Herculis superatus in pugna, interficitur.

NOTÆ

1 *Tydidem monitum, &c.*] Hæc ex initio hujus libri apud Homerum.

Tritonia Pallas] A Tritone palude Bœotiæ, ut ait Pausanias, ut alii, Libyæ; prope quam paludem primum visa est et educta.

4 *Autumnali ... æmulus astro*] Canem interpretatur Eustathius, sidus ferventissimum.

[a] *Filio*] Æneæ adversus Diomedem pugnanti.

PERIOCHA VI. ILIADOS. 426

Solæ decertant acies sine numine Divum,
Cessante auxilio: sua cuique exorsa laborem,
Fortunamque ferunt, proprii discrimine fati.

4. Trojanis fortuna inclinatiore[a] pugnantibus, vates Helenus suadet, ut Minerva placetur. Igitur Hecuba ab Hectore monita, ut peplum[b] in arcem inferat, peragit vota cum matribus. 5. Alexander objurgatus a fratre,[c] pergit in prælium. Glaucus Lycius, Ætolusque Diomedes congressi ut dimicarent, cum jam certamen oriretur, paterna inter se hospitia recordati, facta armorum permutatione, discedunt.

Soli exercitus pugnant absque præsentia Deorum, opitulatione eorum desinente; conatus sui unicuique afferunt laborem et sortem periculo propriæ vitæ.

Cum Troës pugnarent fortuna magis propensa in adversarios, Helenus vates auctor est eis, ut propitiam sibi reddant Palladem. Hecuba ergo monita ab Hectore ut ferat velum sacrum in arcem, perficit vota cum Matronis. Paris increpitus a fratre it ad pugnam. Glaucus Lycius et Diomedes congressi ad pugnandum, cum jam inciperent prælium, revocato in mentem invicem hospitali fœdere patrum suorum, abeunt commutatis inter se armis.

NOTÆ

2 *Sua cuique exorsa, &c.*] Ex Virgilio initio lib. x. Æneid.

[a] *Inclinatiore*] Ab ipsis in Græcos.

[b] *Peplum*] Vestis erat prætenuis, picta, ad sacrorum ritus pertinens, ter consecrata, ut ait Servius ad illud Virg. Æneid. I. 'Interea ad templum non æquæ Palladis ibant Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant.'

[c] *A fratre*] Hectore.

[redacted]

[redacted]

candum paratis, pugnaturum deligi placet sortis eventu. 3. Ab Ajace Telamonio prælium singulare conseritur: in quo Hector, lapide ictus, in suorum se recipit multitudinem.[b] Perseverante certamine caduceator Idæus[c] intervenit. Tum invicem missis[1] muneribus[d] pugna sedatur. Hector Ajacem gladio, Ajax Hectorem balteo muneratur:[e] intercessu noctis exercitus quique in sua discedunt. 4. Die altero, interfectorum humatio procuratur. Græcorum etiam navalia,[f] fossa ac vallo circumdata, muniuntur.

rum. Cum novem duces promti essent ad pugnandum, convenit ut ille qui certaturus esset eligeretur exitu sortis. Singulare certamen committitur ab Ajace Telamonis filio. In quo Hector percussus lapide, recedit in turbam suorum. Durante adhuc pugna Præco Idæus supervenit. Tunc certamen dirimitur datis muneribus ab utraque parte. Hector donat Ajacem ense, Ajax Hectorem balteo: nocte superveniente exercitus abeunt in sua quique castra. Postridie cæsi sepeliuntur. Navalia quoque Græcorum defenduntur cincta vallo et fossa.

1 *Datis* pro *missis* reponendum monuit Accursius.

NOTÆ

[b] *In quo Hector, lapide ictus, in suorum se recipit multitudinem*] Hæc non ex hoc VII. libro, sed ex XIV. sunt, neque ex hac pugna recepit se Hector ad suos, sed noctis interventu, et caduceatorum Talthybii et Idæi, certamen dirimitur, et ambo datis invicem, non missis muneribus quæ mox describuntur, discedunt. Hæc ergo aut ab Ausonio memoria lapso scripta sunt, aut omnino ab eo non scripta, a semidocto aliquo inserta sunt. Hoc posterius facile crediderim, cum non cohæreant cum iis quæ sequuntur: 'Perseverante certamine.' Per me ergo non stabit quin deleantur hinc.

[c] *Caduceator Idæus*] Nomen est præconis alterius, qui pugnantes affatur apud Homerum. Alter est Talthybius. Hic a Græcis, ille a Trojanis.

[d] *Missis muneribus*] *Datis* reponendum esse monuit Accursius, et revera dant sibi invicem apud Homerum munera, non mittunt per alios.

[e] *Hector Ajacem gladio, Ajax Hectorem balteo muneratur*] Fatalibus utrimque muneribus. Balteo enim tractus ab Achille circa muros Hector fuit; gladio Ajax incubuit, post negata sibi arma Achillis.

[f] *Navalia*] Statio seu portus in quo naves Græcorum erant.

PERIOCHA VIII. ILIADOS. 428

Aurora in croceis fulgebat lutea bigis.

Aurora flava micabat in curru bijugi croceo.

[redacted]

2. Acto Deorum concilio, Jupiter pro parte[a] pronuntiat, sua quisque exercitus sorte decernat. Nullus Deorum odio in alteros vel favore procedat. In Idam montem ipse digressus. Unde Græci immisso terrore conterriti, turpi fuga ad munimenta compulsi, fossa et aggeribus sese tuentur. 3. Junonem ac Minervam, Græcis auxiliari volentes, monitis Jovis Iris exterret: diremtoque ob noctem certamine, victores Trojani in ipso prælii loco excubias obsidionis instituunt: multisque ignibus factis per totam noctem de belli ratione consultant.

Jupiter habito concilio Deorum pro imperio sententiam hanc fert, ut unusquisque exercitus pugnet sua fortuna: neque ullus Deorum progrediatur odio aut studio erga alterutros. Ipse discessit in montem Idam. Ex quo loco pavore injecto Græci terrefacti, coacti fœde refugere intra munimenta sua, protegunt se fossa et vallo. Iris, jussu Jovis, metu prohibet Junonem et Palladem cupientes opitulari Græcis: et prælio abrupto interventu noctis, Troës victores agunt vigilias obsidii in ipso loco pugnæ: et crebris excitatis ignibus deliberant tota nocte de ratione belli.

NOTÆ

1 *Aurora in croceis*] Virg. lib. VII. Æneid. vers. 26. 'Aurora in roseis,' &c. *Croceis* hic posuit Ausonius ut melius primum libri hujus Homerici versum exprimeret, ubi est κροκόπεπλος Ἠὼς, crocea veste Aurora.

[a] *Pro parte*] Verti, pro imperio, neque enim alia hic poteat esse Jovis pars, qui hæc quæ sequuntur pro suprema auctoritate sua ceteris Diis imperat apud Homerum.

PERIOCHA IX. ILIADOS. 429

Interea vigilum excubiis cohibentur Achivi.

2. Græcis et præterita dimicatione perculsis, et instante conterritis, proceres ab Agamemnone convocantur. Quibus rex fugæ consilia, et apparatum ordinandæ per noctem navigationis indicit, Diomede et Nestore dehortantibus.

Interim Græci coërcentur excubiis Trojanorum vigilum.

Cum Græci afflicti essent superiore prælio, et terrefacti novo imminente, duces vocantur ab Agamemnone in concilium. Et rex dat eis consilium fugiendi, et jubet præparari omnia ad instruendam navigationem noctu, cum Diomedes et Nestor id

NOTÆ

1 *Interea vigilum, &c.*] Exprimit hæc primi versus hujus libri: Ὡς οἱ μὲν Τρῶες φυλακὰς ἔχον.

[redacted]

3. Suadente autem Nestore, Ajax et Ulixes legantur ad Achillem, dona ingentia pollicentes, si desistat irasci, et se auxiliatorem fessis rebus accommodet. Sed Achille in iracundia pertinaciter permanente, legati Achivorum, re non impetrata, irriti revertuntur.

dissuaderent. Nestoris autem suasu Ajax et Ulysses mittuntur ad Achillem promittentes magna munera, si desinat stomachari, ac se præbeat opitulatorem rebus Græcorum male affectis. Verum cum Achilles obstinate perduraret in ira sua, Græcorum oratores redeunt inanes, re quam petebant non impetrata.

PERIOCHA X. ILIADOS. 430

Cetera per naves somno sopita manebat
Turba ducum, solum cura anxia vexat Atriden.

3. Ulixes et Diomedes speculatum nocte progressi, Dolonem conspicantur, qui et ipse promissis Hectoris incitatus, Græcorum consilia exploratum prodierat: et fateri universa compulsum eodem loco interficiunt. 4. A quo de adventu Rhœsi Thracum regis edocti, ipsum, et cum eo duodecim obtruncant: equosque ejus [a] præmium simul et testimonium grassationis abducunt, insignes candore et celeritate, ut et nivibus, et ventis antecederent.

Reliqua turba procerum erat in navibus pressa sopore, solicitudo inquies agitat solum Agamemnonem.

Ulysses et Diomedes egressi noctu ad explorandum, aspiciunt Dolonem, qui ipse quoque inductus pollicitationibus Hectoris, progressus erat ad observanda consilia Græcorum: et cum coëgissent eum confiteri omnia, occidunt eum eodem in loco. A quo cum comperissent advenire in Trojanorum castra Rhæsum regem Thraciæ, interficiunt ipsum Rhæsum, et duodecim homines cum eo: et abducunt in mercedem simul, et testimonium suæ expeditionis, equos illius notabiles albedine et velocitate sua, ita ut superarent candore nives, et velocitate ventos.

NOTÆ

1 *Cetera per naves*] His duobus versibus quatuor primos libri hujus exprimit.

[a] *Ipsum, et cum eo, &c.*] Sic excudi curavi juxta Ugoletti editionem, loco hujus vulgati, *ipsum etiam cum duodecim obtruncant: equosque, &c.* pro quo Accursius reponebat, *ipsum cum duodecim obtruncant, equos etiam ejus, &c.*

PERIOCHA XI. ILIADOS. 431

Tithoni croceum linquens Aurora cubile
Spargebat terras, referens opera atque labores.

3. Ab omnibus Græcis egregie quidem, sed improspere dimicatur. Quorum proceribus vulneratis, incognitæ multitudini pugna committitur. Qua afflictione fortunæ Achilles paulisper inflexus, Patroclum mittit præsentia cognitorum. 4. Qui cum adversi status nuntius reverteretur, Eurypylum contemplatur ægrum ex vulnere; fomentisque medicæ artis admotis, redintegrat sanitati.

Aurora deserens lectum croceum Tithoni aspergebat terras luce, reducens secum opera et labores hominibus.
Pugnatur ab universis Græcis fortiter quidem, sed infeliciter. Quorum ducibus sauciatis prælium permittitur turbæ ignobili militum. Qua calamitate fortunæ Achilles tantillum flexus, mittit Patroclum qui observet quo in loco res essent. Qui cum rediret referens eas esse in malo statu, aspicit Eurypylum laborantem ex plaga; et, adhibitis medicamentis, restituit eum bonæ valetudini.

NOTÆ

1 *Tithoni croceum, &c.*] Hi versus, ex variis Virgilii Georgic. et Æneid. locis desumti, duos libri hujus primos exprimunt. Tithonus Auroræ Maritus fuit. 'Croceum' appellat ejus 'cubile,' ab Auroræ colore croceo.

PERIOCHA XII. ILIADOS. 432

Actorides fovet Eurypylum dum vulnere fessum.

2. Res dubiæ [a] apud Græcos, vel potius afflictæ, ultimæ fortunæ statu aguntur, præstantibus procerum vulneratis, cetero exercitu fugato aut formidine perculso. 3. Trojani navalium munimenta rescindunt: vallumque transgressi

Dum Actoris nepos curat Eurypylum ægrum ex plaga.
Res Græcorum ancipites, seu potius perculsæ, versantur in extremo discrimine, cum excellentissimi ex ducibus saucii essent, reliquus vero exercitus actus in fugam esset, aut attonitus metu. Troës perrumpunt propugnacula navalium: et, cum

NOTÆ

1 *Actorides*] Patroclus Menætii filius, Actoris nepos.

[a] *Res dubiæ*] Sic restituit Mariang. Accurs. pro eo quod erat absque sensu, *Paris dubiæ*. Et mox *statu* pro *statui*, idem ex Ms. codice.

[redacted]

auguriis juvantur[b] ex eventu ambiguis. Itaque et pars muri ab Sarpedone convellitur: et ab Hectore ictu lapidis porta discutitur, et in ipsis navalibus pugna conseritur.

superassent vallum, Augurium accipiunt ancipitis exitus. Igitur et pars muri Græcorum diruitur a Sarpedone, et porta frangitur ab Hectore ictu saxi, et prælium committitur intra ipsa navalia.

NOTÆ

[b] *Auguriis juvantur, &c.*] Auguria illa dedit Aquila alte volans cruentatum Draconem gestans unguibus adhuc palpitantem, qui conversus retro percussit ipsam tenentem ad pectus juxta collum. Cujus plagæ dolore Aquila eum dimisit in medium agmen, et clangens avolavit, ut narrat Homerus.

PERIOCHA XIII. ILIADOS. 433

Jupiter admovit Troës atque Hectora classi.

2. Neptunus, miseratione commotus, Argivorum tuendis navibus auxiliator accedit: et usurpata vatis effigie[a] Ajaces duos[b] in prælium cohortatur: nec minus ceteram multitudinem præsentia majestatis instigat. Idomeneus egregio certamine eminet. 3. Trojani jam referentes gradum, firmati rursum per Hectorem, contrahuntur, et ingenti clamore utrimque certatur.

Jupiter deduxit Trojanos et Hectorem ad naves Græcorum.
Neptunus percitus misericordia advenit opitulator ad defendendam classem Græcorum: et capta forma vatis excitat ad pugnam utrumque Ajacem: neque secius stimulat reliquam turbam præsenti sua majestate. Idomeneus excellit præstanti pugna. Troës jam referentes pedem, iterum confirmati ab Hectore, congregantur, et pugnatur ab utraque parte magno cum clamore.

NOTÆ

1 *Jupiter, &c.*] Sic incipit etiam liber hic apud Homerum. Lege terminatione Latina *Troës*, ut quantitatis ratio constet versui.

[a] *Usurpata vatis effigie*] Calchantis.

[b] *Ajaces duos*] Telamonium et filium Oilei.

PERIOCHA XIV. ILIADOS. 434

Concussit, quamvis potantem, Nestora clamor,
Attonitasque aures pepulit gravitate tumultus.

Vociferatio percussit Nestorem licet bibentem, et pulsavit ejus aures stupentes magnitudine strepitus.

3. Juno vinculum Veneris, cui Cesto nomen est,[a] mutuata, ad Jovem pergit in secessum montis Idæ: exorato que Somno,[b] ut eum committeret in soporem, dehinc vigilias ejus uxoriis[1] labefactat illecebris. 4. Cujus ignoratione[c] Neptunus abutitur: fortunamque Græcorum promtius auxiliando restituit, Ajace Locro[d] ultra ceteros præliante.

Juno petito a Venere cingulo ejus, quod appellatur Cestum, it ad Jovem in montem Idam quo secesserat: et cum impetrasset a Somno ut consopiret eum, postea delinit eum vigilantem blanditiis uxoriis. Interim Neptunus abutitur illius ignoratione: et restaurat fortunam Græcorum opem ferendo eis ocyus, Ajace Locrensi pugnante præ ceteris.

1 *Ejus uxoris* vulg.

NOTÆ

1 *Concussit, &c.*] His duobus versibus primum exponit libri hujus.

[a] *Vinculum Veneris, cui Cesto nomen est*] Cui cingulo inerant illecebræ omnes, amor, desiderium, colloquium, et blandiloquentia, mentem decipiens etiam prudentium, ut ait hic Homerus.

[b] *Exoratoque Somno*] Deo, fratre Mortis, apud Homerum.

[c] *Cujus ignoratione*] Dum scilicet uxori et somno operam dans, res Trojanorum et Græcorum negligit.

[d] *Ajace Locro*] Oilei Locrorum regis filio.

PERIOCHA XV. ILIADOS. 435

Jam vallum fossamque super Trojana juventus
Institerat, captæ minitans incendia classi.

[redacted]

per Iridem conterrito fratre,[c] jubet auxiliatorem [d] desistere.[1] Ipse Apollinem recreando allegat Hectori: monetque pro Phrygibus belli instaurare fortunam. 5. Tum et Ajax Telamonius strenue præliatur: et ab eodem plurimis hostium interfectis, conflagratio classis arcetur.

suo minis per Iridem, præcipit opitulatori illi ut desinat opem ferre Græcis. Ipse mittit Phœbum ad reficiendum Hectorem, et hortatur eum ut restituat fortunam prælii pro Trojanis. Tunc Ajax etiam Telamonis filius pugnat fortiter: et ipse, occisis multis hostibus, prohibet incendium navium.

1 'Sit fortasse corrigendum, ut in Ms. cod. comperimus: *aspere Junone increpata, et m. p. I. fratre conterrito j. a. d.* Neque segnius poterit, remota conjunctionis particula, ita legi: *aspere J. i. minaciter p. I. conterritum fratrem jubet a. d.*' Mar. Accursius. Ugolettus melius, judice Tollio, *conterrita, fratrem jubet.*

NOTÆ

c *Fratre*] Neptuno.

d *Auxiliatorem*] Neptunum videlicet ipsum.

PERIOCHA XVI. ILIADOS. 436

Dum face, dum ferro celsam oppugnare carinam
Troës, et Argolici pergunt defendere reges.

3. Achilles Græcorum statum jam sub extrema sorte miseratur. Armis suis Patroclum permittit armari. 4. Qui cum Myrmidonum[a] produxisset exercitum, consternatosque Trojanos Achillis specie[b] fefellisset, ruentes supra vallum et invicem officientes, cæco pavore usque ad campi

Dum Trojani pergunt aggredi flamma et ferro navem altam, et reges Argivi pergunt eam propugnare.

Achilles miseretur status Græcorum jam redactorum ad ultimam sortem. Sinit Patroclum induere sua arma. Qui cum eduxisset aciem Myrmidonum, et decepisset forma Achillis Troas perculsos, eos cadentes super vallum, et sese mutuo impedientes

1 'Sic Accursius ex *efficientes*, vel *effugientes*, quod in vulgatis. Gronovius reponit *effligentes*, hoc est, premendo sese conterentes. Elige Lector.' *Floridus.*

NOTÆ

1 *Celsam oppugnare carinam*] Navem in qua fuerat advectus Protesilaus, quam oppugnabat Hector, propugnabat Ajax et alii, ut cognoscitur ex fine libri superioris.

a *Myrmidonum*] Militum Achillis.

aperta compellit. 5. Deinde congressus Sarpedonem peremit: multisque hostium cæsis, ipse ab Hectore interficitur, prius ab Euphorbo vulneratus.

agit metu præcipiti usque ad patentia planitiei. Postea commisso certamine interficit Sarpedonem: et cum occidisset plurimos ex hostibus, occiditur ipse ab Hectore, cum ante sauciatus esset ab Euphorbo.

NOTÆ

[b] *Achillis specie*] Cujus armis indutus, pro eo ab ignaris Trojanis habebatur.

PERIOCHA XVII. ILIADOS. 437

Actoridem cæsum nec te, Menelaë, fefellit.

2. Circa interemtum Patroclum pugna contrahitur. Cum in diversa exercitus contenderent: Græci, ut corpus defenderent; Trojani, ut ad ludibrium cadaver eriperent:[1] a Menelao Euphorbus occiditur: et ad ostentationem gloriosi facinoris Achillis exuviis Hector armatur. 3. Antilochus ad Achillem, nuntius cladis acceptæ, Menelao instante, festinat. Qui et ipse postea cum Merione intra navalium munimenta se recipit: cum tota moles belli Ajacibus ingruisset.

Neque latuit te, o Menelaë, Patroclum esse interfectum.

Cogitur prælium circa Patroclum occisum. Cum exercitus ambo niterentur in contraria: Græci ut protegerent ejus cadaver; Troës ut auferrent corpus ad illudendum ei: Euphorbus interficitur a Menelao: atque Hector armatur spoliis [redacted]

2. Achilles in miserabilem modum Patrocli deflet interitum: quem vi doloris affectum[1] consolantibus verbis mater[a] alloquitur: nec inultum amicum fore pollicens, perlaturam sese Vulcani arma promittit. 3. Interea et Iris ab Junone dimittitur; cujus instantia Achilles extra vallum, quanquam inermis, egreditur: conterritisque Trojanis super alios aliis præcipitantibus, late fuga, et latius formido porrigitur. Eodemque tempore et Vulcanus exoratus[2] a Thetide, tota nocte, quam longa est, cœlestia in gratiam Nymphæ arma molitur.

Achilles luget mortem Patrocli miserandum in morem: quem perculsum magnitudine doloris mater sua affatur verbis consolatoriis: et promittens ei amicum ejus non cariturum vindicta, pollicetur ei sese allaturam arma Vulcani manu fabricata. Interim Juno mittit Iridem, qua urgente, Achilles prodit extra vallum, licet absque armis: et Trojanis ejus aspectu terrefactis, aliis ruentibus super alios, fuga extenditur late, et pavor adhuc latius. Atque eodem tempore Vulcanus etiam victus precibus Thetidis, fabricat per totam, quanta quanta est, noctem arma divina in gratiam Deæ.

1 Conjicit Floridus, *afflictum*.—2 Sic Accursius et Ugoletti ed. pro *exhortatus*: recte, censente Florido.

NOTÆ

[a] *Mater*] Thetis.

PERIOCHA XIX. ILIADOS. 439

Oceanum interea surgens Aurora reliquit.

2. Achilles armis cœlestibus ope Vulcani, et munere matris, instruitur. Dein Græcorum primoribus in concilium vocatis iracundiam suam abolitione[1] deponit: et promissis[a] ab rege[b] muneribus coram concione ditatur. 3. Tum

Interim Aurora exoriens deseruit Oceanum.

Achilles armatur armis divinis opera Vulcani, et dono matris suæ. Deinde convocatis in cœtum proceribus Græcorum, abjicit et delet omnino suam iram: et præsente cœtu locupletatur donis, quæ rex pollicitus ei fuerat. Dein cum impe-

1 Ugoletti ed. *sub abolitione*, pro, *sua ab.* pro quo Gronovius *suam.*

NOTÆ

1 *Oceanum interea*] Versus apud Virg. frequens, quo primum hujus libri Homerici interpretatur.

[a] *Promissis*] Lib. IX. vide supra ejus Periocham.

[b] *Ab rege*] Agamemnone.

militibus cibum capere jussis, ipse abstinet. Infesto deinde atque intento exercitu, pergit in prælium.

rasset militibus ut sumerent cibum, ipse non sumit. Post it ad pugnam exercitu minas spirante, et intento in hostem.

PERIOCHA XX. ILIADOS. 440

Jamque adeo celsis armati e navibus ibant,
Millia, quot magnis unquam venere Mycenis.

3. At integris amborum copiis inter utrosque exercitus pugna conseritur. Dein permissu Jovis, in partes Deorum studia dividuntur. 4. Cum pro Græcis Juno et Minerva decertarent, neque secius eos[1] Neptunus et Mercurius et Vulcanus assererent: Trojanos Apollo cum Venere, et Diana cum matre;[a] Mars etiam, et cum eis Scamander,[b] adjuvarent: tum Æneam, Diis et viribus iniquis cum Achille congressum, quanquam studens Græcis, nube circumdatum Neptunus eripuit.

Ac jam progrediebantur armati e navibus altis, quot unquam hominum millia venerunt ex ampla Mycenarum urbe.

Verum prælium committitur inter ambos exercitus copiis utrimque recentibus. Deinde favor Superum scinditur in partes, Jove sinente. Cum Juno et Pallas pugnarent pro Græcis, nec minus Neptunus, et Mercurius, et Vulcanus defenderent eos: Apollo vero cum Venere, et Diana cum matre sua; Mars quoque, et Scamander cum eis, opem ferrent Trojanis: tum Neptunus licet favens Græcis, Æneam cinctum nube sustulit pugnantem cum Achille, nec Diis nec viribus æquis.

[redacted]

[redacted]

2. Trojanis usque ad Scamandri fluminis alveum fuga et terrore compulsis, cum jam longius abeundi spatium non pateret, in ipso amne * * cum flumen exundat, ibi ab Achille[1] duodecim Trojanorum juvenum vinciuntur,[2][a] qui Patrocli inferiis immolarentur. 3. Ipse Vulcanus ardoribus suis vim torrentis exurit. Tum in campum Achille progresso, passim studia Deorum pro sua singulari parte depugnant. Trojanorum exercitus, instante victore, in mœnia urbis impingitur.

*Cum Trojanis actis fuga et formidine ad ripas usque fluvii Scamandri jam non apertum esset spatium loci qua fugerent ulterius, in ipso fluvio * * * quando fluvius effunditur extra alveum, ibi duodecim juvenes Trojani ligantur ab Achille; ut mactarentur ad inferias Patrocli. Ipse Vulcanus consumit fervore suo aquam torrentis illius. Mox cum Achilles prodiisset in planitiem, favor Deorum militat hic illic pro parte quam sibi cepit tutandam. Exercitus Troum compellitur in muros urbis, victore persequente eum.*

1 'Lacuna hic, seu mendum inest. Suspicatur Tollius: *quanquam flumen exundabat, ab Achille, &c.* quod in medium relinquo, neque melius quicquam habeo.' *Floridus.*—2 'Ab *A.* XII. *millia* . . *T.* . . . *juvenes vincuntur*] Expungenda est illa dictio, *millia*: et legendum non *vincuntur* sed *vinciuntur.*' Accursius.

NOTÆ

[a] *Duodecim Trojanorum juvenum vinciuntur*] Optime Accursius sic reposuit, pro: *duodecim millia*: et *vincuntur*. Consonat cum Homero, totidem captos, et ad Patrocli sepulcrum mactatos juvenes referenti. Ad hoc exemplum Virgil. Æneam inducit non duodecim, sed octo juvenes rapientem, Pallantis umbris immolandos.

PERIOCHA XXII. ILIADOS. 442

Pulsa metu Phrygios lustrabant agmina muros.

2. Hector singulari certamine cum Achille congreditur, Priamo atque Hecuba, ne pugnaret, orantibus: Minerva e contrario, specie Deiphobi, ut dimicet adhortante. 3. Hector interfectus, et religatus ad currum, ter circum mœ-

Cohortes fugatæ timore obibant mœnia Trojana.

Hector conserit pugnam singularem cum Achille, licet Priamus et Hecuba obtestarentur eum ne decertaret: cum contra Pallas sub forma Deiphobi hortaretur eum ad pugnandum. Hector occisus, et vinctus ad currum, trahitur ter circa muros

nia Trojana raptatur:[a] deinde lacerum corpus defertur ad naves, ultione Patrocli,[1] et victoris iracundia, ad ulteriora supplicia reservandum.

Trojæ: postea cadaver ejus laniatum portatur ad classem, servandum ad alias adhuc pœnas ob vindictam Patrocli, et iram victoris.

1 'In Ugoletti ed. *ultioni Patrocli*, quod si malis, legendum etiam erit paulo post: *iracundiæ* pro *iracundia*.' Floridus.

NOTÆ

[a] *Hector interfectus, &c. ter circum mœnia Trojana raptatur*] Consonant hæc cum illis Virgilii lib. Æneid. I. 'Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros:' et Æneid. lib. II. 'In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector Visus adesse mihi, largosque effundere fletus, Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentes:' et cum aliis multis qui Hectoris circum Trojanos muros raptati meminerunt. Sed neque hæc, neque illa cum Homero conveniunt. Is enim Hectorem quidem scribit, hoc in libro, ter circum muros Trojanos actum fuisse, sed adhuc viventem, et fugientem ab Achille, cui impar congressus erat; victum vero et interfectum ab Achille recta ad naves per pedes tractum fuisse. Libro vero ultimo dicit Hectorem ter quidem tractum ab Achille, sed circa Patrocli tumulum, non circa Trojæ mœnia. Unde ergo illa varietas? An aliter habuerunt vera Homeri exemplaria? An illi ex aliis quam ex Homero id sumserunt? An, quæ ad Patrocli tumulum gesta sunt, ad Trojæ mœnia, parum accurati, transtulerunt?

[redacted]

PERIOCHA XXIV. ILIADOS. 444

Quisque suas repetunt misso certamine naves.

2. Jupiter Thetidem mittit ad filium cum mandatis ejusmodi, ut in defunctum sævire desistat, fatique hominum in exanimo hoste vereatur,[a] ad sepulturam corpore restituto. 3. Ejusdem jussu et Iris cohortatur Priamum, ut auro filium rependat exanimum. Qui Mercurio duce inter nocturnas hostium profectus excubias, Achilli supplex advolvitur: redemtumque filium justitio[b] publico et dolet, et sepelit.

Finitis ludis singuli redeunt in suas naves.

Jupiter allegat Thetidem ad filium ipsius cum talibus jussis, ut desinat crudelis esse in mortuum Hectorem, et revereatur sortem humanam in hoste exanimato, reddendo cadaver ejus ad sepeliendum. Mandato ejusdem Jovis Iris quoque monet Priamum, ut redimat auro natum suum extinctum. Atque hic iens per stationes vigilantium nocte hostium, ducente Mercurio, procumbit supplex ad pedes Achillis, et redemtum ab eo natum luget indicto publico justitio, et mandat eum tumulo.

NOTÆ

[a] *Fatique hominum in exanimo hoste vereatur*] Sic Mss. et vetus editio, testibus Accursio et Vineto, qui frustra se torquent, ut aliud inveniant, et modo reponunt: *Fatique hominum memor exanimum hostem vereatur*, modo: *Fatique hominum vices in exanimo*, &c. modo *fati* mutant in *fata*. Antiquum, et probum, et Ausonio dignum est *vereri* et *revereri* cum genitivo. Afranius in Emancipatis: 'Optandum uxorem quæ vereatur viri:' Varro in Sardis venalibus: 'non te tui saltem pudet, si nihil mei verebare?' Vide plura exempla apud Nonium Marcellum cap. 9. de numeris et casibus, §. 3.

[b] *Justitio*] Justitium est jurisdicendi intermissio in luctu publico indici solita.

IN ODYSSEAM.

PERIOCHA LIBRI I. ODYSSEÆ. 445

Dic mihi, Musa, virum, captæ post tempora Trojæ
Qui mores hominum multorum vidit et urbes.

Musa memora mihi virum, qui post tempus excidii Trojani aspexit mores et civitates multorum hominum.

3. Minerva in Ithacam,[a] Jove ita volente, descendit: Mentisque[b] Taphiorum ducis[1] sumit effigiem, suasura Telemacho, ut ad Nestorem Menelaumque festinet; qui recens domum regressi, certi aliquid de Ulixe novissent. 4. Tunc Phemius citharista, adhibitus convivio procorum, inchoat flebilem cantilenam navigationis improsperæ, quæ profectos ab Ilio Græcos diversis sparsit exiliis. Quem Penelope degressa[2] Chalcidico,[c] argumento tam miserabilis offensa materiæ,[d] ut alia concinat, adhortatur.

Pallas delabitur jussu Jovis in Ithacam, et induit formam Mentis ductoris Taphiorum, hortatura Telemachum, ut properet ire ad Nestorem et Menelaum: qui nuper reversi domum scirent aliquid certi de Ulixe. Tunc Phemius citharœdus adductus ad epulas amatorum Penelopes, incipit luctuosum Carmen de infelici navigatione, quæ dispersit in varia exilia Græcos digressos a Troja. At Penelope egressa thalamo suo, moleste audiens Carmen argumenti tam miserandi, hortatur eum ut canat alia.

1 *Mentorisque Taphiorum regis* vulg.—2 Al. *Digressa.*

NOTÆ

1 *Dic mihi, Musa, virum*] Horatii sunt hi versus in Arte Poëtica, quibus initium Odysseæ exprimitur.

[a] *In Ithacam*] Insulam, Ulyssis patriam.

[b] *Mentisque, &c.*] Sic lege, non *Mentoris*, est enim hic Ταφίων ἡγήτωρ Μέντης, 'Taphiorum dux Mentes,' apud Homerum. Mentor vero Ulyssis so-
[redacted]

erit amplior in longitudine, Chalcidica in extremis constituantur. Uti sunt in Julia Aquiliana.' Hic Chalcidicum est, quod apud Homerum ὑπερῷον, locus in superiori parte ædium, ubi Gynæconitis fuerit, mulierum habitatio seu thalamus, in superiore tabulato ideo positus, ut mulieres alienorum virorum conspectui et al-
[redacted]

2. Telemachus Ithacesios proceres cogit ad curiam: atque ibidem de contumelia domus,[a] et bonorum profligatione conquestus, consilia profectionis exponit, Antinoo resistente: qui eum, priusquam mater nuberet, abire prohibebat. Qua altercatione diu protracta, concilium dissolutum est. 3. Telemachus ad littus procis ignorantibus pergit: astantem sibi adorans Minervam, peregrinationi accommoda parat, hortante maxime Dea; quæ populum, ipsumque Telemachum, Mentoris[1] simulatione[b] fallebat. Instructo ergo remigio, et navo deducta,[c] Telemachus et Minerva de portu vespere instante solverunt.

Telemachus convocat in Senatum optimates Ithacenses, et ibi questus de probro domus suæ et consumtione opum suarum declarat sibi animum esse proficiscendi, intercedente Antinoo: qui nolebat ut ipse proficisceretur antequam mater ejus nuberet. Atque hac contentione multum producta cœtus discessit. Telemachus it ad littus clam amatoribus matris suæ: precatus Palladem sibi adsistentem, præparat apta ad peregre eundum, Minervæ præcipue hortatu, quæ sub specie Mentoris latebat populo, et ipsi Telemacho. Adornato igitur remigio, et nave tracta in mare, Telemachus et Pallas discedunt e portu imminente vespera.

1 *Mentis* hic vulg. legitur.

NOTÆ

roseos habens digitos Aurora.' Aliter eundem reddidit Perlocha VIII.

[a] *De contumelia domus*] Quod matrem Penelopen, absente patre Ulixe, ambirent Proci, et bona epulis consumerent.

[b] *Mentoris simulatione*] Hic revera Mentoris præpositi domus Ulixeæ formam sumit apud Homerum, cum libro superiore sumsisset formam Mentis Taphiorum ducis.

[c] *Nave deducta*] E navali in mare.

PERIOCHA III. ODYSSEÆ. 447

Jam Sol Oceano radiatos promserat ortus.

2. Telemachus Nestorem de patre percontatus, nihil novi accipit ab ignorante: verum idem senex sequenti die, cum

Jam Sol exierat ex mari vibrans radios.

Telemachus cum interrogasset Nestorem de patre suo, nihil discit novi ab eo, quippe qui nihil sciebat: sed idem senex postero die una cum Pisistrato filio suo

NOTÆ

1 *Jam Sol Oceano*] Sic reddit primum libri versum, quod et in sequentibus Periochis facit.

Pisistrato filio ut ad Menelaum pergat, hortatur. 3. Nec mora facta consilio.[1] Nocte quippe ea, quæ consecuta est, apud Pheras[a] oppidum hospitio Dioclis diversati,[2] altera Lacedæmonem pervehuntur.

suadet ei ut eat ad Menelaum. Neque distulit exequi consilium illud. Cum enim nocte sequenti divertissent in domum Dioclis apud urbem Pheras, deferuntur altera nocte Spartam.

1 *Facto consilio* vulg.—2 Al. *D. versati.*

NOTÆ

[a] *Apud Pheras*] Messeniæ oppidum. Sunt aliæ Pheræ Thessalicæ, aliæ item in Pelasgia, aliæ in Achaia proprie dicta.

PERIOCHA IV. ODYSSEÆ. 448

Jamque adeo ventum validæ ad Lacedæmonis arces.

2. Telemachum, et qui cum eo venerant,[a] Menelaus comiter hospitio accipit. Saneque sub vespera quædam de Ulixe cognoscunt. Die vero altera, totum navigationis ordinem Menelaus explanat: quodque in Ogygia insula,[b] promissis et illecebris Nymphæ Calypsonis, Ulixes remoretur,[1] exponit. 3. Quæ quidem Proteus eidem narraverat de Græcorum ducibus requirenti. Proci autem postquam de abitu Telemachi compererunt, instructa deductaque navi, viginti, qui sese legerant,[c] navigavere, redeunti

[redacted]

[redacted]

insidias molientes. Circa Asteriam ergo insulam,[d] quæ Ithacam Samumque interjacet, delitescentes, occasionem fraudis expectant.

latentes circa insulam Asteriam, quæ sita est inter Ithacam et Samum, opperiuntur occasionem doli.

NOTÆ

[d] *Circa Asteriam ergo insulam*] Asteridem Homero.

Liquerat in tepido Tithonum Aurora cubili.

2. Mercurius in Ogygiam insulam devolat, ut Jovis monitis Calypso conterrita Ulixem patiatur discedere. Qui contextu ratis temere properatæ[1] navigationem solus aggreditur. 3. Duodevicesima die, tempestate commota, ex iracundia infestante Neptuno, trabium compago dissolvitur. Quo casu proditur ultimæ spei: et irritis conatibus nando ab Ino[2] Dea[a] misericorde servatur. Quæ calanticam[b] capiti suo demtam natanti accommodat. Cujus ille sustentatu ad usque Phæacum[c] littus evadit.

Aurora reliquerat Tithonum in lecto calente.
Mercurius descendit in insulam Ogygiam, ut Calypso terrefacta jussis Jovis sinat Ulixem abire. Qui rate compacta temere et festinanter accingit se solus ad navigandum. Die decima octava, excitata tempestate, Neptuno reddente mare infestum ex ira, coagmentatio trabium, e quibus ratis constabat, diffringitur. Quo eventu redigitur Ulixes ad extremam spem: et natando vanis nisibus conservatur ab Ino Dea misericorde. Quæ aptat ei nanti velum detractum de suo capite, quo sustentatus ille pervenit ad oram Phæacum.

1 Sic corrigit Gronovius, pro, *r. t. properare.*—2 Al. *ab Inone.*

NOTÆ

[a] *Ab Ino Dea*] Quæ Græcis Leucothea, Latinis mater Matuta, ac mergo similis assedit Ulixi in rate, apud Homerum.

[b] *Calanticam*] Κρήδεμνον, apud Homerum, quod interpretatur Eustathius ad Iliad. XIV. Κεφαλῆς κάλυμμα παρειμένον μέχρι τῶν ὤμων. 'Capitis tegmen ad humeros usque demissum.'

[c] *Phæacum*] Populorum Corcyræ insulæ, quibus imperabat rex Alcinous.

PERIOCHA VI. ODYSSEÆ. 450

Carpebat somnos dudum ærumnosus Ulixes.

2. Ulixes, postquam ad Phæacum littus enaverat, fatigationem diluit somno. Sed cum virgo Nausicaa regis Alcinoi ludum in acta[a] cum æqualibus exerceret, somno excitatus, ut erat nudus, erupit, foliorum opposita[1] pudenda velatus: 3. et cum supplex ad genua regiæ virginis[b] advolveretur, Minervæ instinctu[2] movit misericordiam salutarem: impositusque carpento,[c] et veste donatus, usque ad templum Minervæ, quod ante urbem est, ita suadente virginis pudore, provehitur: ibique familiare sibi numen solita veneratione precatur.

Ulixes jam pridem miser capiebat somnum.

Ulixes cum evasisset natando ad oram Phæacum, dissipavit lassitudinem sopore. At cum Nausicaa filia Alcinoi regis luderet in littore cum virginibus coætaneis, expergefactus prodiit nudus, sicut erat, tegens verenda objectu frondium: et cum procumberet supplex ad pedes puellæ regiæ, excitavit ipsi miserationem sibi salubrem, inspirante eam Pallade: et impositus currui, accepto vestimento, adducitur ad fanum usque Palladis, quod est ante oppidum, verecundia puellæ illius monente ne ulterius cum ipsa veheretur: atque illic orat consueta reverentia Deam sibi amicam.

1 Scribendum monet Heinsius: *appositu*.—2 Legitur et *instructu*.

NOTÆ



[redacted]

2. Minerva, in puellæ speciem mutata,[1] [a] Ulixem primum in oppidum, mox in domum regiam ducit. Cumque Arete uxor Alcinoi, et unde vestem haberet, et cujas esset,[2] et qua sorte delatus, sermone ipsius comperisset; bonum animum habere jussus, suadente vespera, concedit quieti.

Pallas, conversa in formam virginis cujusdam, deducit Ulixem primum in urbem, deinde in palatium regis. Et cum Arete conjux Alcinoi cognovisset ex ejus verbis et a quo haberet vestimentum, et qua ex regione esset, et quo casu illuc esset appulsus, monitus ne desponderet animum, dat se somno.

1 Vetus exemplar: *Minerva puellæ speciem mutuata.*—2 Cod. vet. *qui adesset.* Legendum videtur Accursio: *quis esset*, vel potius *cujas esset.*

NOTÆ

[a] *In puellæ speciem mutata*] Παρθενικῇ εἰκυῖα νεήνιδι κάλπιν ἐχούσῃ. 'Virgini similis juvenculæ urnam gestanti,' apud Hom.

PERIOCHA VIII. ODYSSEÆ. 452

Tum cœlum rutilat roseis Aurora quadrigis.

2. Alcinous navigationis ærumnam summatim ab Ulixe cognoscit. Exinde jussis primoribus in curiam convenire, adventum hospitis, et infortunia diutinæ jactationis explanat. 3. Accitoque ad convivium Ulixe, citharam jubet pulsare Demodocum: qui cum de Dureo equo [a] et de Troico cantaret excidio, lacrymas Ulixi, memoria fortunæ superioris, elicuit. Quas cum occultare sedulo conaretur, aut vultu dissimulans, aut veste detergens, oculos in se omnium, et maxime regis advertit. 4. Tum Alcinous, causa

Jam Aurora illustrat Olympum curru suo quadrijugo puniceo.

Alcinous breviter audit ex Ulixe molestiam navigationis ejus. Postea convocatis proceribus in aulam, exponit eis adventum hospitis et casus infelices quos perpessus erat per longam agitationem. Et, advocato Ulixe ad epulas, jubet Demodocum sonare cithara: qui cum caneret multa de equo ligneo et de ruina Ilii, expressit Ulixi fletum recordatione sortis prioris. Quem cum studiose niteretur abscondere, vel dissimulans ore, vel abstergens veste, convertit in se aspectum cunctorum, et præcipue regis. Tunc Alcinous, audita causa lacrymarum ejus, promittens ei cuncta

NOTÆ

[a] *De Dureo equo*] Equo ligneo quo Troja capta est. A δουρὸν lignum, est δούρειος et δουράτεος ligneus.

[redacted]

fletuum cognita, ut cuncta ex ordine tolerata dissereret, benigne omnia pollicitus adhortatur.[1]

liberaliter, hortatur eum ut narret ordine omnia a se exantlata.

1 Ms. cod. Mariang. Accurs. *ut ordine tolerata dissereret, benigne pollicitus adhortatur.*

PERIOCHA IX. ODYSSEÆ. 453

Tum vice sermonis fatur Laërtius heros.

2. Quatuor istinc libri de Ulixis errore contexti sunt. Namque ab Alcinoo rogatus, seriem multiplicis erroris exponit, ut ab Ilio profectus, primum ad Ciconas[a] delatus sit, atque illic expugnata Ismaro civitate, multis amissis, fugatus abscesserit, 3. utque inde Maleam Laconiæ promontorium circumegerit,[1] ac dein ad Lotophagos[2] [b] venerit, mox ad Cyclopum insulam,[c] quæ Lotophagis adjacet,[3] cum una nave processerit: eaque sedulo occultata, ipse cum duodecim sociis in antrum Polyphemi penetraverit: qui cruentis

Tunc heros filius Laërtis loquitur vice sua.
Quatuor libri deinceps sequentes compositi sunt de cursu Ulixis. Oratus enim ab Alcinoo, memorat ordine varios suos errores, quomodo digressus a Troja, devectus sit primum ad Ciconas, et ibi vi capta urbe Ismaro, perditis multis suorum expulsus abierit, et quomodo postea navigaverit circum Maleam promontorium Laconicæ terræ, ac dein accesserit ad Lotophagos, deinde progressus fuerit cum una nave ad insulam Cyclopum, quæ sita est prope Lotophagos: et, abscondita diligenter nave, ipse intraverit cum duodecim comitibus in speluncam Polyphemi: qui satiatus epu-

1 'Vinetus reponit, *circumierit*. Potest tamen ferri *circumegerit* supplendo *classem*. Lege, meo periculo, *circumlegerit*.' Floridus.—2 Sic legit Accursius, pro, *ut quæ i. M. Laconicæ . . . ac deinde L.* Alii pro *Maleam* legunt *Pialeam*. —3 *Adjacebat* vulg.

NOTÆ

1 *Tum vice sermonis, &c.*] Sic vertit Homericum hunc versum: Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη πολύμητις Ὀδυσσεύς. 'Hunc excipiens allocutus est versutus Ulysses.' Itaque 'vice sermonis' est, excipiendo alium, nempe Alcinoum, et loquendo post eum.

[a] *Ad Ciconas*] Ii populi sunt Thraciæ.

[b] *Lotophagos*] Africæ populos ad Syrtes.

[c] *Cyclopum insulam*] Scopulos Cyclopum, prope Siciliam, quæ tamen a Syrtibus non parum distat.

[redacted]

dapibus expletus, quas cæde sociorum ejus instruxerat, vino etiam, quod Ulixes ingesserat, temulentus, cum in somnum procubuisset, ab Ulixe cæcatus, pœnas immanitatis exsolvit.

lis sanguinolentis, quas apparaverat interfectis illius comitibus, ebrius quoque vino quod Ulixes crebrius infuderat ei, cum jacuisset sopitus, excæcatus ab Ulixe, luit supplicium suæ crudelitatis.

PERIOCHA X. ODYSSEÆ. 454

Æoliam ventorum agimur patriamque domumque.

2. Hinc refert Æoliam se fuisse pervectum, donisque donatum ab Æolo rege ventorum, qui omnibus comiter præbitis, quo securior navigaret, ventos etiam dederit utre conclusos: utque, cum jam Ithacæ propinquaret, refusus sit in soporem; sociique ejus opes aliquas in scorto [1][a] inesse existimantes, dormiente ipso, vincula dissolverint: adversisque flatibus ab ipsa patria jam [2] sint relati. 3. Inde ut Antiphatem, Læstrygonasque [b] delatus sit. Ibi amissis, una minus, ceteris navibus, Circeum littus accesserit: ibique veneficio potentis Deæ Eurylochus [c] et præmissi cum

Deferimur in Æoliam insulam patriam et habitationem ventorum.

Narrat deinde Ulixes se delatum fuisse in Æoliam insulam, et ornatum muneribus ab Æolo rege ventorum, qui cum ei dedisset benigne omnia necessaria, dedit quoque ventos inclusos in folle scorteo, ut tutius navigaret. Et quomodo jacuerit sopitus cum jam appropinquaret Ithacæ; ac comites sui putantes esse aliquas divitias in corio illo, solverint ligamina illius dum ipse dormiret: et rejecti fuerint ventis contrariis procul a patria sua quæ jam erat in conspectu. Postea narrat quomodo vectus fuerit ad Antiphatem et Læstrygonas. Et perditis illic reliquis omnibus navibus, excepta una, venerit ad oram Circes: atque illic Eurylochus, et comites

1 *In lora* vulg. Vid. Not. inf.—2 ‘*Ob visa jam patria*] Sic Barthius pro: *ab ipsa j. p.* Ovid. Metam. lib. XIV. post Homerum: ‘Flatuque secundo Lucibus isse novem, et terram aspexisse petitam.’’ *Floridus.*

NOTÆ

[a] *In scorto*] Hæc lectio codicis non multæ apud Mariang. Accursium fidei, mihi præferenda procul dubio videtur ceteris, quas oggerunt *lora*, *lura*, *soro*. Scortum est corium.

[b] *Læstrygonasque*] Populos Campaniæ in Italia, Formias urbem incolentes.

[c] *Eurylochus*] Hunc excipit Homerus, aitque restitisse eum ad januam, et retulisse ad Ulixem quod sociis suis accidisset.

eo socii[d] in ferarum ora[e] conversi sint. Ipse etiam similia passurus, Mercurio procurante[f] vitaverit; ceterosque socios ad speciem pristinam redigi, virtutis admiratione,[g] compulerit.

præmissi cum eo mutati sint in formas belluarum potione venenata nymphæ illius pollentis arte venefica. Et quomodo ipse etiam cum jam eadem perpessurus esset, evitaverit ea ope Mercurii; et coëgerit eam mirabili sua virtute ad restituendos comites suos priori formæ.

NOTÆ

[d] *Socii*] Viginti et unus sorte lecti.

[e] *In ferarum ora*] Porcorum apud Homerum.

[f] *Mercurio procurante*] A quo *Moly* acceperat antidotum adversus Circea venena.

[g] *Virtutis admiratione*] Stricto ferro Circen invadens.

PERIOCHA XI. ODYSSEÆ. 455

At postquam ventum ad naves et littora ponti.

2. Digressus a Circe Avernum pervenit: qui locus descensus ad Manes existimatur. Ibi sacris rite perfectis, scrobem complet sanguine victimarum: et circumvolantibus animabus, nullam sinit haustum cruoris attingere, nisi, ut Circe monuerat, prius Tiresias vates[a] inde libasset. Ibi et Heroidas plurimas videt. Quarum enumerationem multa veterum fabularum venustate contexit.

[redacted]

[redacted]

2. Compertis a Tiresia vate, quæ oportuit scire, regreditur ad Circen: ab eaque, ut evitet mala cetera, edocetur: ut Sirenas prætereat, letalem navigantium cantilenam: ut Scyllam prætervehatur, et Charybdim, freti Siculi famosa portenta. 3. Quibus malis non sine gravi perpessione superatis, Trinacriam[a] pervehitur, ubi incustodita Solis armenta, frustra prohibente ipso, ceteri socii, penuria cogente, dilaniant: dirisque prodigiis admissa boum cæde terrentur: ac mox inde navigantes, fulmine ad unum omnes intereunt, excepto Ulixe; qui fragmento laceræ navis cohærens, et adminiculo ejus adjutus, ad Ogygiam[b] insulam solus enavit.

Ulixes cum cognovisset ex Tiresia vate, quæ ipsi noscenda erant, redit ad Circen: et monetur ab ea ut effugiat reliqua mala: ut prætervehatur Sirenas, canentes cantilenam exitialem navigantibus: ut transeat Scyllam et Charybdim, monstra famosa freti Siculi. Atque exantlatis his periculis non sine magno labore, defertur ad insulam Siciliam, ubi reliqui ejus comites, coacti inopia cibi, lacerant boves Solis illic errantes absque pastore, cum ille conaretur impedire ipsos, sed incassum: et post interfectos boves exterrentur immanibus portentis: et statim cum illinc abirent, interficiuntur fulmine universi ad unum, præter Ulixem: qui adhærens frusto navis, et sustentatus illius auxilio, evasit solus nando ad insulam Ogygiam.

NOTÆ

[a] *Trinacriam*] Siciliam a tribus suis promontoriis dictam a Græcis *Τρινακρίαν*. Homerus *Θρινακίην* Thrinaciam nominat, neque tamen aliam putes a Trinacria indicari, cui omnia Virgilius tribuit quæ hic Homerus Thrinaciæ.

[b] *Ad Ogygiam*] Ubi a Calypso nympha septem annos detentus est, ut supra dictum.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

2. Enarratis omnibus, quæ in multiplici errore pertulerat, a principibus Phæaciæ viris donis plurimis honoratur: a

Omnes tacuerunt, et tenebant vultus in eum defixos.
Cum exposuisset cuncta, quæ perpessus erat in variis suis cursibus, decoratur

NOTÆ

1 *Conticuere omnes*] Hoc versu primo l. II. Æneidos reddit hunc Homericum: *Ὣς ἔφαθ᾽· οἱ δ᾽ ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ.* 'Sic dixit. Hi autem omnes taciti facti sunt silentio.'

[redacted]

quibus remigio, et necessariis omnibus navis instruitur; dormiensque in Ithacam quietissima navigatione devehitur. Atque illic in portu patrio cum muneribus universis quiescens, et omnium ignarus exponitur; Phæacibus eo dormiente remeantibus.

multis muneribus a proceribus Phæacum: a quibus navis armatur remigibus et cunctis necessariis ad navigandum: ac Ulixes defertur navigatione tranquillissima in Ithacam dormiens. Atque ibi demittitur in portum patriæ suæ cum omnibus donis, sopitus, et nescius omnium quæ gesta erant; Phæacibus revertentibus dum dormiret.

PERIOCHA XIV. ODYSSEÆ. 458

Egreditur portu, tenuis quo semita ducit.

2. Somno expergitus [1] Ulixes [a] portum et littus patriæ non sine animi consternatione cognoscit: admiraturque, ut advectus, ut expositus, ut relictus sit, ut cuncta nesciret. 3. Requirit universa donorum: quæ postquam incolumia videt, quam potest tutissime occultat; consiliisque a Minerva confirmatus, ad servum suum [b] Eumæum subulcum simula-

[redacted]

[redacted]

tus accedit, naufragi et mendicantis imitatu. Interrogatus deinde, quis esset, ait se esse Cressium: in Ægyptum navigantem Troja[2] [c] fuisse delatum. 4. Eumæum etiam cum affectione mœstissima perurgens, et cogente denique vespere, et imbre continuo,[d] sagulo amicitur. Atque ibidem multa secum volvens, tandem concedit quieti.

naufragium passi et mendicantis. Rogatus postea quisnam esset, dicit se esse Cretensem: abeuntem navi a Troja devectum fuisse in Ægyptum. Instans quoque Eumæo affectu tristissimo, et vespere ac imbre jugi cogente, vestitur sagulo, atque ibidem versans multa animo, tandem obdormiscit.

Floridus.—2 *Trojam* vulg.

NOTÆ

[c] *Navigantem Troja, &c.*] *Troja* reponit Tollius minus incommode. Nec tamen Troja sed e Creta ipsa, neque delatum se quasi vi tempestatis, sed sponte, et destinato proposito petiisse Ægyptum subulco suo narrat Ulixes.

[d] *Et cogente denique vespere, et imbre continuo*] Neque ista satis conveniunt cum Græcis Homeri.

PERIOCHA XV. ODYSSEÆ. 459

It[1] *Lacedæmonias arces Tritonia Pallas.*

2. Telemachus a Minerva per somnium commonetur, domum ut rediret. Matureque[2] digressus cubili, a Menelao veniam reversionis exorat. Qua comiter impetrata, regreditur ad navem in portu Pylio manentem. 3. Pisistratoque ad urbem, atque ad patrem remisso,[3] ipse propere solvit e littore, comite navigationis assumto Theoclymeno vate Argivo, uno ex iis, quos Melampus Amythaonis[a] eru-

Minerva Tritonia tendit ad civitatem Spartanam.

Telemachus monetur inter dormiendum a Pallade ut revertatur domum. Et discedens matutine e lecto, rogat Menelaum facultatem regrediendi. Qua sibi benigne concessa, redit ad navem quæ remanserat in navali urbis-Pyli. Et remisso Pisistrato ad urbem Pylum et ad patrem Nestorem, ipse festinanter e portu proficiscitur, capto secum socio navigationis Theoclymeno vate Argivo, uno ex iis quos Melampus filius

1 'Accursius suspicatur *Ad* pro *It* legendum. Tollius *At* suspenso sensu et verbum expectante. Sed nihil necesse est mutare.' *Floridus.*—2 Sic Accursius, pro, *Maturaque.*—3 'Sic optime Tollius, pro, *atque ad patriam emisso. Urbs* enim et *patria*, idem. Tum *emisso* melius feræ conveniat aut cani, quam

divit. 4. Vitatisque insidiatoribus procis, advehitur in patriam. Et sociis quidem portum petere jussis, ipse diverso [4] itinere ad agrum Eumæumque proficiscitur.

Amythaonis edocuit. Et declinatis procis qui eum expectabant in insidiis, appellit ad patriam. Et cum præcepisset comitibus ut irent ad portum, ipse tendit alia via ad agrum et ad Eumæum.

amico dimisso.' *Floridus.*—4 Sic reponit Accursius, pro, *adverso.*

NOTÆ


[a] *Melampus Amythaonis*] Vates et medicus inclytus. Hujus meminit Virgilius Georg. III. 'Quæsitæque nocent artes: cessere magistri Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus.'

PERIOCHA XVI. ODYSSEÆ. 460

Commune Eumæus mapale et divus Ulixes.

2. Telemachus Eumæum nuntium reditus mittit ad matrem. Ipse, Minerva ita volente, patrem cognoscit:[a] et cum eo deinceps agenda disponit. 3. Penelope autem, cognito reditu filii, in conventum procorum, qua verecundia sinebat, egreditur: increpatisque insidiatoribus filii, non minus irata, quam mœsta discedit.

Eumæus et Ulixes divinus erant in eodem stabulo.
Telemachus mittit Eumæum ad matrem qui referat se reversum esse. Ipse permissu Palladis agnoscit patrem suum: et ordinat cum eo quæ facienda postea erant.



[redacted]

[redacted]

2. Telemachus anxiæ matri ordinem peregrinationis enarrat. Ulixes ad oppidum, Eumæo opitulante, perducitur. Domum, in qua proci epulabantur, ingressus, emendicat cibos, miserabiliter ambiendo. Inde ab Antinoo injuriose afficitur. 3. Cui Penelope diras ob inhumanum facinus imprecatur. A qua missus Eumæus est, ut hospes, sic enim se ferebat, ad eam provocaretur.[1] Qui tum quidem invitatus, gratiam facit: sed venturum sese ad vesperam pollicetur.

Telemachus commemorat matri suæ solicitæ seriem sui itineris. Ulixes ducitur ad urbem opera Eumæi. Ingressus domum in qua proci convivabantur, petit escas mendicando miserum in modum. Deinde contumeliose tractatur ab Antinoo. Cui Penelope optat mala multa propter factum illud crudele. Atque ea mittit Eumæum qui invitaret ad ipsam hospitem. Talem enim Ulixes se fingebat. Qui tunc quidem vocatus, honeste recusat: sed promittit se venturum sub vesperum.

1 'Barthius: *ad mensam provocaretur*. Gronovius melius: *ad eam vocaretur*. Non enim ad convivium, sed ad colloquium a Penelope invitabatur.' *Floridus.*

NOTÆ

1 *Jam cælum roseis rutilat Tritonia bigis*] Versus Homericus Rhapsodiæ hujus primus est, jam bis supra usurpatus: Ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος Ἠώς. 'Quando vero mane-genita apparuit roseos digitos habens Aurora.' Ubi cum de Aurora sermo sit, non de Pallade, legendum omnino est *Tithonia*, supple *uxor*, quæ Aurora est: non *Tritonia*, quod perpetuum Epitheton est Palladis.

PERIOCHA XVIII. ODYSSEÆ. 462

Irus adest populi per mendicabula notus.

2. Mendicante intra proprios lares Ulixe, alius quoque pari egestate Irus accessit, popularis Ithacesius, stipes [a] in

Irus venit cognitus mendicationibus suis per plebem.

Cum Ulixes mendicaretur in propria domo, alius etiam mendicus æque inops Irus nomine venit, e plebe Ithacensi, qui consueverat petere stipes in compitis.

NOTÆ

1 *Populi*] Tollius tam bene *populo* legi posse putat. Utrumque ferri potest: 'Populo notus per mendicabula,' et 'notus per mendicabula populi,' hoc est, quæ exercebat in populo. Πτωχὸς πανδήμιος 'mendicus popularis,' Homero.

[a] *Stipes*] Minuta æra.

triviis solitus rogare. 3. Jurgium ergo inopiæ communis æmulatione conseritur, quod ex verbis processit ad manus, hortantibus procis, quo magis rixa crudesceret, propositoque præmio caprini ventris omento.[b] 4. Victor igitur Ulixes, seminecem Irum extra januam projicit, ridicula adhortatione[c] compellans. Penelope etiam munera sibi a procis, pro opibus cujusque, conferri, singulorum studia experiens, deposcit: quæ mature, utpote a cupientibus, offeruntur.

Exoritur itaque rixa ex invidia quam par egestas inter utrumque excitabat, quæ rixa progressa est a verbis ad verbera, procis instigantibus eos, ut jurgium magis exasperaretur, et proposito adipe ventris capræ in præmium pugnæ. Igitur Ulixes victor expellit extra ostium Irum semimortuum, alloquens eum exhortatione ridicula. Penelope quoque petit sibi afferri dona ab amatoribus suis juxta divitias singulorum, tentans affectum uniuscujusque, quæ quidem cito exhibentur, cum videlicet illi valde studiosi essent ipsius.

NOTÆ

[b] *Caprini ventris omento*] Omentum est membrana pinguis in ventre, ventriculo et intestinis superposita, ἐπίπλοον, et ἐπίπλουν Græcis. Homerus habet hic γαστέρες αἰγῶν, 'ventres caprarum.'

[c] *Ridicula adhortatione*] Ut ad ostium in posterum cum scipione sedens, canes et sues abigeret.

PERIOCHA 19. ODYSSEÆ. 463

At parte interiore domus secretus Ulixes.

2. Ulixes et Telemachus arma omnia de medio amoliun-

[redacted]

[redacted]

ex vulnere in Parnasso [1] [a] quondam suis dente percussus. Quo argumento, alumnum suum esse agnoscit. Sed ab eodem, ne quid ultra vel quærat, vel garriat, coërcetur.

bebat ex plaga, cum ictus fuisset olim dente apri in Parnasso. Quo indicio agnoscit eum esse suum alumnum. Verum prohibetur ab ipso ne aliquid amplius inquirat, aut deblateret.

1 Alii *Parnesso:* alii *Parnaso.*

NOTÆ

[a] *In Parnasso*] Παρνησὸν habet Homerus Autolyci patriam materni avi Ulixis, unde urbis hic nomen esse non montis illius celebratissimi Accursius non immerito observat. In monte autem et sylva Parneso vicina venantem cum Autolyci filiis Ulixem ab apro percussum memorat hic Homerus. Vinetus tamen de Parnasso monte locum hunc intelligit, et Parnasum uno *S* scriptum fuisse observat.

PERIOCHA XX. ODYSSEÆ. 464

Jamque procos genua amplectens orabat Ulixes.

2. Epulantibus procis Ctesippus [1] in Ulixem crus bubulum jacit: sed destinatione non potitur. Theoclymenus autem, apud Ithacenses divinationis expertus, [a] imminens

Et jam Ulixes precabatur procos amplectens eorum genua.
Cum proci convivarentur, Ctesippus mittit in Ulixem crus bovis: at non percutit eum ut habuerat in animo. Theoclymenus vero, vates cognitus apud Ithacen-

1 *Ertesippus* vulg. Vid. Not. inf.

NOTÆ

[a] *Divinationis expertus*] In veteri Cod. *divinationis ex parte,* unde Vinetus, *divinationis expertæ.* Sed obstare videtur, quod Argivus ille vates Theoclymenus cum Telemacho nuper in Ithacam venerat; quomodo ergo, *apud Ithacenses divinationis expertæ,* potuit esse novus hospes? Tollius ideo retinet, *divinationis expertus,* et interpretatur, 'divinationis suæ tunc primum periculum faciens apud Ithacenses,' sed et *divinationis expertus* eodem sensu accipi potest quo *divinationis expertæ,* hoc est, cognitus propter divinationem, quam etsi nondum in Ithaca exercuisset, potuerat tamen ab Ithacensibus aliquibus rogatus Argis in sua patria futura prædixisse, sicque nomen clari vatis in ea insula jam ante adventum suum obtinere; hæcque adeo causa esse potuit Telemacho eum secum abducendi. Itaque sive *expertæ,* sive *expertus* legas, stabit Interpretatio nostra: 'Vates cognitus apud Ithacenses.'

procis vaticinatur exitium. Quorum multa cavillatione derisus, mensa et domo, tanquam furiosus, excluditur.

ses, prædicit procis instantem perniciem. A quibus irrisus multis cavillis, ejicitur e mensa et ex ædibus, veluti insanus.

PERIOCHA XXI. ODYSSEÆ. 465

Hic mentem dedit Icariæ Tritonia Pallas.

2. Ulixes Eumæo et Philœtio,[a] fidei eorum industriæque confisus, quis sit revelat. Et postquam facta cognitio est, cædem procorum tempore instrui[1] placet. 3. Quos Ulixes astu aggreditur, ut ipsum quoque intendendo arcum vires seniles explorare patiantur, quem, uni quondam Ulixi facilem, si quis intenderet, habiturus esset præmium, jus Penelopes nuptiarum. 4. Sed prohibentibus procis, ne id ridiculus et mendicus auderet, quod frustra juventus tam lecta tentasset, dat Telemachus Ulixi, ceteris abnuentibus, experiendi potestatem. Et hinc nascitur admiratio prima virtutis, dedecore suo ceteris erubescentibus, quorum ignaviam senex et mendicus[2] arguerit.

In hoc libro Minerva Tritonia immisit in animum Penelopæ, &c.
Ulixes aperit Eumæo et Philœtio quis sit, fidens eorum fidelitati et solertiæ. Et post peractam agnitionem statuunt tempestive parare interfectionem procorum. Quos Ulixes adoritur dolo, ut sinant etiam ipsum experiri vires suas seniles tenden-

[redacted]

PERIOCHA XXII. ODYSSEÆ. 466

Squalentes humeris habitus rejecit Ulixes.

2. Ulixes loco ulteriore capto intendit arcum, omnibusque foribus occlusis, ne qua pateret effugium, plerosque vino saucios, aut novitate rei stupidos, aut quidlibet aliud meditantes conficit. Cum primum omnium confixisset Antinoum, qui audacia et petulantia ceteros superaverat; Eumæus, et Telemachus, et Philœtius, sumtis et ipsi armis, egregia in consternatos cæde grassantur. 3. Jamque omnibus interemtis, duobus tantummodo parcitur: Phemio citharœdo, qui ministerii causa adhibitus, nihil omnino in Ulixis domo,[1] quod contumeliosum esset, ediderat; et Medonti præconi,[2] cujus modestiæ etiam Telemachus suffragabatur. 4. Et qui cum Telemacho erant,[a] Melanthium famulorum Ulixis unum,[b] qui procorum proterviam semper armaverat, cruciabiliter occidunt. Puellas inde duodecim, quæ cum procis flagitiose consueverant, suspendio per-

Ulixes deposuit ex humeris suis amictus sordidos.

Ulixes occupato loco remotiore tendit arcum, et clausis cunctis januis, ne exitus apertus esset aliqua parte, interficit plurimos temulentos, vel attonitos insolentia rei, vel cogitantes quidvis aliud. Cum perfodisset primum omnium Antinoum, qui prætergressus erat reliquos arrogantia et protervia; Eumæus, et Telemachus, et Philœtius, captis quoque armis, miram stragem edunt procorum perculsorum metu. Et jam interfectis omnibus ignoscitur duntaxat duobus, scilicet Phemio fidicini, qui adductus ad fungendum arte sua, nihil prorsus fecerat in ædibus Ulixis quod esset injuriosum ei: et Medonti præconi, cujus moderationem Telemachus quoque laudabat. Qui vero erant cum Telemacho interficiunt diris suppliciis Melanthium unum e servis Ulixis, qui semper armaverat insolentiam procorum. Deinde interficiunt suspendio duodecim ancillas, quæ turpiter rem habebant cum procis.

1 *Nihilominus* in *U.* vulg. ‘Dictio, *nihilominus*, intellectum frangit. Emendandum igitur fortasse fuerit, *nihil*, aut, *nihil omnino*, aut etiam, *nihil minus in U. domo, quam quod c. e. ediderat.* Sed tam hoc, quam quod sequitur, multo magis in medio relinquimus.’ *Accursius.*—2 *Medonti uni* vulg.

NOTÆ

[a] *Et qui cum Telemacho erant*] Hæc non superioribus jungenda, sed connectenda esse cum sequentibus, recte admonuit Mariang. Accursius. Nam revera Eumæus et Philœtius, qui cum Telemacho erant, jussu Ulyssis Melanthium in cruciatibus interficiunt apud Homerum.

[b] *Melanthium famulorum Ulixis unum*] Caprarium.

imunt. Ulixes cæde ad plenum perpetrata, ignem adolet; incensoque sulfure domum piaculo purgat.

Ulixes, peracta omnino cæde, accendit ignem; et lustrat expiatione ædes accenso sulfure.

PERIOCHA XXIII. ODYSSEÆ. 467

Chalcidicum gressu nutrix superabat anili.

2. Euryclia nutrix, gestæ rei nuntia, Penelopen de somno excitat. Quæ[1] advenientem ad se maritum non temere ipsum esse persuadet. Quadam cubiculi lege, et genialis lectuli positu,[2] sibi tantum et Ulixi cognito, an ipse sit maritus, explorat. 3. In cœtum deinde conveniunt, totamque noctem mutuo sermone consumunt. Et hinc quidem elegans replicatio laborum, quos Ulixes pertulit, mira concinnatione colligitur.

Nutrix conscendebat cœnaculum passu anili.

Euryclia nutrix, nuntians quod factum erat, expergefacit Penelopen. Quæ non leviter inducit in animum conjugem suum ad se venientem esse ipsum. Periclitatur num ipse sit suus conjux, ex quadam dispositione thalami, et situ tori maritalis noto sibi duntaxat et Ulixi. Postea congrediuntur in Venerem, et transigunt totam noctem colloquio reciproco. Et inde quidem venusta repetitio laborum, quos Ulixes toleravit, contrahitur mirabili brevitate.

1 Legendum monet Barthius: *Quei.*

NOTÆ

[redacted]

[redacted]

que lectorum juvenum congregem densitatem, uno[1] agmine commeantem,[2] [a] causas interitionis accipiunt. 3. Tum apud Inferos quoque virtus Ulixis, et Penelopes pudicitia prædicantur, ab Agamemnone præ ceteris, cui dispar fuerat in utroque[3] fortuna.[b] Ulixes ad Laërtem patrem in agrum profectus, et inopinato reditu,[4] et rerum gestarum relatu, affecit senem: afficitur ab eo cognitis,[5] quas exantlasset, ærumnis.[6] 4. Subinde et patres procorum, neces juvenum properant ultum ire: consilioque et vi communicatis,[7] ante expectatum agro superveniunt. Sed eos jam comitatior Ulixes fundit, fugatque. 5. Verum gliscentibus odiis, et majore seditione aut tumultu spectato, ex sententia Jovis in Ithacam Minerva descendit: et conciliata utrimque pace, studia, et motus partium, rerum gestarum abolitione[8] [c] componit.

Et cum admiratæ essent collectam turbam juvenum exquisitorum euntium una caterva, cognoscunt ex eis causas mortis eorum. Tunc fortitudo Ulixis, et castimonia Penelopes celebrantur etiam in Inferis, præcipue ab Agamemnone, qui habuerat sortem dissimilem in his duabus rebus. Ulixes cum ivisset rus ad patrem suum Laërtem, permovit senem, et reversione sua inexpectata, et narratione eorum quæ fecerat. Permovetur etiam ab eo auditis miseriis quas pertulerat. Paulo post etiam parentes procorum festinant vindicare mortem illorum juvenum: communicatisque inter se consiliis ac viribus, prius opinione adveniunt in agrum, ubi erat Ulixes. Verum Ulixes jam melius stipatus dissipat eos et vertit in fugam. Sed cum odia crescerent, et jam prævideretur major seditio vel etiam bellum intestinum, Pallas delabitur in Ithacam Jovis monitu: et facta pace inter utramque partem, sedat studia, et agitationes factiquum oblivione eorum quæ facta erant.

1 *Juvenum gregem densitatemque u.* legit vetustissima Parisiensis ed. Mariangelus Accurs. ex antiquioribus libris reponendum censuit: *j. cum grege densitatem u.* Vid. inf.—2 Grævius legit, *commeantum*; Tollius, *commeantium.* —3 Conjicit Grævius, *in utrumque.*—4 Vetust. exemplar: *inopinato et reditu.* —5 Al. *cognitu.*—6 Alii, *exanclasset ærumnas.*—7 Sic restituit Accursius, pro, *communicationis.*—8 Sic Grævius, pro, *absolutione.*

NOTÆ

[a] *Congregem densitatem, uno agmine commeantem*] Sic bene Vinetus et Tollius. *Congregem* expone *congregatam*: composito hoc utitur etiam alibi Ausonius, et sæpius Apuleius noster.

[b] *Cui dispar fuerat in utroque fortuna*] In virtute scilicet sua, et pudicitia uxoris. Quippe cum uxorem nactus esset Ulixes castissimam Penelopen, Agamemnon adulteram Clytæmnestram: vicisset et interfecisset uxoris procos Ulixes adveniens; Agamemnon vero Troja reversus ab Ægistho conjugis suæ adultero fuisset interfectus.

[c] *Abolitione*] 'Αμνηστίᾳ, 'oblivionis lege.'

AUSONII

BURDIGALENSIS

PRÆFATIUNCULÆ TRES.

THEODOSIO AUGUSTO AUSONIUS. 469

AGRICOLAM si flava Ceres dare semina terræ,
  Gradivus jubeat si capere arma ducem,
Solvere de portu classem Neptunus inermem;
  Fidere tam fas est, quam dubitare nefas;
Insanum quamvis hyemet mare, crudaque tellus
  Seminibus, bello nec satis apta manus.

Si Ceres flava præcipiat agricolæ ut mandet semina terræ, si Mars præcipiat Imperatori ut induat arma, si Neptunus jubeat classem licet non armatam proficisci e portu; tam licet confidere eorum jussis, quam non licet ambigere de felici successu: quanquam pelagus furens agitetur tempestate, et terra nondum sit matura seminibus accipiendis, neque manus satis apta ad bellum. Nihil cuncteris suscipere

[redacted]

[redacted]

Nil dubites auctore bono: mortalia quærunt
 Consilium: certus jussa capesse Dei.
Scribere me Augustus jubet: et mea carmina poscit,
 Pæne rogans: blando vis latet imperio.
Non habeo ingenium: Cæsar sed jussit: habebo.
 Cur me posse negem, posse quod ille putat?
Invalidas vires ipse excitat: et juvat idem,
 Qui jubet: obsequium sufficit esse meum.
Non tutum renuisse Deo: laudata pudoris
 Sæpe mora est, quotiens contra parem dubites.
Quin etiam non jussa parant erumpere dudum
 Carmina: quis nolit Cæsaris esse liber,
Ne ferat indignum vatem, centumque lituras,
 Mutandas semper deteriore nota?
Tu modo te jussisse, pater Romane, memento:
 Inque meis culpis da tibi tu veniam.

auctore idoneo jubente. Quæ homines suadent indigent deliberatione. Suscipe fidenter quæ Deus imperat. Augustus imperat ut scribam, et petit meos versus fere orans: magna vis subest jussui blando. Non est mihi ingenium: at Cæsar imperavit: erit ergo mihi. Quare inficier me posse id quod is credit me posse? Ipse excitat vires meas languidas: et idem qui imperat adjuvat etiam. Satis est mihi si paream ei. Periculosum est resistere Numini. Sæpe laudabilis est cunctatio orta ex verecundia, quandocumque cuncteris erga alium tibi parem. Sed etiam versus mei jam diu gestiunt prodire in publicum, quanquam non jubeantur. Quis vero liber recuset prodire sub tutela Cæsaris, ut cum emissus fuerit non patiatur amplius me poëtam indignum hoc nomine, et centum lituras immutandas semper a me pejore correctione? Tu modo memineris, o Imperator Auguste, te jussisse meum librum edi. Et ignosce tu ipse tibi in meis erratis.

[vs. 11.] *Non habeo id genii:* haud ita recte.' *Tollius.*—22 ' Hoc melius, quam quod in Aldina Gryphianaque ed. legitur: *Inque tuis culpis.*' Idem.

NOTÆ

capessendas, licet imparatum, jussu suo impulerint.

7 *Auctore bono*] Cum nempe suadet is, qui, ut inceptum recte perficias, præstare potest.

8 *Certus jussa capesse Dei, &c.*] Sic illi, quanquam Christiani, de Imperatoribus suis, inolita pridem et paganis familiari adulatione. Paulo infra: ' Non tutum renuisse Deo.'

10 *Blando vis latet imperio*] Similiter in Epistola Centoni prævia: ' Potentissimum imperandi genus est, cum is rogat, qui jubere potest.'

19 *Ne ferat indignum vatem, centumque lituras*] Sic Martialis lib. I. Epigr. IV. ad librum suum: ' Sed tu ne toties Domini patiare lituras, Neve notet lusus tristis arundo tuos, Ætherias, lascive, cupis volitare per auras:

NOTÆ

I, fuge; sed poteras tutior esse domi.' Vide in hanc sententiam plura apud Quintil. lib. x. de Emendatione.

21 *Pater Romane*] Ex ea adulatione, qua Augustos suos, 'Patres patriæ' appellabant.

22 *Inque meis culpis da tibi tu veniam*] Quoniam culparum, si quas, opera mea publici juris faciendo, admiserim, tu ipse causa es, qui ut facerem præcepisti.

AUSONIUS SYAGRIO SUO S. 470

Ausonius genitor nobis: ego nomine eodem
Qui sim, qua secta, stirpe, lare, et patria,
Ascripsi, ut nosses, bone vir, quicumque fuissem,
Et notum memori me coleres animo.
Vasates patria est patri: gens Ædua matri
De patre: Tarbellis sed genitrix ab Aquis.

Ausonius mihi pater est. Ego appellor eodem nomine. Scripsi hic quis sim, qua professione, quo genere, qua domo, et ex qua regione, ut cognosceres, o bone vir, qualis fuissem, et cum me novisses, honorares me grata mente. Vasates sunt patria mei parentis: familia meæ matris ex parte patris ejus est Ædua: at mater

In veteri Lugdunensi cod. titulus hic fuit: *Abhinc Ausonii opuscula*, quem sequebatur Carmen, 'Ausonius genitor nobis,' cum titulo, *Ausonius lectori salutem*.

NOTÆ

Ausonius Syagrio suo] Hanc Epigraphen præferebant tria tantum ex- [redacted]

S. Et revera Ausonium ex suis ipsius poëmatis illud contexuisse quid [redacted]

Ipse ego Burdigalæ genitus: divisa per urbes
Quatuor antiquas stirpis origo meæ.
Hinc late fusa est cognatio, nomina multis
Ex nostra, ut placitum, ducta domo veniant
Derivata aliis: nobis ab stemmate primo
Et non cognati, sed genitiva placent.
Sed redeo ad seriem: genitor studuit Medicinæ,
Disciplinarum quæ dedit una Deum.
Nos ad Grammaticen studium convertimus: et mox
Rhetorices etiam quod satis attigimus.
Nec fora non celebrata mihi: sed cura docendi
Cultior: et nomen Grammatici merui:
Non tam grande quidem, quo gloria nostra subiret
Æmilium aut Scaurum, Berytiumque Probum;

ipsius fuit ex Aquis Tarbellicis. Ego ipse natus sum Burdigalæ. Primordia meæ familiæ sunt distributa per quatuor civitates vetustas. Hinc nostra cognatio procul extensa est, et nomina perveniant ad plurimos tracta e nostra familia, ut libuerit, deflexa ad alios: mihi placent nomina ducta a prima stirpe, ac non petita a cognato aliquo, sed a parentibus. Verum resumo filum meæ originis: pater meus operam dedit medicinæ, quæ sola ex artibus produxit aliquem Deum. Ego incubui Grammaticæ: et dehinc didici de Oratoria arte quantum mihi sufficiebat. Frequentavi quoque judicia: verum magis exercui artem docendi: et comparavi mihi nomen Grammatici non adeo illustre quidem, ut laus mea accederet ad Æmilium,

lutem. Vid. inf. et Not. Var.—20 Legendum monet Tollius, *Æmilium ad Scaurum*, et 'Si hæc,' inquit, 'non arridet, tametsi sincera sit et genuina

NOTÆ

Ædui *Autun:* Tarbelli *les Basques*, quorum caput Tarbellicæ aquæ *Aqs*, vel *d'Acqs*.

6 *De patre*] Cæcilio Argicio Arborio, de quo est Carmen IV. Parentalium.

Sed genitrix] Æmilia Corinthia Maura. De qua Carm. V. Parentalium.

7 *Per urbes Quatuor antiquas*] Vasates, Æduos, Aquas Tarbellicas, et Burdigalam.

12 *Genitor studuit Medicinæ*] Carm. I. Parent. quod est de patre Julio Ausonio: 'Præditus et vitas hominum ratione medendi Porrigere, et fatis amplificare moras.'

14 *Quæ dedit una Deum*] Æsculapium.

20 *Æmilium aut Scaurum, Berytiumque Probum*] Æmilii magni Arborii Rhetoris Tolosani meminit Carmine XV. Professorum. Scaurus et Probus nobiles fuere Grammatici. Carm. XV. Profess. de Nepotiano: 'Scaurum Probumque corde callens intimo.' Et Carm. XX. de Staphylio: 'Grammatice ad Scaurum atque Probum.' Probum hunc Berytium fuisse hinc videre est. Berytus Phœnices urbs est in ora Libano monti subjecta, Theodosii et Justiniani temporibus legum studiis celeberrima.

Sed quo nostrates, Aquitanica nomina, multos
  Collatus, non et subditus, aspicerem.
Exactisque dehinc per trina decennia fastis
  Asserui doctor municipalem operam.
Aurea et Augusti palatia jussus adire
  Augustam sobolem Grammaticus docui:
Mox etiam Rhetor: nec enim fiducia nobis
  Vana, aut non solidi gloria judicii.
Cedo tamen fuerint fama potiore magistri,
  Dum nulli fuerit discipulus melior.
Alcides Atlantis, et Æacides Chironis,
  Pæne Jove iste satus, filius ille Jovis,
Thessaliam, Thebasque suos habuere penates:
  At meus hic toto regnat in orbe suo.
Cujus ego Comes, et Quæstor, et culmen honorum,
  Præfectus Gallis, et Libyæ, et Latio:

vel Scaurum, aut Probum Berytium: sed ut intuerer multos ex mea patria Aquitanos comparatus illis, at non inferior. Ac deinde elapsis fastis annorum per ter decem annos, vindicavi mihi munus docendi in urbe municipali. Et, accersitus in palatia aurata Imperatoris, erudivi prolem ejus Augustam ut Grammaticus, deinde ut Rhetor quoque. Nam non est mihi inanis confidentia, neque laus mea nititur judicio non firmo. Nihilominus extiterint præceptores magis celebrati, per me licet, dummodo nemo habuerit meliorem discipulum. Hercules discipulus Atlantis, et Achilles discipulus Chironis, hic fere genitus Jove, ille natus Jovis, possederunt pro laribus suis Thessaliam, et Thebas. Verum hic meus discipulus imperat per totum orbem terrarum sibi subditum. A quo ego factus sum Comes, et Quæstor, et, quod fastigium est honorum, Præfectus Prætorio Galliarum, et

[redacted]

[redacted]

Et prior indeptus fasces, Latiamque curulem,
Consul, collega posteriore, fui.
Hic ego Ausonius: sed tu ne temne, quod ultro
Patronum nostris te paro carminibus.
Pectoris ut nostri sedem colis, alme Syagri,
Communemque habitas alter ego Ausonium:
Sic etiam nostro præfatus habebere libro,
Differat ut nihilo, sit tuus, anne meus.

Africæ, et Italiæ: et prior adeptus fasces, ac sellam curulem Romanam, fui Consul prælatus meo Collegæ. Ego Ausonius talis sum: at tu ne asperneris, quod ego sponte velim te asciscere protectorem meis versibus. Quemadmodum habitas in meo corde, o care Syagri, et incolis eundem Ausonium ac ego, cum sis alter ego; ita etiam nominaberis in fronte mei libri, ut nihil intersit an sit tuus, an vero meus.

NOTÆ

lari,' &c. Ubi vide Notas.

Et culmen honorum, Præfectus, &c.] Secundus quippe ab Imperatore, in rebus ad militiam et statum rei Romanæ pertinentibus Magistri equitum loco erat, cum ipse princeps esset loco Dictatoris. Nec a Præfecto Præt. appellari poterat. Vide de ejus officio titulum 11. lib. I. digestorum et tit. 26. lib. I. Codicis; et quæ observavimus ad illa verba Epistolæ XVI. ad Probum: 'Dico hunc Senati præsulem, Præfectum eundem, et Consulem (nam Consul æternum cluet).'

36 *Præfectus Gallis, &c.*] Versus hic est 42. Epicedii in patrem.

37 *Et prior indeptus fasces, &c. Consul, collega posteriore, fui*] In Gratiarum Actione: 'Cum clarissimo viro collega meo honore conjunctus, nuncupatione prælatus.' Et post: 'Neque autem ego, sacratissime Imperator, in tenui beneficio gradum nuncupationis amplector. Num est hæc gloria ignota Ciceroni? Prætorem me, inquit, pop. Romanus primum fecit, Consulem priorem,' &c. Post hos versus sequuntur in codice Lugdunensi disticha quatuordecim ex variis Ausonianorum Carminum, maxime Parentalium, locis desumta; quorum primum incipit: 'Morigeræ uxoris virtus cui contigit omnis.' In quibus non jam Ausonius ipse de se, sed aliquis alius de Ausonio in tertia persona loquitur. Ea Tollius omnino non edidit. Ego inter testimonia de Ausonio sub titulo, *Incerti Auctoris*, excudi curavi.

39 *Hic ego Ausonius*] Hæc quæ sequuntur disticha tria, ut jam monui in Lugdunensi codice, separatim scripta erant sub eo titulo quem supra posuimus: *Ausonius Suagrio, vel Syagrio.* Nota hic hiatum: *Ego Ausonius*, posteriore vocis *Ego* syllaba non elisa more Græcis poëtis usitato. Fuere tamen qui inserta voce *sum* corrigere vellent: *Hic ego sum Ausonius.*

41 *Pectoris ut nostri, &c.*] Tollius hic: 'Ut ut alii aliter sentiant, extrema duo disticha vere Ausoniana, a superiore carmine sejungenda censeam, quod an Ausonii sit dubito. Certe mutilum est.'

AUSONIUS LATINO PACATO DEPRANIO, FILIO. 471

Cui dono lepidum novum libellum?
Veronensis ait poëta quondam:
Inventoque dedit statim Nepoti.
At nos illepidum, rudem libellum,
Burras, quisquilias, ineptiasque,
Credemus gremio cui fovendum?
Inveni, trepidæ silete nugæ,
Nec doctum minus, et magis benignum,
Quam quem Gallia præbuit Catullo.
Hoc nullus mihi carior meorum.
Quem pluris faciunt novem Sorores,
Quam cunctos alios, Marone demto.

Cui do novum hunc libellum facetum? Dixit olim poëta Veronensis; et donavit eum illico Nepoti, animo suo occurrenti. Verum cuinam ego committam libellum hunc inficetum et impolitum plenum gerrarum, quisquiliarum, et ineptiarum, ut eum foveat in sinu? Nugæ meæ quæ solicitæ eratis, tacete. Reperi virum non minus eruditum, et magis benevolum, quam eum quem Gallia suppeditavit Catullo. Nemo meorum est mihi carior illo. Quem Camenæ pluris æstimant quam ceteros

6 Alii, *gremio cujus.*—7 Tollii ed. habet *Inveni, trepide silete nactæ.* Codd.

NOTÆ

Latino, &c.] Is est Proconsul Panegyristes Theodosii, ad quem Auso- [redacted]

qui *burras* ex idiomate suo nossent, *gerras* ignorarent, in *burras* conver- [redacted]

PACATUM haud dubie, Poëta, dicis.
Ipse est. Intrepide volate, versus:
Et nidum in gremio fovete tuto.
Hic vos diligere, hic volet tueri.
Ignoscenda teget, probata tradet.
Post hunc judicium timete nullum.

omnes, si Virgilium excipias. O Poëta, proculdubio vis dicere Pacatum. Is ipse est. Currite ad eum audacter, mea carmina, et fovete nidum vestrum in sinu ejus vobis tuto. Hic volet vos amare et defendere. Occultabit ea quæ in vobis venia indigent, emittet in publicum ea tantum quæ approbaverit. Post censuram hujus viri ne vereamini ullam aliam censuram.

Lugdunenses *natæ*.—15 Vetus liber et edd. *nudum*.

NOTÆ

13 *Pacatum haud dubie, &c.*] Hæc intellige a Carminibus Ausonio dicta.

14 *Ipse est*] Hæc Ausonius carminibus respondet.

15 *Nidum*] Metaphora ab avibus.

DIVERSORUM EPISTOLÆ

AD

AUSONIUM.

THEODOSIUS AUGUSTUS AUSONIO PARENTI SALUTEM.

Amor meus, qui in te est, et admiratio ingenii, atque eruditionis tuæ, quæ multo maxima sunt, fecit, Parens jucundissime, ut morem principibus aliis solitum sequestrarem; familiaremque sermonem autographum ad te transmitterem: postulans pro jure non quidem regio, sed illius privatæ inter nos caritatis, ne fraudari me scriptorum tuorum lectione patiaris: quæ olim mihi cognita, et jam per tempus oblita, rursum desidero, non solum ut quæ sunt [redacted]

SELECTÆ SYMMACHI AD AUSONIUM EPISTOLÆ.

Ex editione Lugd. Batav. an. 1653.

I. SYMMACHUS AUSONIO.

Petis a me literas longiores. Est hoc in nos veri amoris indicium. Sed ego, qui sum paupertini mei ingenii conscius, Laconicæ malo studere brevitati, quam multijugis paginis infantiæ maciem publicare. Nec mirum, si eloquii nostri vena tenuata est; quam dudum neque ullius poëmatis tui, neque pedestrium voluminum lectione juvisti. Unde igitur sermonis mei longam poscis usuram, qui nihil literati fœnoris credidisti? Volitat tuus *Mosella* per manus sinusque multorum, divinis a te versibus consecratus: sed tantum nostra ora prælabitur. Cur me istius libelli, quæso, exsortem esse voluisti? Aut *amusos* tibi videbar, qui dijudicare non possem; aut certe malignus, qui laudare nescirem. Itaque vel ingenio meo plurimum, vel moribus, derogasti. Ego tamen contra interdictum tuum mox ad illius operis arcana perveni: velim reticere quid sentiam: velim de te justo silentio vindicari: sed admiratio scriptorum sensum frangit injuriæ. Novi enim istum fluvium, cum Æternorum Principum jampridem signa comitarer, parem multis, imparem maximis. Nunc improviso clarorum versuum dignitate Ægyptio Melone majorem, frigidiorem Scythico Tanai, clarioremque hoc nostro populari Fucino reddidisti. Nequaquam tibi crederem, de Mosellæ ortu ac meatu magna narranti; nisi certo scirem, quod nec in poëmate mentiaris. Unde illa amicorum piscium examina reperisti? quam nominibus varia, tam coloribus; ut magnitudine distantia, sic sapore; quæ pigmentis istius Carminis supra naturæ dona fucasti. Atqui in tuis mensis sæpe versatus, cum pleraque alia, quæ tunc in Prætorio erant, esui objecta mirarer; nunquam hoc genus piscium deprehendi. Quando hi pisces in libro tibi nati sunt, qui in ferculis non fuerunt? Jocari me putas,

atque agere nugas? Ita me Diis probabilem præstem![a] ut ego tuum Carmen libris Maronis adjungo. Sed jam desinam mei oblitus doloris, inhærere laudibus tuis, ne hoc quoque ad gloriam tuam accedat, quod te miramur offensi. Spargas licet volumina, et me semper excipias: fruemur tamen tuo opere, sed aliorum benignitate. VALE.

NOTÆ

[a] *Ita me Diis probabilem præstem*] Quidam editi habent: *Ita me Dii Dominis probabilem præstent*. Quam lectionem genuinam esse censeo, probatque vox ÆTERNORUM quam superius usurpavit Symmachus, de Principibus suis mentione injecta.

II. SYMMACHUS AUSONIO.

SÆPE unanimitatis tuæ sermone convenior, ut de acceptis literis, quas ad me cura propensiore misisti, vel scribam; quibus ego, ut quæque redditæ sunt, actutum pari religione respondi: quia neque rescriptorum ratio, neque amoris vicissitudo sinebat diutius desidere. Nunc quoque agere me atque habere gratias protestor, quod prospera nuntiorum clam me esse non pateris. Hæc et alia prioribus quoque literis tecum fueram collocutus. Sed si te tabellarii sermonis mei compotem reddiderunt, congesta non onerant. Malo quippe aures tuas iterando obtundere, quam fraudare reticendo.[a] Fratris mei Hesperii[b] honore [redacted]

erubescit? Quid quod eam rem mihi supersedit ingerere, quam juste ad utrumque noverat pertinere? Verum ego, ut religiose ista conqueror, ita libenter omitto: quia nec amori in vos meo convenit silere, quod doleam; nec amicitiæ incussi doloris transire mensuram. VALE.

III. SYMMACHUS AUSONIO.

Ego etsi continuis literis honorem tuum celebrare possem, non satis mihi viderer, proquam res postulat, fungi debitum meum: tantum abest, ut operam assiduitatis exprobrem. Sed ut hoc meæ verecundiæ competit; ita tuæ humanitatis est, studium nostrum pari gratia sustinere. Animadverte, quo tendat summa verborum. Jamdudum nihil tribuis, quod legamus. Totum me, inquies, emancipavit sibi cura Prætorii. Verum est; potiris merito summa judicia.[a] Sed maximas ingenii tui vires fortuna magna non onerat. Proinde his etiam rebus intende, quæ ita occupatis nihil molestiæ afferunt, ut ipsas molestias plerumque solentur. VALE.

NOTÆ

[a] *Potiris summa judicia*] Rectius mea sententia Juretus, qui legit *summa judicii*, atque ad dignitatem Præfecti Prætorio, qua claruit Ausonius, refert. Hinc in cod. Theod. lib. de Episc. Judic. ad Ablavium Præfectum Prætorio scribens, 'qui judiciorum,' ait, 'summam tenetis.'

IV. SYMMACHUS AUSONIO.

Bene ac sapienter majores nostri, ut sunt alia ætatis illius, ædes Honori atque Virtuti gemella facie junctim locarunt; commenti, quod in te videmus, ibi esse præmia honoris, ubi sunt merita virtutis. Sed enim propter eas Camœnarum religio sacro fonti advertitur; quia iter ad capessendos magistratus sæpe literis promovetur. Hæc parentum instituta Consulatus tui argumenta sunt: cui morum gravitas, et disciplinarum vetustas,[a] curulis sellæ in-

NOTÆ

[a] *Disciplinarum vetustas*] Legendum puto *venustas*, ut morum gravitati opponatur venustas disciplinarum. Omnia enim effert per antithesim,

signe pepererunt. Multi posthac annitentur artes bonas, et laudes germanas, et meras literas. Sin ignoramus Magnum illum, cujus supra votum fortuna fluxit, Stagiritæ suo nihilum commodasse, nisi Quinto Ennio ex Ætolicis manubiis captiva chlamys tantum muneri data Fulvium decolorat. Enimvero neque Panætio Africanorum secundus, neque Opillo Rutilius, vel Cyneæ Pyrrhus, aut Metrodoro suo Mithridates Ponticus liberalium disciplinarum pretia solverunt. At nunc eruditissimus Imperator, et opum largus et honorum, quasi pro usura tibi præmia detulerit, ita super sortem fœnoris reddit. In hac tanta lætitia mea, quibus verbis diluam, quod adesse non possum? [b] Nimis vereor, ne male interpretatus excusationem meam, quantum tibi gratulor parum credas. Optavi ad oculos tuos raptim venire: sed fessus virium, quas diu morbus exhausit, itiones longas, et mansiones asperas, tum accessiones frigorum, et decessiones dierum, quæque alia sunt noxæ opportuna, vitavi. Si sum tibi spectatus ex animo, quæso ut æquus sis mihi, atque has allegationes boni consulas. Fors fuat, an obtineamus apud te veterem gratiam: nunc quod satis est, eluctemur offensam.

NOTÆ

ut jam notavi.

[b] *Adesse non possum*] Treveri, in qua urbe Ausonium sæpe diximus consulatum inivisse.

[redacted]

[redacted]

tiones,[c] atque epulum postulassem: tu mihi mensas secundas, et scitamenta exiguæ lancis apponeres? Fac veniat in mentem, quid Græca super hoc dicat oratio. *Parvis nutrimentis,* inquit, *quanquam a morte defendimur, nihil tamen ad robustam valetudinem promovemur.* Putasne, me de occupationibus tuis esse taciturum? Quæstor es, memini: consilii regalis particeps, scio: adde huc alia mille rerum. Nunquam evenit, ut ingenium tuum labor deterat, benignitatem cura flectat, facundiam usus exhauriat. Si diurna negotia nunquam distingues quiete; certe antelucano somno nullus indulseris, ut detur aliquod tempus officiis. An tibi parum exempli videtur in Comico, cum ait:

Quam vellem[d] *etiam noctu amicis operam mos esset dari!*

Sed cur ego sermonis pauper diutius obgannio? Imitanda est mihi epistola recens, ut cetera morum tuorum: forte occupatus recusas literas longiores. Id ita esse recte conjecto. Video enim, quam nolis multa legere, cui vix est otium pauca dictare. VALE.

NOTÆ

[b] *Saliare convivium*] Vetusto proverbio Saliares dictæ lautissimæ cœnæ, a Saliis Martis Dei Romæ sacerdotibus.

[c] *Visceratione*s] Dictæ, cum solenni sacro, aut Magnatis funere, multorum animalium caro plebi distribuitur. 'Populo visceratio data a Marco Flavio in funere matris.' Livius Hist. III.

[d] *Quam vellem, &c.*] Ex Terentii Adelphis, initio actus 4.

VI. SYMMACHUS AUSONIO.

ETSI plerumque vera est apud parentes prædicatio filiorum, nescio quo tamen pacto detrimentum meriti sui patitur, dum personarum spectare gratiam judicatur. Quæro igitur incertus animi, quæ mihi nunc potissimum super viro honorabili THALASSIO[a] genero tuo verba sumenda sint. Si parce morum ejus decora attingam, liventi similis æstimabor: si juste prosequar, ero proximus blandienti. Imi-

NOTÆ

[a] De Thalassio vide quæ annotavimus ad Parentalia, et ad Epicedion.

tabor igitur Sallustiani testimonii castigationem. Habes[b] virum dignum te, et per te familia Consulari; quem fortuna honori patris majorem beneficiis suis reperit, emendatio animi et sanctitas honoribus æquiparavit. Vale.

NOTÆ

[b] *Habes, &c.*] Scipio Æmilianus de Jugurtha in literis ad Micipsam, apud Sallust. 'En habes virum dignum te, atque avo suo Masinissa.'

VII. SYMMACHUS AUSONIO.

Merum gaudium eruditionis tuæ scripta tribuerunt, quæ Capuæ locatus accepi. Erat quippe in his oblita Tulliano melle festivitas, et sermonis mei non tam vera, quam blanda laudatio. Quid igitur magis mirer, sententiæ incertus addubito, ornamenta oris, an pectoris tui. Quippe ita facundia antistas ceteris, ut sit formido rescribere: ita benigne nostra comprobas, ut libeat non tacere. Si plura de te prædicem, videbor mutuum scabere, et magis imitator tui alloquii, quam probator. Simul quod ipse nihil ostentandi gratia facis, verendum est, genuina in te bona, tanquam affectata, laudare. Unum hoc tamen a nobis indubitata veritate cognosce, neminem esse mortalium, quem præ te diligam: sic vadatum me honorabili amore tenuisti. Sed in eo mihi verecundus plus nimio videris, quod libelli tui arguis proditorem. Nam facilius est ardentes favillas

[redacted]

ut sæpe prodaris. Certe aliquod didascalicum, seu protrepticum nostro quoque nomini Carmen adjudica. Fac periculum silentii mei, quod etsi tibi exhibere opto, tamen spondere non audeo. Novi ego, quæ sit prurigo emittendi operis, quod tu probaris. Nam quodam pacto societatem laudis affectat, qui aliena bene dicta primus enuntiat. Ea propter in comœdiis summatem quidem gloriam scriptores tulerunt: Roscio tamen, atque Ambivio, ceterisque auctoribus, fama non defuit. Ergo tali negotio expende otium tuum, et novis voluminibus jejunia nostra sustenta. Quod si jactantiæ fugax garrulum indicem pertimescis, præsta etiam silentium mihi, ut tuto simulem esse nostra, quæ scripseris. VALE.

PONTII MEROPII PAULINI AD AUSONIUM EPISTOLÆ.

Ex edit. Paris. 1685.

Paulino, cum ageret in Hispania, tres simul Ausonii Epistolæ redditæ sunt. Primæ, tertiæ quæ intercidit, et quartæ respondet Paulinus hoc Carmine anno 393. *scripto, quod inter ejusdem poëmata decimum habetur.*

I. AUSONIO PAULINUS.

QUARTA redit duris hæc jam messoribus æstas,
  Et toties cano bruma gelu riguit,
Ex quo nulla tuo mihi litera venit ab ore,
  Nulla tua vidi scripta notata manu:

NOTÆ

1 Hoc initium versibus Elegiacis scriptum, veluti quædam est Præfatio, quam sequuntur Iambici trimetri et dimetri, quibus Ausonio Paulinus rationem reddit, cur Musis valedixerit, bonaque abdicarit. Iambicos sequuntur Hexametri quibus aspera Ausonii dicta confutat, et respondet vigesimæ quintæ ejusdem Epistolæ, ac tertiæ quæ intercidit, nec non vigesimæ quartæ, in qua Therasiam, Paulini uxorem, 'Tanaquilem' vocabat. Hæc autem Paulini Epistola, quam vulgati codices trifariam antea dividebant, una debet numerari, complectiturque Elegiacum, Iambicum, et Heroicum Carmen. Quod satis in sua Præfatione declarat ipse Paulinus.

Ante salutifero felix cum charta libello
Dona negata diu, multiplicata daret.
Trina etenim vario florebat epistola textu,
Sed numerosa triplex pagina Carmen erat.
Dulcia multimodis quædam subamara querelis
Anxia censuræ miscuerat pietas.
Sed mihi mite patris plusquam censoris acerbum
Sedit, et e blandis aspera penso animo.
Ista suo referenda loco tamen, et graviore
Vindicis heroi sunt agitanda sono.
Interea levior paucis præcurrit iambus,
Discreto referens mutua verba pede.
Nunc elegi salvere jubent, dictaque salute,
Ut fecere aliis orsa gradumque, silent.

Quid abdicatas in meam curam, pater,
Redire Musas præcipis?
Negant Camœnis, nec patent Apollini
Dicata Christo pectora.
Fuit ista quondam non ope, sed studio pari,
Tecum mihi concordia,
Ciere surdum Delphica Phœbum specu,
Vocare Musas numina;
Fandique munus, munere indultum Dei,
Petere e nemoribus aut jugis.

[redacted]

Nihil afferentes ut salutem conferant,
  Quod veritatem detegat.
Quid enim tenere vel bonum aut verum queant,
  Qui non tenent summæ caput,
Veri bonique fomitem et fontem Deum?
  Quem nemo nisi in Christo videt.
Hic veritatis lumen est, vitæ via,
  Vis, mens, manus, virtus patris,
Sol æquitatis, fons bonorum, flos Dei,
  Natus Deo, mundi sator,
Mortalitatis vita nostræ, et mors necis.
  Magister hic virtutium,
Deusque nobis, atque pro nobis homo
  Nos induendo se exuit,
Æterna jungens homines inter et Deum,
  In utrumque se commercia.
Hic ergo nostris ut suum præcordiis
  Vibraverit cœlo jubar,
Abstergit ægrum corporis pigri situm,
  Habitumque mentis innovat,
Exhaurit omne quod juvabat antea
  Castæ voluptatis vice;
Totusque nostra jure Domini vindicat
  Et corda, et ora, et tempora.
Se cogitari, intelligi, credi, legi,
  Se vult timeri et diligi.
Æstus inanes, quos movet vitæ labor
  Præsentis ævi tramite,
Abolet futuræ cum Deo vitæ fides.
  Quæ, quas videmur spernere,
Non ut profanas abjicit, aut viles opes;
  Sed ut magis caras, monet
Cœlis reponi creditas Christo Deo,
  Qui plura promisit datis;

NOTÆ

52 *Virtutium*] Ita vetus codex; quod et metri ratio postulat: quamvis Priscianus lib. VII. tradat ab vi[...] tute *virtutum* duntaxat effici. *Vinctu*[...]

Contemta præsens vel mage deposita sibi
Multo ut rependat fœnore.
Sine fraude custos aucta creditoribus
Bonus æra reddet debitor;
Multaque spretam largior pecuniam
Restituet usura Deus.
Huic vacantem, vel studentem, et deditum,
In hoc reponentem omnia,
Ne quæso segnem, neve perversum putes,
Nec crimineris impium.
Pietas abesse Christiano qui potest?
Namque argumentum mutuum est
Pietatis, esse Christianum: et impii,
Non esse Christo subditum.
Hanc cum tenere discimus, possum tibi
Non exhibere, id est, patri,
Cui cuncta sancta jura, cara nomina
Debere me voluit Deus?
Tibi disciplinas, dignitatem, literas,
Linguæ, togæ, famæ decus,
Provectus, altus, institutus debeo,
Patrone, præceptor, pater.
Sed cur remotus tamdiu degam, arguis,
Pioque motu irasceris.
Conducit istud, aut necesse est, aut placet:
[redacted]

Culta prius vestræ oblitum consortia vitæ
Increpitas sanctis mota pietate querelis.
Amplector patrio venerandos pectore motus,
Et mihi gratandas salvis affectibus iras.
Sed reditum inde meum, genitor, te poscere mallem
Unde dari possit: revocandum me tibi credam,
Cum steriles fundas non ad divina precatus,
Castalidis supplex averso numine Musis?
Non his numinibus tibi me patriæque reduces.
Quod datur, in nihilum (sine numine nomina Musas
Surda vocas, et nulla rogas) levis auferet aura.
Irrita ventosæ rapiunt hæc vota procellæ,
Quæ non missa Deo vacuis in nubibus hærent,
Nec penetrant Superi stellantem regis in aulam.
Si tibi cura mei reditus, illum aspice, et ora,
Qui tonitru summi quatit ignea culmina cœli,
Qui trifido igne micat, nec inania murmura miscet,
Quique satis cœlo soles largitur, et imbres,
Qui super omne, quod est, vel in omnia totus ubique
Omnibus infusus rebus regit omnia Christus:
Qui mentes tenet atque movet, qui tempora nostra
Et loca disponit: quod si contraria votis
Constituat nostris, prece deflectendus in illa est
Quæ volumus. Quid me accusas? Si displicet actus
Quem gero agente Deo, prius est (si fas) reus auctor,
Cui placet aut formare meos, aut vertere sensus.
Nam mea si repetes, quæ pristina, quæ tibi nota,
Sponte fatebor eum modo me non esse, sub illo
Tempore qui fuerim, quo non perversus habebar,
Et perversus eram, falsi caligine cernens,
Stulta Dei sapiens, et mortis pabula vivens.
Quo magis ignosci mihi fas, quia promtius ex hoc
Agnosci datur, a summo genitore novari,

NOTÆ

129 *Reus auctor*] Ut Deus accusetur, qui me, quæ facio, facere compellit. *Idem.*

Quod non more meo geritur: non arbitror, istis
Confessus dicar mutatæ in prava notandum
Errorem mentis, quoniam sim sponte professus,
Me non mente mea vitam mutasse priorem.
Mens nova me fateor cepit, mens non mea quondam,
Sed mea nunc auctore Deo, qui si quid in actu
Ingeniove meo sua dignum ad munia vidit,
Gratia prima tibi, tibi gloria debita cedit,
Cujus præceptis partum est, quod Christus amaret.
  Quare gratandum magis est tibi, quam queritandum,
Quod tuus ille, tuis studiis et moribus ortus,
Paulinus, cui te non infitiare parentem,
Nec modo, cum credis perversum, sic mea verti
Consilia, ut sim promeritus Christi fore, dum sum
Ausonii; feret ille tuæ sua præmia laudi,
Deque tua primum tibi deferet arbore fructum.
  Unde precor meliora putes, nec maxima perdas
Præmia, detestando tuis bona fontibus orta.
Non etenim mihi mens vaga, sed neque participantum
Vita fugax hominum, Lyciæ qua scribis in antris
Pegaseum vixisse equitem, licet avia multi
Numine agente colant, clari velut ante Sophorum
Pro studiis Musisque suis: ut nunc quoque castis
Qui Christum sumsere animis agitare frequentant,
Non inopes animi, neque de feritate legentes

[redacted]

Visibus, et nunc spe sequimur, quod mente videmus,
Spernentes varias rerum spectacula formas,
Et male corporeos bona solicitantia visus.
Attamen hæc sedisse illis sententia visa est,
Tota quibus jam lux patuit, verique bonique,
Venturi æternum sæcli, et præsentis inane.
At mihi non eadem cui gloria, cur eadem sit
Fama? Fides voti par est, sed amœna colenti,
Nunc etiam et blanda posito locupletis in acta
Littoris, unde hæc jam tam festinata locorum
Invidia est? utinam justus me carpere livor
Incipiat, Christi sub nomine probra placebunt.
Non patitur tenerum mens Numine firma pudorem,
Et laus hic contemta redit mihi judice Christo.
Ne me igitur, venerande parens, his ut male versum
Increpites studiis, neque me vel conjuge carpas,
Vel mentis vitio: non anxia Bellerophontis
Mens est, nec Tanaquil mihi, sed Lucretia conjux.
Nec mihi nunc patrii est (ut vis) oblivio cœli,
Qui summum suspecto patrem, quem qui colit unum,
Hic vere memor est cœli: crede ergo, pater, nos
Nec cœli immemores, nec vivere mentis egentes,
Humanisque agitare locis; studia ipsa piorum
Testantur mores hominum: nec enim impia summum
Gens poterit novisse Deum; sint multa locorum,
Multa hominum studiis inculta, expertia legum,
Quæ regio agresti ritu caret? aut quid honestis
Improbitas aliena nocet? quid tu mihi vastos
Vasconiæ saltus, et ninguida Pirenæi

NOTÆ

181 *Cur eadem sit Fama*] Non sum Paulus ille Ægyptius, nec Antonius, nec Hilarion, nec Macharius, nec quisquam ex sanctis illis Monachis, et tamen vos in iis me ponitis. Unde isti de me dissipati rumores? *Vinetus.*

182 *Fides voti par est*] Hoc fortasse vult Paulinus: quæ de illo ex falso rumore crederentur, ea voto ejus convenire; qui solitariam illam vitam in primis probaret, et optaret: quamvis adhuc amœna Hispaniæ loca incoleret, non vastas aliquas solitudines, ut in quibus Paulum illum mortuum ferunt, et ab Antonio sepultum. *Idem.*

Objicis hospitia, in primo quasi limine fixus
Hispanæ regionis agam, nec sit locus usquam
Rure vel urbe mihi, summum qua dives in orbem
Usque patet mersos spectans Hispania Soles?
  Sed fuerit fortuna, jugis habitasse latronum:
Non lare barbarico rigui, mutatus in ipsos,
Inter quos habui socia feritate colonos.
Non recipit mens pura malum, neque levibus hærent
Inspersæ fibris maculæ: sic Vascone saltu
Quisquis agit purus sceleris vitam inter iniquos,
Nulla ab inhumano morum contagia ducit
Hospite. Sed mihi cur sit ab illo nomine crimen,
Qui diversa colo, ut colui, loca juncta superbis
Urbibus, et lætis hominum celeberrima cultis?
Ac si Vasconicis mihi vita fuisset in oris;
Cur non more meo potius formata, ferinos
Poneret, in nostros migrans gens barbara, ritus?
Num quod in aversis habitacula ponis Hiberis
Urbibus, et deserta tuo legis oppida versu,
Montanamque mihi Calagurrim, et Bilbilim acutis
Pendentem scopulis, collemque jacentis Ilerdæ
Exprobras, velut his habitem laris exul et urbis
Extra hominum tecta atque vias; an credis Iberæ
Has telluris opes, Hispani nescius orbis,

[redacted]

[redacted]

Lataque distantis pelagi divortia complet
Orbe suo finem ponens in limite mundi?
An tibi, mi Domine illustris, si scribere sit mens,
Qua regione habites, placeat reticere nitentem
Burdigalam, et piceos malis describere Bojos?
Cumque Marojalicis tua prodigis otia thermis,
Inter et umbrosos donas tibi vivere lucos,
Læta locis, et mira colens habitacula tectis;
Nigrantesne casas et texta mapalia culmo,
Dignaque pellitis habitas deserta Bigerris?
Quique superba tuæ contemnis mœnia Romæ
Consul, arenosos num dedignare Vesatas?
Vel quia Pictonicis tibi fertile rus viret arvis,
Rauranum Ausonias huc devexisse curules
Conquerar; et trabeam veteri sordescere panno?
Quæ tamen augusta Latiaris in urbe Quirini
Cæsareas inter parili titulo palmatas
Fulget in attrito longum venerabilis auro,
Florentem retinens meriti vivacis honorem
Aut cum Lucani retineris culmine fundi
Æmula Romuleis habitans fastigia tectis,
Materiam præbente loco, qui proxima signat,
In Condatino diceris degere vico?
Multa jocis pateant; liceat quoque ludere fictis.
Sed lingua mulcente gravem interlidere dentem,
Ludere blanditiis urentibus, et male dulces
Fermentare jocos Satiræ mordacis aceto,
Sæpe poëtarum, nunquam decet esse parentum.
Namque fides pietasque petunt, ut quod mala nectens
Insinuat castis fama auribus, hoc bona voti
Mens patris affigi, fixumque hærescere cordi

NOTÆ

246 *Pellitis ... Bigerris*] Bigorræ incolas 'pellitos' vocat, quia cum ninguidæ Pyreni adjaceant, frigidiorem ventum arcent villosis vestibus, quas teste Savarone ad Sidonium 'marlotas' appellant quasi μαλλωτάς.

250 *Rauranum*] Legitur in Antonini Itinerario locus 'Rauranum' dictus, inter Mediolanum Santonum, et Biturigum Cuborum Argantomagum.

Non sinat, ut vulgus scævo rumore malignum.
Ante habitos mores, non semper flectere vitam
Crimen habet: namque est laudi bene vertere: cum me
Immutatum audis, studium officiumque require.
Si pravo rectum, si religiosa profanis,
Luxurie parcum, turpi mutatur honestum;
Segnis, iners, obscurus ago; miserere sodalis
In mala perversi: blandum licet ira parentem
Excitet, ut lapsum rectis instauret amicum
Moribus, et monitu reparet meliora severo.
At si forte itidem, quod legi, et quod sequor, audis,
Corda pio vovisse Deo, venerabile Christi
Imperium docili pro credulitate sequentem,
Persuasumque Dei monitis æterna parari
Præmia mortali, damnis præsentibus emta,
Non reor id sano sic displicuisse parenti,
Mentis ut errorem credat, sic vivere Christo,
Ut Christus sanxit: juvat hoc, nec pœnitet hujus
Erroris: stultus diversa sequentibus esse
Nil moror, æterno mea dum sententia regi
Sit sapiens. Breve, quicquid homo est, ut corporis ægri,
Temporis occidui, et sine Christo pulvis et umbra:
Quod probat aut damnat, tanti est, quanti arbiter ipse.
Ipse obit, atque illi suus est comitabilis error,
Cumque suo moriens sententia judice transit.
[redacted]

Credo equidem, et metuens studio properante laboro,
Si qua datur, ne morte prius quam crimine solvar.
  Hujus in adventum trepidis mihi credula fibris
Corda tremunt, gestitque anima, id jam cauta futuri,
Præmetuens ne vincta ægris pro corpore curis,
Ponderibusque gravis rerum, si forte recuso
Increpitet tuba vasta polo, non possit in auras
Regis ad occursum levibus se tollere pennis,
Inter honora volans Sanctorum millia cœlo,
Qui per inane leves, neque mundi compede vinctos
Ardua in astra pedes facili molimine tollent;
Et teneris vecti per sidera nubibus ibunt,
Cœlestem ut medio venerentur in agmine regem,
Claraque adorato conjungant agmina Christo.
  Hic metus est, labor iste, dies ne me ultimus atris
Sopitum tenebris sterili deprendat in actu,
Tempora sub vacuis ducentem perdita curis.
Nam quid agam? lentis si dum conniveo votis,
Christus ab ætheria mihi proditus arce coruscet,
Et subitis Domini cœlo venientis aperto
Præstrictus radiis, obscura et tristia noctis
Suffugia illato confusus lumine quæram?
  Quod mihi ne pareret vel diffidentia veri,
Vel præsentis amor vitæ, rerumque voluptas,
Curarumve labor, placuit prævertere casus
Proposito, et curas finire superstite vita;
Commissisque Deo ventura in sæcula rebus,
Expectare trucem securo pectore mortem.
Si placet hoc, gratare tui spe divite amici:
Si contra est, Christo tantum me linque probari.

Ea, qua secundæ Ausonii Epistolæ respondet Paulinus, inter ejusdem poëmata occurrit undecima.

NOTÆ

308 *Increpitet tuba*] Ex Matthæi Evangelio.

326 *Commissis*] Legebat Vinetus *communi*. Unde non miror hæc ab eo non intellecta: siquidem ea lectio nullum efficit sensum.

II. AUSONIO PAULINUS.

CONTINUATA meæ durare silentia linguæ,
Te nunquam tacito memoras; placitamque latebris
Desidiam exprobras; neglectæque insuper addis
Crimen amicitiæ; formidatamque jugalem
Objicis, et durum jacis in mea viscera versum.
Parce, precor, lacerare tuum, nec amara paternis
Admiscere velis, ceu melli absinthia, verbis.
Cura mihi semper fuit, et manet, officiis te
Omnibus excolere, affectu observare fideli.
Non unquam tenui saltem tua gratia nævo
Commaculata mihi est; ipso te lædere vultu,
Semper et incauta timui violare figura.
Cumque tua accessi venerans, mea cautius ora
Composui, et læto formavi lumine frontem;
Ne qua vel a tacito contractam pectore nubem
Duceret in sanctum suspicio falsa parentem.
Hoc mea te domus exemplo coluitque colitque,
Inque tuo tantus nobis consensus amore est,
Quantus et in Christo connexa mente colendo.
Quis tua, quæso, tuis obduxit pectora livor?
Quo rumore pias facilis tibi fama per aures
Irrupit, pepulitque animum, contraque vetustam

[redacted]

[redacted]

Junctus eram studiis. Hoc nec gestasse quidem me
Assero: namque pares subeunt juga: nemo valentes
Copulat infirmis: neque sunt concordia fræna,
Si sit compulsis mensura jugalibus impar.
Si vitulum tauro, vel equum committis onagro,
Si confers fulicas cycnis, et aëdona parræ,
Castaneis corylos, æquas viburna cupressis,
Me compone tibi: vix Tullius et Maro tecum
Sustineant æquale jugum: si jungar amore,
Hoc tantum tibi me jactare audebo jugalem;
Quo modicum sociis magno contendit habenis
Dulcis amicitia æterno mihi fœdere tecum,
Et paribus semper redamandi legibus æqua.
Hoc nostra cervice jugum non scæva resolvit
Fabula, non terris absentia longa diremit.
Nec perimet, toto licet abstrahar orbe, vel ævo.
Nunquam animo divisus agam: prius ipsa recedet
Corpore vita meo, quam vester pectore vultus.

Ego te per omne quod datum mortalibus
Et destinatum sæculum est,
Claudente donec continebor corpore,
Discernar orbe quolibet,
Nec orbe longe, nec remotum lumine,
Tenebo fibris insitum,
Videbo corde, mente complectar pia
Ubique præsentem mihi.
Et cum solutus corporali carcere,
Terraque provolavero,
Quo me locarit axe communis Pater,
Illic quoque te animo geram.

NOTÆ

36 *Fulicas*] Aves nigras columbis haud majores, ita dictas a fuligineo colore. Vide Charlet. de Avibus.

Parræ] Hujusce avis meminit Plinius Hist. lib. II. ubi docet illi apicem esse in capite: unde Galeritam olim dictam, quæ postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat Alaudæ. Hodie, *Aloëta*, illustri prisci nominis Gallici vestigio. *Vinetus.*

49 *Ego te per omne*] Priora sua Iambica resumit Paulinus.

Neque finis idem, qui meo me corpore,
Et amore laxabit tui.
Mens quippe, lapsis quæ superstes artubus
De stirpe durat cœliti,
Sensus necesse est simul et affectus suos
Teneat æque ut vitam suam,
Et ut mori, sic oblivisci non capit,
Perenne vivax et memor.

NOTÆ

67 *Non capit*] Id est, non potest. Similiter nono Carmine dixit: 'Sed Domini Carmen tellus aliena mereri Non capit,' &c.

SOUCHAII ANIMADVERSIONES IN TETRASTICHA DE MENSIBUS.

Cur ea, postquam inter Ausonii Edyllia non semel recensuit Vinetus, (etsi in editis non apparere existimet Antiquitatis Explanatæ auctor,) Tollius expunxerit, nosterque extra Ausoniani contextus seriem excudi curaverit, non habeo exploratum: præsertim cum alia in utriusque editionis contextu videantur Carmina, et minus Ausonio digna, et quæ eidem nemo doctus adjudicet. Tetrascalendario quod habuit quatuor mensibus, Martio nempe, Aprili, Maio, et Junio, truncatum; quod vero integrum, exaratis quoque ad imam singulorum mensium tabellam, sub Ausonii nomine, Tetrastichis, e Lambecii Bibliothec. Append. lib. IV. p. 276. et seqq. excudi curavit Antiq. explan. auctor Supplem. Tom. I. jamque extabat in Grævii Thes. Tom. VIII.

[redacted]

[redacted]

SUBJECTUM ICONI HOC TETRASTICHON.

Hic Jani mensis sacer est. En aspice, ut aris
Tura micent: sumant ut pia tura Lares.
Annorum, sæclique caput, natalis honorum
Purpureos Fastis qui numerat proceres.

NOTÆ

2 *Tura*] Ita scriptum reperi, et duplici ratione apud Antiquos scriptum occurrit. *Thus* cum aspiratione a verbo *θύειν*, ac *Tus* sine aspiratione, quasi a *tundendo*. Vide Dausquium.

3 *Natalis honorum*] Intellige Kalendas Januarias, ita metaphorice dictas, quod olim fuere veluti Consulatus annuorumque Magistratuum initium. Qua demum ætate mos ille obtinuerit, diximus ad 'Precationem Consulis.'

IN FEBRUARIUM.

Icon exhibet mulierem tunicatam, zona præcinctam. Manibus tenet Anatem. Qua avi, uti et urna imbrem emittente, indicatur mensis imbribus obnoxius. Ad latera habet hinc Ardeam palustrem avem, inde piscem.

TETRASTICHON.

At quem cœruleus nodo constringit amictus,
Quique paludicolam prendere gaudet avem,
Dædala quem jactu pluvio circumvenit Iris,
Romuleo ritu Februa mensis habet.

NOTÆ

3 *Dædala*] A δαιδάλλειν variare. Itidem Poëta dicit 'Dædalam' propter varios colores quos adverso Sole reddit.

4 *Februa*] Sic appellantur quæcumque lustrandi sive expiandi causa in sacrificiis olim adhibita. *Lambecius.*

IN MARTIUM.

Martium repræsentat vir Lupæ pelle obtectus, et zona præcinctus. Ceterum icon singula exhibet symbola quæ habentur in Tetrasticho: Hædum petulantem; garrulam Hirundinem quam digito vir monstrat; sinum lactis.

TETRASTICHON.

Cinctum pelle Lupæ promtum est cognoscere mensem.
Mars olli nomen. Mars dedit exuvias.
Tempus Ver, Hædus petulans, et garrula Hirundo
Indicat, et sinus lactis, et herba virens.

NOTÆ

1 *Pelle Lupæ*] Lupa Marti sacra Remum et Romulum lactavisse ferebatur.

3 *Garrula Hirundo*] Ovidio Fastorum II. circa finem dicitur 'prænuntia veris.'

4 *Sinus lactis*] Virgilius quoque Ecloga VIII. priorem syllabam in voce 'sinus' produxit: 'Sinum lactis, et hæc te liba, Priape, quotannis.'

IN APRILEM.

Aprilem exprimit vir tunica amictus et præcinctus. Manibus tractat Crotala fortasse. Pede premit sex fistulas, easque conjunctas, ac Panos Syringi similes. Tripudiat ante Veneris statuam sub myrtea strue stantis. Myrtei rami ex ara orientes, et superne juncti, januarum speciem exhibent. Ante Deam cereus accensus.

TETRASTICHON.

Contectam myrto Venerem veneratur Aprilis.
Lumen turis habet quo nitet alma Ceres.
Cereus a dextra flammas diffundit odoras.
Balsama nec desunt, queis redolet Paphie.

NOTÆ

2 *Quo nitet alma Ceres*] Alii perperam legunt *Thetis*, aut *Themis*. Mense enim Aprili, ut Vinetus et Lambecius annotarunt, Romani celebrabant Cerealia, frugumque Deæ Cereri ture faciebant. Auctor Ovid. Fastorum lib. IV. 'Farra Deæ, micæque licet salientis honorem, Detis, et in veteres turea grana focos.'

3 *Cereus a dextra, &c.*] Exhibetur in tabella cum candelabro.

IN MAIUM.

Lata indutus tunica, corbem gestat pomis refertam; altera manu florem [redacted]

[redacted]

NOTÆ

suspicatur Antiq. explan. auctor hoc referendum ad Florales ludos tertia hujusce mensis celebrari solitos, quanquam fortasse olfactus hic nihil aliud innuit, præter illud quod flores in calathis quoque innuunt.

4 *Quem merito multum diligit Uraniæ*] Sic versiculum hunc edidit Scaliger, in Vineti codice mancum et mutilum. Cur autem dicit Poëta Uraniæ plurimum et merito diligi Maium? an quod Maius astris speculandis maxime idoneus?

IN JUNIUM.

Junius, isque nudus, horologium Solare digito monstrat. Faciem gerit lucentem, qua æstivi calores significantur. A tergo falx instare maturitatem frugum indicans.

TETRASTICHON.

Nudus membra, dehinc Solares respicit horas
Junius, ac Phœbum flectere monstrat iter.
Idem maturas Cereris designat aristas;
Floralesque fugas lilia fusa docent.

NOTÆ

1 *Solares ... horas*] Hic, et merito quidem, Lambecius vult præcipue notari Solare Horologium. De eo consule elegantem simul et eruditam viri Clar. Claudii Sallier, utriusque Academiæ inscript. et Gallicæ Socii, Dissertationem.

4 *Floralesque fugas, &c.*] Monet Vinetus Plinium lib. XVI. cap. 25. scripsisse intra octavum Idus Julias omnia deflorescere.

IN JULIUM.

Marsupium ingens dextra tenet Julius. Sub marsupio effusa nummorum copia. Duo præterea apparent canistra, operculo in conum desinente, globis imminentibus.

TETRASTICHON.

Ecce coloratos ostentat Julius artus.
Crines cui rutilos spicea serta ligant.
Morus sanguineos præbet gravidata racemos;
Quæ medio Cancri sidere læta viret.

NOTÆ

1 *Artus*] Vinetus legit *arcus*.
De Marsupio nihil, neque de effusa nummorum copia, in toto Carmine.

IN AUGUSTUM.

Augustum exhibet vir nudus, passis crinibus. Sub mento stat crater aquæ plenus, cui labra jamjam immissurus vir cernitur. Coram extat fla-

belli species quædam. Humi pepones tres aquatiles. Ad latus alterum vas amplum Græcis duabus literis insignitum, quibus putat Ant. expl. auctor. significari oxobathon, quod amplum sonat, eoque indicari mutandos jam calices in maximos.

TETRASTICHON.

Fontanos latices, et lucida pocula vitro
Cerne, ut demerso torridus ore bibat
Æterno regni signatus nomine mensis:
Latona genitam quo perhibent Hecaten.

NOTÆ

3 *Æterno regni nomine*] Imperatoris Augusti nomine, Augustus dictus, cum antea Sextilis appellaretur. *Æterno*] Romanos principes Æternos nuncupatos fuisse probat Vinetus ad 1. Fastorum Epigr. ex Symmachi Epist. IV. ad Auson. 'Cum æternorum principum jam pridem signa comitarer.'

IN SEPTEMBREM.

SEPTEMBREM vir nudus exprimit gestantem humero palliolum; læva tenet lacertam funiculo ligatam et expedire se conantem. Ad pedes videntur dolia duo uvas exceptura.

TETRASTICHON.

Surgentes acinos varios, et præsecat uvas
September, sub quo mitia poma jacent,
Captivam filo gaudens religasse lacertam,
Quæ suspensa manu nobile ludit opus.

[redacted]

[redacted]

TETRASTICHON.

Dat prensum Leporem, cumque ipso palmite fœtus
October; pingues dat tibi ruris aves.
Jam Bromios spumare lacus, et musta sonare
Apparet. Vino vas calet ecce novo.

NOTÆ

2 *Pingues dat tibi ruris aves*] Cum Lambecio intelligo Perdices maxime, et Attagenas.

3 *Bromios spumare lacus*] Vasa vinaria quæ mustum prelo expressum recipiunt, ut inde transmittatur in dolia. 'Bromios' autem dicit, quia Baccho, inter alia, Bromii cognomen fuit ἀπὸ τοῦ βρέμειν fremere, vel ἀπὸ τῆς βροντῆς, a tonitru; quod scilicet in lucem editus est, matre fulmine percussa.

IN NOVEMBREM.

Novembrem exhibet vir amictus carbasea veste, calvus, ingentem et rotundam tenens tabellam, cui serpens gyris convolutus insistit; altera manu sistrum. Cernitur quoque Anser Sacerdotem intuens.

TETRASTICHON.

Carbaseo surgens post hunc indutus amictu
Mensis, ab antiquis sacra Deamque colit.
A quo vix avidus sistro compescitur Anser.
Devotusque satis ubera fert humeris.

NOTÆ

1 *Carbaseo surgens, &c.*] Versiculus hic maxime depravatus apparet in Bucherii Ms. codice: ibi legitur: *Carbaseos post hunc artus indutus amictus.*

2 *Mensis, ab antiquis, &c.*] Ita legunt Scaliger, Vinetus, Lambecius. Aliter Bucherii codex: *Memphidos antiquæ sacra, Deumque colit.* Quod mallem; urbis namque conditor Osiris, et in ea sacra Isiaca, prima Novembris die, ex Kalendario, celebrari solita; unde Petronius: 'Memphitides puellæ Sacris Deum paratæ.' Cum autem Deæ sacerdotes lineos haberent amictus, idcirco Linigeri dicti, et ipsa Linigera appellata.

3 *Sistro*] Docet Vinetus ex Apuleio sistrum fuisse æreum crepitaculum, cujus per angustam laminam in modum baltei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum sonum.

Compescitur Anser] Frugibus, cum erumpunt, infestus, tantæque aviditatis, ut vix crepitante sistro compesci queat. Ideo Isidi sacer, et in victimam destinatus. Notum e rei rusticæ scriptoribus aves sonitu terreri; Sic Virgil. Georg. I. 'Aut sonitu terrebis aves.'

4 *Devotusque satis ubera fert humeris*] Postremus ille versiculus difficilior est quam prima videtur fronte. Salebras vidit eruditus Ant. expl. auctor, non abstulit: neque sui erat instituti auferre. Vinetus exponit de ipso mense quasi serendis frugibus idoneo, saccosque semine refertos

NOTÆ

humeris gestante, Isidis instar, quam Veteres continuatis per corpus omne uberibus densatam effinxerunt. Huic ego potius accederem, quam Lambecio versiculum exponenti de Ansere, qui, ob pinguem dorsi extuberationem, ubera ferre humeris dicatur. Minus enim ita cohæret hic versiculus cum priore.

IN DECEMBREM.

December amictus et vestitus tunica breviore, zona alte succinctus, facem ardentem tenet. Coram in mensa tesseræ. Cernuntur aves pedibus suspensæ, et poma duo humi jacentia.

TETRASTICHON.

Annua sulcatæ conjecta et semina terræ
Pascit Hyems. Pluvio de Jove cuncta madent.
Aurea nunc revocat Saturni festa December.
Nunc tibi cum domino ludere, verna, licet.

NOTÆ

1 *Conjecta et semina*] Grævio Tom. 8. Antiquit. intrusa videtur copula *et*; merito quidem. Idem annotat in Catalectis Scalig. et P. Pithœi scriptum fuisse *conjecti*, et in Pithœanæ editionis margine appositum *cum jecit*; utrumque autem carere sententia commoda. Unde conjicit legendum *concredita*, nolens tamen in se recipere Poëtam hac voce usum. Verum etsi illa nusquam in Ausonii [redacted] ausim præstare. 'Concredere' enim non semel apud Tullium legere est, quin etiam apud eundem reperias, pro Roscio Am. 'Fortunæ concredita.' Dixit quoque Virg. Æneid. x. vers. 286. 'Vel quibus obsessos possit concredere muros.'

2 *Pluvio de Jove*] Docet Lambecius, Jovem pluvium eleganter insculptum etiamnum Romæ spectari, ac delineatum extare apud Baroni- [redacted]


[redacted]

NOTÆ VARIORUM

IN

D. MAGNI AUSONII

OPERA.



EX EDITIONE J. TOLLII,

AMST. 1671. 8vo.

NOTÆ VARIORUM

IN

D. MAGNI AUSONII

BURDIGALENSIS

OPERA.

EPIGRAMMATA.

No. 1. *Decimi Magni Ausonii*] Librarii, aut recensitores librorum veteres, vel ad dandam differentiam, vel auctoris alicujus vitæ, morum, generisve notandi gratia, consueverunt cognomina quæpiam iis titulis apponere e medio plerumque sumta, et frivolis verbis uni atque alteri, aut rumori plebeio debita. Qua enim alia de caussa Ausonius Poëta *Pæonii* nomen in priscis libris (vidimus ipsimet in schedis) habet, quam quod pater ejus Medicus fuisse ex ipsiusmet scriptis deprehenditur? Tamen in fastis quoque Capitolinis ita vocatur; 'D. Magnus, Pæonius, Gallus.' *Barthius.*

De Augusto] Ambiguum plerique videri volunt, Theodosione, an Gratiano Principibus inscriptum opus, nominique datum censeatur. Theodosio itaque dicatum, innuere videntur illa, quod per epistolam τὴν αὐτογράφην ejus opera Imperator efflagitat: neque minus de Poëtæ versibus conjectari, quibus ejus jussu atque imperio excitum se ad scribendum, emittendumque Carmina præfatur. Quanquam vereor an hæc assertio satis firmiter quoque consistat: quis enim liquido affirmare ausit, vel Theodosii Epistolam videri ipsam, vel de Theodosio dici juncta Carmina, librariis pro libidine inscriptiones immutantibus? validiora porro Gratiani partium argumenta se offerunt. Neque nunc aut institutionis curam, aut Quæsturam, aut Præfecturam, aut Consulatum commemorem: qui dignitatum delati gradus vatis animum in confingendas quoque laudes excitare possint. Theodosium literis mediocriter institutum, memoriæ traditur. Gratianum vero, præclaræ indolis adolescentem, haud mediocriter. Quin et Carmen condendi, Prosam eloquendi, controversias Rhetorum more dirimendi facundum: neque parum spiculis meditari solitum, et divinæ propemodum dexteritatis credere, cum destinata percuteret: quæ omnia nec in Actione Gratiarum ad Gratianum

Aug. silentur. Et in tertio Epigrammate, cui nulla est inscriptio, Gratiano quoque Poëtam blandiri crediderim. Conversus enim ille in Commodi Cæsaris studia, feras etiam sagittis intra septa confecit: sint licet qui ad Valentinianum referendum putent, eique inscripserint. *Mariang. Accursius.*

2 *Tu quoque ab aërio*] Cn. Mattius doctus vir (ut testatur Gellius) in secundo Iliados, 'Victoriam volucrem, præpetem' appellavit, hoc versu: 'Dum dat vincenti præpes victoria palmam.' Labuntur itaque, et quidem præcipites, qui *præceps* substituendum curavere. Constat alioqui Deam ipsam olim fingi, pingique alatam Veteribus solitam. Quod et Romæ imprimis simulacra indicant: tum Pompeii Carmen, *Νίκη γάρ σε φυγεῖν ἄπτερος οὐ δύναται.* Hinc et Claudianus in vi. Honorii Aug. Consulatum ait: 'Affuit ipsa suis ales victoria templis.' Quanquam *talis*, non *ales* legitur etiam in codicibus novissime recognitis. *Idem.*

Tu quoque ab aërio] Victoriæ, quam inter Deos quondam habitam fuisse Lilius Ferrariensis pluribus ostendit, alæ affigebantur, quas etiam 'præpetes' dixit post Virgilium Ausonius in Technopægnio. Lampridius in

fuerint prosperæ, præpetes; si adversæ, inhibræ [vel *inebræ*] dicuntur.' Ego sane ea significatione hic acceperim, ut propitia victoria adesse dignetur. Nec temere 'ab aërio lapsu' addidit Ausonius, quoniam præpetes, ut idem ait Servius, 'aut superiora tenent, et præpetes vocantur: aut inferiora, et dicuntur inferæ.' quem videsis eadem fere ad lib. vi. Æn. repetentem: sed inprimis A. Gell. l. vi. c. 6.

Præpes Victoria] Quæ de 'alis Victoriæ' commentatores attulerunt, pervulgata sunt: possentque innumera testimonia cum ex antiquis scriptoribus, tum e numismatibus colligi. Describit illam, seu depingit potius Prudentius lib. ii. adv. Symmachum in initio: 'Aurea quamvis Marmoreo in templo rutilas Victoria pinnas Explicet.' et mox: 'Non pexo crine virago: Nec nudo suspensa pede, strophioque revincta, Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.'

3 *Come*] Orna, ut in sexagesimo versu Protreptici, et in tricesimotertio iambici ad Probum. *Serenatam*] Exhilaratam, lætam devictis hostibus. *Duplici diademate*] Duabus coronis, togæ, et pugnæ: fandi, et bellandi: rei litterariæ, et bellicæ.

[redacted]

[redacted]

get. IV. de Antonino: μακάριστος ἐμοῦ παλάμῃ καὶ ἀοιδῇ. *Barthius.*

Bellandi fandique potens] Eleganter Silius de Pediano lib. XII. 'Hunc pater Eridanus, Venetæque ex ordine gentes, Atque Apono gaudens populus, seu bella cieret, Seu Musas placidus, doctæque silentia vitæ Mallet, et Aonios plectro mulcere labores, Non ullum dixere parem: nec notior alter Gradivo juvenis, nec Phœbo notior alter.' Ovidius de Ponto IV. 8. ad Germanicum: 'Nam modo bella geris, numeris modo verba coërces: Quodque aliis opus est, hoc tibi ludus erit.' Sidonius Apollin. lib. VIII. Epist. VI.: 'Caium Cæsarem dictatorem studia certandi, dictandi, lectitandique sibi mutuo vindicavere.'

6 *Ut geminet titulos*] Cum toto argumento imperatoriam in eo vim enituisse inter prima conetur ostendere, quamquam illi nihil omnino ad fastigium augustæ majestatis defuerit, quæ bellica virtute pariter et toga insigniri desideret, non aliena sunt et quæ ad belli laudem prælibantur. Licet enim Theodosii rerum gestarum uti copia sic fama major fuerit, Gratiani tamen nominis celebritas eo magis floruit, quo per tantarum rerum exspectationem mortalium desiderio ævi flore sublatus elanguit. Hinc et in Actione Gratiarum scriptum est: 'Tu, Auguste venerabilis, districtus maximo bello, assultantibus tot millibus barbarorum, quibus Danubii ora prætexitur, comitia Consulatus mei armatus exerces.' Item alibi: 'vincendo et ignoscendo, Sarmaticum.' *Accursius.*

7 *Geticum moderatur Apolline Martem*] Carminibus bellum temperat, quod contra Getas gerit. Sunt autem Getæ populus Thraciæ, quos eosdem et Gothos esse Spartianus, Claudianus, Orosius, Sidonius, et Jornandes auctores sunt. *Vinetus.*

8 *Chunosque truces*] Qui *Cimbros*, pro *Conos*, emendandum atque imprimendum curavere, quam sequantur annalium fidem, arbitrari satis non possumus: fuit certe, quando locum nos corrigere tentantes, de *Conæis* quiddam suspicaremur: quod Lucani Carmen recordatus videretur Ausonius, quo *Conen* ipsam insulam, ac Sauromatas, comprehendit, lib. III. Pharsalidos: 'Barbara Cone Sarmaticas ubi perdit aquas.' Fuit etiam, cum *Conos* defendi posse non negaverim, ut eosdem Sarmatas latrociniis simul et bello truculentos ostenderet. Quod et vetusti exemplaris lectio firmabat, cultius adhuc pro *Conos*, *Cuneos* habentis. Siquidem gens ipsa, alias bellatrix et indomita, veluti per galearum conos, ita et per cuneum, militare agmen, Poëtarum more subnotari potest. Cum vero postea in nostris aliquot codicibus *Cunos* invenerim, facile in eam sententiam pedibus venimus, ut aspiratione tantum addita *Chunos* emendandum arbitremur. Sunt enim in Pannonia, sua lingua, etiam nunc qui vocentur Chuni. Quorum regio perexiguis sane finibus continetur. Et Ptolemæus scribit, 'Inter Bastarnas et Rhoxalanos sunt Chuni, et sub Idiis quoque montibus.' Ammianus Marcellinus lib. XXXI. qui est rerum gestarum novissimus, de Gothis ita scribit: 'Chunorum et Alanorum aliquos ad societatem spe prædarum ingentium asciverunt.' Sed et reliqua in eo libro Gratiani præclara facinora vix puberis, et jam inde in æmulationem lectorum Principum surgentis, si perlegantur, maxime conducit, ut hic locus planius intelligatur, atque universum Epigramma diligentius consideretur. *Accursius.*

Chunosque] Placet Mariangeli emendatio. Nam in iis, quæ in Sidonium Apollinarem scripsimus, monuimus in antiquis libris frequenter *Chunos* scribi, aut etiam sine *h*, *Cunos*,

quomodo habuit quoque membraneus codex in precatione Consulis Ausonii, qui vulgo *Hunni*, seu *Huni*, Dionysio etiam Geographo Οὖννοι, id est, *Unni*, appellantur. Epitome Victoris sic habet de Gratiano Augusto: 'Hic quum animadvertisset Thraciam Daciamque, tanquam genitales terras, possidentibus Gothis Taisalis, atque omni pernicie atrocioribus Hunnis et Alanis,' et reliq. Recensentur autem Hunni inter gentes Scythicas et Septentrionales: de quibus plura Jornandes in Gothicis et Ammianus libro tricesimo primo. *Vinetus.*

Chunesque truces] Divus Hieronymus in Epitaph. Fabiolæ: 'Ecce subito discurrentibus nunciis Oriens totus intremuit, ab ultima Mæotide inter glacialem Tanaim et Massagetarum immanes populos, ubi Caucasi rupibus feras gentes Alexandri claustra cohibent, erupisse Hunnorum examina, quæ pernicibus equis huc illuc volitantia cædis pariter et terroris cuncta complerent. Aberat tunc Romanus exercitus, et bellis civilibus in Italia tenebatur. Hanc gentem Herodotus refert sub Dario rege Medorum viginti annis Orientem tenuisse captivum, et ab Ægyptiis atque Æthiopibus annuum exegisse vectigal. Insperati ubique ad- [redacted]

'Mars nullo de patre satus, quem Thressa colit gens.' Fuerunt autem Thraciæ gens Ὀδρυσαι, ab urbe sua Odrysa dicti: quorum meminerunt Strabo, Plinius, Solinus, Stephanus, et alii. *Vinetus.*

Viraginis] Penthesileæ Amazonum reginæ. Thraciam autem Amazones primum tenuisse scribit Servius in illud undecimi Æneidos, 'Quales Threiciæ quum flumina Thermodoontis Pulsant, et pictis bellantur Amazones armis.' Sic autem in Carmine de laboribus Herculis, Threiciam dictam Amazonem invenies. Lilius tamen Ferrariensis Enyo hic significari vult; quam Bellonam Latini dicunt, Deam scilicet belli, quod bellaces semper fuerant Thraciæ populi. *Idem.*

No. 2. *De fera*] Aurelius Victor, ubi de Gratiani Cæsaris moribus et studiis agit, eum solitum scribit nihil aliud die noctuque agere, quam spiculis meditari: summæque voluptatis, divinæque artis credere, ferire perite sibi destinata. Eadem habet etiam Paulus Diaconus. *Vinet.* Adi et Ammianum Marcellinum lib. XXXI.

1 *Lato..ferro*] Venabulo lati ferri, ut exponit Servius. Est enim hoc ex libro quarto Æneidos Virgilii: 'Retia rara, plagæ, lato venabula [redacted]

[redacted]

Arriani verbis Nilo præponi Danubium colligit. Arriani verba sunt: Ἀπὸ δὲ τῆς μάχης τριταῖος ἀφικνεῖται Ἀλέξανδρος ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν Ἴστρον, ποταμῶν τῶν μετὰ τὴν Εὐρώπην μέγιστον ὄντα, καὶ πλείστην γῆν ἐπερχόμενον. Nilus revera fluvius Libyæ est, cujus esse Ægyptum partem Geographi statuunt. Priscianus in Periegesi de Nilo: 'Hinc fluvii pinguis descendunt flumina Nili Partibus a Libycis, qui currens Solis ad ortus Siris ab Æthiopum populis cognomine fertur.' Non igitur, quod Muretus voluit, Nilo majorem dixit esse Danubium Arrianus, sed Europæorum fluviorum maximum. Nilus secundum plurimos extra Europam, et proprius est fluvius Africæ.

3 *Augustos*] Anno ab U.C. MCXIX. ut Eutropius scribit, qui annus Christi CCCLXIX. putatur, Valentinianus, quum esset Tribunus Scutariorum, fuit apud Nicæam Bithyniæ metropolin, Joviano mortuo, Augustus nuncupatus, sexto Calendas Martias. Illi patria fuit Cibalæ Pannoniæ oppidum. Pater Gratianus, vir ignobili stirpe ortus, sed strenuus. Frater Valens, quem hoc ipso anno Calendis Aprilis Augustum pronunciavit Constantinopoli Valentinianus, atque in communionem imperii assumpsit. Uxores simul duæ, Severa, ex qua Gratianus, et Justina, ex qua Valentinianus junior, et filiæ tres, Justa, Grata, Galla. Gratianus patre hauddum Imperatore natus, magistrum litterarum Ausonium Burdigalensem habuit: et a patre Ambianis in Gallia Imperator creatus est, Idibus Augusti, Lupicino et Joviano Consulibus, ut tradunt, annos nondum natus octo. Hieronymi, puto, non fallunt rationes, qui illa tempora vidit, et Eusebii chronicis adjecit: in quo 'negotio Valentianus Cæsar morem institutum antiquitus supergressus, non Cæsares sed Augustos germanum nuncupavit et filium. Neque enim quisquam antehac ascivit sibi pari potestate collegam præter Principem Marcum.' Valentinianus vero, Valentiniano jam Cæsare, ἐν τοῖς ἑσπερίοις μέρεσιν, inquit Socrates, fratre Gratiano et Dagalæpho Consulibus natus, mortuo patre ab eodem Gratiano Augusto fratre, qui tum agebat in Gallia, Treviris, ut quidam referunt, parvulus admodum, imperii socius factus est, Valentinianusque Junior dictus. Alii in Italia illum a militibus Cæsarem creatum, die sexta a patris morte, scribunt. Legendi horum auctores Socrates Constantinopolitanus, Zosimus, Ammianus, Victor, Orosius, Diaconus, Beda Anglus.

Valentiniani Imperatoris
- Pater, Gratianus, Funarius dictus.
- Frater, Valens Imperator.
- Uxores duæ, { Severa, et Justina.
- Filii duo, { Gratianus Imperator, ex Severa, et Valentinianus Junior Imperator, ex Justina.
- Filiæ tres, { Justa, Grata, Galla. Hanc duxit Theodosius Magnus Imperator.

Vinetus.

4 *Pannoniis*] Barbarorum continuæ irruptiones, atque haud facile cedens immanitas, in Pannoniis Imperatores Romanos diutissime agere coëgit, unde multi in ea regione nati et educati Cæsares: quod videre licet apud eos, quos modo citavimus auctores, aliosque complures. Est autem Pannonia duplex Geographis, ut Ptolemæo libro secundo, superior et infe-

[redacted]

rior. Utramque fere postquam tenuere Hunni et Avares: Hungariam composito nomine appellarunt: per quas multasque alias terras in Euxinum Pontum grandis defluit Danubius. *Idem.*

6 *Superum cura secunda Valens*] Ut Deorum prima cura sit Valentinianus. Duo autem illi fratres, quum Constantinopoli in Pannoniam rediissent, ibi divisa inter se imperii cura, Valentinianus in Galliam seu Occidentem, Valens in Thraciam Orientemve profectus est: atque ita aliquandiu in duo mansit divisus orbis Imperii Romani, Gratiano puero Augusto cum patre agente. *Idem.*

Suevos] Hoc loco Suevi intelligendi sunt, auctore Beato Rhenano, qui aliis Alemani dicuntur, collecticia gens, qui se appellarent Suevos: quod eorum ex Suevis major esset fortasse pars. *Idem.*

10 *Gothos*] Quamvis aliquot expeditionibus primum ex sententia Gothos fregerit Valens, tamen ab iis tandem victus, ac in prœlio sagittis saucius, in casam quum deportatus fuisset vilissimam, ait Aurelius Victor, a supervenientibus Gothis igni supposito, incendio concrematus est, nono die Augusti, in suo sexto et Valentiniani Junioris secundo Consulatu, inquit Socrates quarto Ecclesiasticæ historiæ, id est, anno Christi trecentesimo octogesimoque primo. *Idem.*

No. 4. 1 *Penitis*] Intimis, latentibus, reconditis, et ob id ignoratis locis. Sic autem lego, pro *penitus*, sicut Plautus dixit in Asinaria, 'exscreare ex penitis faucibus.' *Vinetus.*

4 *Imperiis gravidas*] Quæ multos pepererunt Imperatores, ut Decium, Jovianum, Valentinianum, Valentem, Gratianum. Sic Virgilius 'Italiam imperiis gravidam' dixerat libro quarto Æneidos. *Idem.*

Imperiis gravidas] Non probabit, credo, Scaliger viris doctis emendationem suam, (*Emporiis gravidas*) ubi locum Virgilii, ad quem Ausonius allusit, a Vineto adductum respexerint. Sic et Claudianus Hispaniam 'Principibus fœcundam' dixit, et Isidorus 'Principum gentiumque matrem' vocavit, quæ Trajanum, Hadrianum, Theodosium, filiosque Romanis dederat: unde mox apud eundem Claudianum in laude Serenæ: 'Sola novum Latiis vectigal Iberia rebus Contulit Augustos.' Servius ad Virgil. IV. 'Imperiis gravidam:' explicat, 'quasi parituram imperia, vel unde multi imperatores possunt creari.'

5 *Dives aquis*] Plinius libro quarto de Danubio sic scribit: 'Ortus hic in Germaniæ jugis montis Abnobæ, ex adverso Raurici Galliæ oppidi, multis ultra Alpes millibus, ac per innumeras lapsus gentes Danubii nomine, immenso aquarum auctu, et unde primum Illyricum alluit, Hister appellatus, sexaginta amnibus receptis, medio ferme numero eorum navigabili, in Pontum vastis sex fluminibus evolvitur.' Hæc Plinius: qui etiam ostiorum Danubii nomina tradit, ut Solinus, et alii. *Vinetus.*

8 *Inveniet fontes*] Vult dicere Ausonius, quum Danubii et Nili fontes ignoti essent Antiquis, Danubii ortum jam tandem inventum esse in Germania, devictis barbaris, qui accolebant: sicque totum jam fluvium principibus Romanis parere. Restare autem Nili fontes ad partem Mundi adversam inveniendos. Inventurum autem eos Valentem Augustum, et eam orbis terrarum partem subacturum. Sic solent Poëtæ assentari. *Idem.*

No. 5. *Sub Valentini Junioris*] Corrigi quidem debuerat, *Valentiniani*, non autem immutari *Imitatio Maroniana*: quod ad interpretis munus accedit. Valentinianus enim, Gratiani Majoris filius, fratrem habuit Valentem, filios Gratianum et Valen-

tinianum. Hinc in Actione Gratiarum dictum est: 'Tu Valentiniano genitus.' Quanquam major exemplarium numerus *Valentiano* retinet: ut alioqui miremur, quonam modo, qui Poëtæ vitam conscripsere, hoc addiderint, sub Valentino, Gratiano, Valentiniano, et Valente eum floruisse. Tam enim patri, quam filio, Valentiniani nomen fuit: ut apud Ammianum cæterosque intueri licet. In quibus etsi depravatum pari modo, quo et in Ausonio plerumque legitur, illud certe fulcit, quod Major, seniorque Valentinianus 'pater' dici consuevit, Minor, juniorque 'filius.' *Accursius.*

1 *Nunc te marmoreum*] Imitatus est quoque Virgilium Silius Ital. lib. VII. 'At dum decrescit matrum metus, hoc tibi, diva, Interea velamen erit, si pellere nostris Marmaricam terris nubem dabis, omnis in auro Pressa tibi varia fulgebit gemma corona.'

2 *Augustus frater*] Posset Augustus frater, Valens intelligi, ut sit sensus, quum redierit e Thracia profligatis Barbaris Valens ad nos, ad Valentinianum. Parisinus tamen codex admonet, hos versus sub Valentiniani Junioris signo marmoreo fuisse positos: reliqui imitationem duntaxat Maronianam esse. Est enim in Ecloga septima Virgilii ad Priapum, 'Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu, Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto.' *Vinetus.*

No. 6. 1 *Quod leo*] Si hæc ea fera sit, de qua est Epigramma II. leonem pro femina leæna, seu *lea*, usurpaverit Ausonius. *Vinetus.*

No. 8. 2 *Samio*] Samos clara Cariæ adjacens insula, quæ prius Parthenia, et Dryusa, et Anthemusa, et Melamphylos dicta fuit, auctore Stephano: ex cujus terra elegantia quondam fiebant vasa fictilia. 'Samia,' inquit Plinius libro trigesimo quincto, 'etiamnum in esculentis laudantur.' *Vinetus.*

3 *Fercula poneret*] 'Ponere fercula' ex elegantibus loquutionibus non deterrimæ notæ est. Valerius Maximus, de Æsopi Tragici filio, lib. IX. cap. 1. 2. 'Quem,' inquit, 'constat cantu commendabiles aviculas immanibus emptas pretiis, in cœna pro ficedulis ponere, acetoque liquatas magnæ summæ uniones potionibus aspergere solitum:' ubi τὰ *in cœna*, delenda censeo, utpote ab interprete profecta. Vopiscus in Tacito: 'Fasianam avem nisi suo, et suorum natali, et diebus festissimis non posuit.' Corippus lib. III. vs. 191. 'Aurea purpureis apponunt fercula mensis Pondere gemmarum plus gravia.' Qui locus ut *aurea* pro *horrida* legam ferme persuadet. Quomodo et Sarisberiensis citat lib. V. cap. XVII. de nugis curial. et Ugolettus edidit Venetiis A. 1501. 'Agathoclem' ipsum quod attinet, refert Plutarchus in libello De non invidiosa sui laudatione, regem illum cum poculis primum aureis tornatisque, dein figulinis propinasset juvenibus, dixisse: τοιοῦτό ἐστιν τὸ ἐνδελεχὲς, καὶ φιλόπονον, καὶ ἀνδρεῖον. ἡμεῖς πάλαι ταῦτα, νῦν δὲ ἐκεῖνα ποιοῦμεν.

Fercula ... horrida] Agrestia, inculta, gemmatis vasis conditura non respondentia. 'Horrida juventus,' terrigenæ et rustici gigantes Horatio lib. III. Od. IV. qui pariter 'horridos Germaniæ fœtus' pro barbaris atque incultis dixit, lib. IV. Od. V. 'famem horridam,' Arnobius lib. I. 'Horridus odor,' apud Palladium lib. rer. rust. XII. *Barthius.*

6 *Figulo sum genitore satus*] Ita ex Trogo scribit Justinus vicesimo secundo. *Vinetus.*

7 *Reverenter habe*] Reverere. Sicut suum ἔχειν Græci, ita Latini 'habere' suum cum adverbio frequenter construunt. Tacitus libro primo: 'Populum per tot annos molliter habitum, nondum audebat ad duriora vertere.' Idem secundo: 'Neque

conjugem et filium ejus hostiliter haberi.' Sallustius: 'Sylla exercitum luxuriose nimisque liberaliter habuerat.' Ovidius secundo de arte amandi: 'Rivalem reverenter habe.' *Idem.*

No. 9. 1 *Nostra simul variis, &c.*] Sane nugax hic versus, licet pro legitimo alibi a plurimis et nobis quoque productus: quod sane videbis cum resolves. Nostra Epigrammata certant variis nugis. Quæso quis locus relictus τῷ *simul*, quod nulli usui est, nisi ut Latinitatem turbet. In libris aliis iste fuit: *Est jocus in nostris, sunt seria multa libellis.* Qui sine ullo dubio legitimus est; cum duas sectas subdat pentameter, quæ ex adverso respondent jocis et seriis: 'Stoicus has partes, has Epicurus agit.' Furcillis igitur excipiendus supposititius in gratiam veteris probique hujus domini. *Barthius.*

3 *Salva mihi veterum*] Majorum nostrorum vitam, instituta, mores, res gestas, nostris fere præferimus: quod et fortasse merentur: unde Hesiodus ex quinque hominum generibus, seu ætatibus, primum, ut vetustissimum, ita optimum præstantissimumque facit, et Diis ipsis plane par: quinctum vero, ut postremum, ita pessimum miserrimumque. Hinc Trogus Justino 'vir priscæ eloquentiæ' appellatur, et Paterculo 'Apronius vir antiquissimi moris et priscæ gravitatis,' et Favorinus Gallus Arelatensis juvenem 'vivere moribus præteritis' jubet apud Aulum Gellium libro primo: quod antiquitas, qua delectabatur, sobria, modesta, bona fuisset. Sic Plauto, Terentio, Ciceroni apud Augustinum libro secundo de Civitate Dei, Virgilio, Ausonio rursus eidem in postremo Carmine Parentalium, et aliis, commendantur antiqui mores. *Vinetus.*

3 *Salva mihi veterum*] Plinius in eadem re, lib. v. Epist. 3. 'Nec vero moleste fero, hanc esse de moribus meis existimationem: ut qui nesciunt talia doctissimos, gravissimos, sanctissimos homines scriptitasse, me scribere mirentur,' &c. Vide et Ausonii nostri Epigr. XVII. et quæ in Epilogo Centonis.

4 *Ludat permistis*] Ego illud *permissis*, quod in quibusdam edit. haud ita spreverim, et simpliciter explicuerim: Musa mea intra recti normam se continens, neque dissolutis utens moribus, adeoque *sobria* ludat concessis neque in quoquam, qui probe vixerit, culpatis Carminibus, utut lascivioribus.

No. 10. 3 *Argenti letalia*] Quod Plinius dicit argentum vivum venenum esse rerum omnium, id, scribit Dioscorides, potum, suo pondere interna exesse. *Vinetus.*

No. 11. 3 *Aëris et linguæ sum filia*] 'Quid enim est vox nisi intentio aëris, ut audiatur linguæ formata percussu?' Seneca libro secundo Quæstionum Naturalium. De sono et voce multa Severinus libro primo εἰς τὸ περὶ ἑρμηνείας Aristotelis. *Vinetus.*

5 *Extremos pereunte modos*] Τὴν Echo appellat Euodus libro quarto Græcorum Epigrammatum, Ἠχὼ μιμολόγον, φωνῆς τρύγα, ῥήματος οὐρήν. Id est, 'Echo imitatricem sermonis, vocis fæcem, verbi caudam.' *Idem.*

No. 12. 1 *Cujus opus? Phidiæ*] Ausonius, cum Epigramma suum modularetur, contemplabatur utique Posidippi Καιρὸν, ut æmulus speciem inde judicio arbitrioque suo duceret, non ut interpres per figuras omnes versus dirigeret: ideoque veluti complura, et fortasse gratia elegantiore mutavit, ita celebratioris famæ, quam Lysippus fuerit, simulavit artificem. Admonitus (ut arbitror) versiculo Martialis, qui fabrefactum a Lysippo Herculis simulachrum, propter operis præstantiam, Phidiæ fuisse illud, se putasse primum asserit: 'Inscripta est basis, indicatque nomen, Λυσίππου lego, Phidiæ putavi.' Φειδίας

producta prima Græcis dicitur. Eam corripit Ausonius licentia, velut arbitror, quæ reperitur, longas interim in breves literas vertendi, et e contrario. Sic etiam, 'Periander trepidam moderare Corinthius iram,' dictum alibi, cum sit, Περίανδρος. quanquam anapæstus etiam pro dactylo positus videri possit. Et sunt qui mutili vel trunci, apud Græcos ἀκέφαλοι στίχοι, vocentur, a correpta syllaba incipientes. Sic in Ternario: 'per trinas species trigonorum linea currit,' cum sit τρίγωνος per ω: quod servavit M. Manilius: 'Lanigerique notat fines, clarumque trigonum:' et Capella in nuptiis: 'Trigonus recurvet, circulusque torqueat.' Sic et ad Ursulum Grammaticum: 'vel quot juncturas geometrica forma favorum,' cum sit secunda longa γεωμετρικῇ. Sic in Precatione Matutina, 'Helias, et solido cum corpore prævius Henoch.' licet post eum etiam Christiani poëtæ Heliam producta secunda dixerint: ut in illo: 'Heliam corvi quondam pavere ministri:' neque enim satisfacit, quod ad producendam syllabam quidam conjunctionem delentes ita referunt: 'Helias solido cum corpore prævius Henoch.' Sic Lactantius, 'Ecclesiæ pastos ubere, lacte, sinu;' cum sit antepenultima longa ἐκκλησία: ut vel ipse custodivit Ausonius in Epist. ad Paulinum, 'Celerique frequens Ecclesia vico:' idem Sidonio usus. Et Martialis celebre est Epigramma, quo Græcorum magis id licentiæ, quam Latinorum severitati concedere videtur. Sunt et qui non *Phidias*, sed *Fidias*, Latina forma malint scribere, ut in Quirinali Romæ: 'Opus Fidiæ:' utque fama, fuga, fagus, fui, fucus, folium, ac sexcenta alia, eodem modo scribi, usus rerum omnium, sed verborum præsertim, dominus atque arbiter, instituit: tanquam diuturnitate temporis in Latinam civitatem transcripta, inque legem penitus jam migraverint. Quid quod in eadem urbe pro foribus Divi Stephani simulacro cuidam vetustissimo subscripta quædam, quæ ex parte intercidere, inter quæ non semel cum iota litera Φιδίας? Cæterum præclaras primum statuas Fidiæ artificis hoc poëmate Poëta signat. Palladem videlicet Athenarum, et Olympium Jovem Elidis. Fabius Quinctilianus: 'Phidias Dis quam hominibus efficiendis melior artifex traditus; in ebore vero longe citra æmulum, vel si nihil nisi Minervam Athenis, aut Olympium in Elide Jovem fecisset. Cujus pulchritudo adjecisse aliquid etiam receptæ religioni videtur.' *Accursius.*

Cujus opus] Posidippus libro quarto τῆς ἀνθολογίας Epigrammatum Græcorum: Τίς, πόθεν ὁ πλάστης; Σικυώνιος. Οὔνομα δὴ τίς; Λύσιππος. Τὺ δὲ τίς; Καιρὸς ὁ πανδαμάτωρ. Τίπτε δ' ἐπ' ἄκρα βέβηκας; Ἀεὶ τροχάω. Τί δὲ ταρσοὺς Ποσσὶν ἔχεις διφυεῖς; Ἵπταμ' ὑπηνέμιος. Χειρὶ δὲ δεξιτερῇ τί φέρεις ξυρόν; Ἀνδράσι δεῖγμα, Ὡς ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος τελέθω. Ἡ δὲ κόμη τί κατ' ὄψιν; Ὑπαντιάσαντι λαβέσθαι. Νὴ Δία· τ' ἐξόπιθεν πρὸς τί φαλακρὰ πέλει; Τὸν γὰρ ἅπαξ πτηνοῖσι παραθρέξαντά με ποσσὶν Οὔτις ἔθ' ἱμείρων δράξεται ἐξόπιθεν. Τοῖον ὁ τεχνίτης με διέπλασεν εἵνεκεν ὑμέων, Ξεῖνε, καὶ ἐν προθύροις θῆκε διδασκαλίην. Vides, Phidiaca Ausonii Occasio quam diversa sit a Lysippeo Posidippi Καιρῷ? cui Joannes Zezes in historiis hoc etiam addit, quod surdus esset, super globum staret, (ut rotulæ insistere suam occasionem dicit Ausonius,) et sequenti se alicui gladium porrigeret. Callistratus quoque illi alia adjicit, quæ apud Politianum c. 49. Miscellan. invenies. Hic porro Lysippus nobilis ille est statuarius, a quo solo fingi voluit Alexander Magnus: eique occasionem hujus fingendæ Occasionis dedit, quum eum stomachari, et valde animi se angere ob amissam negotii cujusdam bene gerendi occasionem, aliquando

[redacted]

vidisset. Addit Callistratus, ex ære id opus factum, publicatumque fuisse a Lysippo Sicyone: quæ Peloponnesi urbs, ejus patria fuit. *Vinetus.*

3 *Quæ rara, et paucis Occasio nota*] Est 'Occasio,' ut definit Cicero libro primo de Inventione, 'pars temporis, habens in se alicujus rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem.' *Idem.*

5 *Volucris sum*] Seneca Epist. 49. 'Infinita est velocitas temporis, quæ magis apparet respicientibus: nam ad præsentia intentos fallit: adeo præcipitis fugæ transitus levis est.' Pindarus Pyth. Od. IV. Ὁ γὰρ καιρὸς πρὸς ἀνθρώπων βραχὺ μέτρον ἔχει. Livius lib. XXV. 'Si in Occasionis momento, cujus prætervolat opportunitas, cunctatus paulum fueris, nequidquam mox amissam quereris;' sive ut alii melius, *quæras.*

8 *Occipiti calvo es*] Persius, 'quos vivere jus est occipiti cæco.' Sidonius Apollinaris, 'Hic tonso occipiti senex Sicamber:' quo casu *Occipiti?* apud Ausonium emendari posset, *Occipite es calvo:* sed non æque facile apud Persium et Sidonium. *Vinetus.*

Ne tenear fugiens] Artemidorus lib. I. cap. 22. cum calvitiem occipitis magnum in senecta infortunium designare dixisset, addit: αἱ γὰρ ψιλότητες οὐδενὶ διαφέρουσιν, ἢ ὅτι κατ' ἔλλειψιν γίνονται θερμοῦ, ἢ ὅτι μηδενὸς ἐπιλαβέσθαι παρέχουσιν: ita enim istic legendum, pro καὶ ὅτι παρέχωσιν.

10 *Sum Dea, cui nomen nec Cicero*] Pœnitentiæ verba sunt: cæterum ut Ciceronianum verbum non sit pœnitentia, apud quem 'pœnitet' et 'pœnitens' leguntur, tamen Livius, Plinius, et alii recentiores Latini eo nomine libenter usi sunt. 'Pœnitudo' autem nescio quanto sit antiquius: quod pro pœnitentia usurpavit Ausonius in Ludo Sapientum, Sidonius in libri sexti Epistola nona, et alibi. *Vinetus.*

12 *Sic Metanœa vocor*] Vocabulum 'pœnitentia' quum hoc genus Carminis subire nequeat, Græco usus est Poëta pro illo Latino. *Idem.*

No. 13. 1 *Dicebam tibi*] Ode decima libri quarti Carminum Horatii. Est et libro septimo Epigrammatum Græcorum ejusdem fere sententiæ Epigramma in Prodicen. *Vinetus.*

Dicebam tibi] Hoc est, illud argumentum, quo frequentissime amantes usi sunt: itaque pleni eo Poëtarum libri. Invenias et apud Aristænetum Epist. I. l. II. Δίδου τοῖς σοῖς ὀπωρῶν ἐς τὴν ὥραν τρυγᾷν· μετ' ὀλίγον ἔσται γεράνδρυον· οἱ δὲ τῶν καλῶν σωμάτων ἐρασταὶ τῇ τοῦ φαινομένου κάλλους ἀκμῇ παραμετροῦσι τὸν ἔρωτα.

2 *Rene tuo*] Legitur et *vere tuo.* Adolescentia enim cum vere comparatur. *Vinetus.*

Utere rene tuo] Celeberrimi Grævii sententiam [Vid. Var. lect.] pulchre confirmat Ovid. v. Fast. 353. 'Et monet ætatis specie, dum floreat, uti: Contemni spinam, cum cecidere rosæ.' Hæ enim cum floribus reliquis veris sunt germina.

3 *Obrepsit non, &c.*] Auctor Priapeiorum: 'Da mihi, quod cupies frustra dare forsitan olim, Cum leget obsessas invida barba genas:' ubi τὸ *invida* frustra a Lindenbrogio sollicitatur, qui *ninguida* substituit. 'Invida barba' dicitur, quæ quasi invidet pueris, libidinosum sui fructum aliis præbere, patique gestientibus: illa namque genas vestiente delicati pusiones fiebant exoleti, tondebanturque.

5 *Nunc piget*] Terent. Hecyra: 'Eheu me miseram, cur non aut isthæc mihi Ætas et forma est, aut tibi hæc sententia?' et ad imitationem Veterum Guarini nel Pastor Fido: *Che se t' assale a la canuta etate Amoroso talento, Havrai doppio tormento, E di quel, che potendo non volesti, E di quel, che volendo non potrai.*

No. 14. *De Lepore*] Germanici Cæsaris duo sunt Epigrammata in lepo-

[redacted]

rem hunc libro primo Epigrammatum Græcorum: quorum sententiam in hoc suum Latinum Ausonius fere transtulit. Prius est: Οὔρεος ἐξ ὑπάτοιο λαγὼς πέσεν ἔς ποτε βένθος, Ἐκπροφυγεῖν μεμαὼς τρηχὺν ὀδόντα κυνός. Ἀλλ' οὐδ' ὣς ἤλυξε κακὸν μόρον. αὐτίκα γάρ μιν Εἰνάλιος μάρψας, πνεύματος ὠρφάνισεν. Ἐκ πυρὸς, ὡς αἶνος, πέσες ἐς φλόγας· ἦ ῥά σε δαίμων Κὴν ἁλὶ, κὴν χέρσῳ θρέψε κυνέσσι βορήν. Alterum: Ἐκ κυνὸς εἷλε κύων με. τί τὸ ξένον; εἰς ἐμὲ θῆρες Ὑγροὶ καὶ πεζοὶ θυμὸν ἔχουσιν ἕνα. Αἰθέρα λοιπὸν ἔχοιτε λαγοὶ βατόν. ἀλλὰ φοβοῦμαι, Οὐρανέ. καὶ σὺ φέρεις ἀστερόεντα κύνα. Vinetus.

2 *Cæruleus*] Sic in Græco Εἰνάλιος: subauditur *κύων*, id est, canis. *Idem.*

4 *Si canis astra tenet*] Est canis major et minor in cælo: de quibus Aratus, Plinius, Hyginus. Seneca libro secundo de beneficiis: 'Ingens,' inquit, 'copia est rerum sine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, sed aliunde commodatis. Pedem et nostrum dicimus, et lecti, et veli, et carminis. Canem et venaticum, et marinum, et sidus.' Sic triplex memoratur Lepus, in terra, mari, cælo. Hunc noverunt astronomi: de marino Plinius, et Appuleius in Apologia. *Idem.*

No. 15. *De Pergamo*] Epigramma in Pergamum scriptorem fugitivum, retractum e fuga, non est singulare: sed sunt duo Epigrammata. Nam primum continetur duobus distichis, alterum tribus. Notum est vestigia imprimi solita frontibus servorum fugitivorum. Propterea ait: 'Ergo notas scripto tolerasti Pergame vultu.' Propterea apud Columellam in Hortulo loquentem de lepidio puto legendum: *fronti data signa fugarum:* quia hoc propius accedit ad veteres editiones, quæ habent *fucarum.* Quod tamen placuit doctissimis viris *focorum*, nec mihi displicet. Et, ut verum fatear, vetus codex habet: *Deletura quoque est fronti data signa focorum.* Scaliger.

De Pergamo] Ante inventam divinam illam libros formis et prælo exscribendi rationem, ut in reliquis artibus, ita in libris scribendis Antiqui servorum manu utebantur. Tales fuisse scriptores multos Tryphoni, cui suos de Institutione Oratoria libros Quinctilianus emittendos dedit, aliisque tales bibliopolis, nemo dubitaverit: quin Cicero, Atticus, Varro, tales servos habuisse leguntur. Ex eo itaque genere fuit, in quem hoc Epigramma scribitur. *Vinetus.*

1 *Pergame*] 'Pergamum,' et 'Pergamus,' et plurali 'Pergama,' locus in Asia, unde hujus servi nomen. A patria plerumque, et ab iis locis, unde venerant, servis Antiqui nomina imponebant, ut de Davis et Getis meminit Strabo libro septimo. Sic apud Comicos Syrus, Lydus, Mysis, Phrygia appellati, a Syria, Lydia, Mysia, Phrygia regionibus. *Idem.*

2 *Primo captus es in stadio*] Ante quam stadium unum progressus fuisses, a persequente domino captus es. Valet autem *στάδιον* centum et viginti quinque passus, auctore Plinio: passus vero quinque pedes. *Idem.*

3 *Ergo notas scripto*] De istis notis et frontium inscriptionibus, ut alicubi Seneca appellavit, legere poteris, quæ scribit Franciscus Connanus secundo commentario Juris civilis. *Idem.*

No. 17. *De Myrone*] Epigramma de sene Myrone, qui Laidis noctem oraverat, confectum est ab Ausonio ex Apophthegmate notissimo Adriani Imperatoris. Vide in ejus Vita. *Scaliger.*

1 *Canus rogabat*] 'Joca ejus plurima extant. Nam fuit etiam dicaculus. Unde illud quoque innotuit, quod quum cuidam canescenti quiddam negasset, eidem iterum petenti, sed infecto capite, respondit, Jam hoc patri tuo negavi.' Hoc Ælius Spartianus de Hadriano Cæsare;

... excarias ... Vocat hoc ... crinem fuco ... quæ Casaub. ... c. 3. Tertul- ... cap. 8. 'colo- ... et B. Cyprianus ... tractatu de Lapsis, ... colorare ;' item et ... 'mutare adul- ... crinem,' usurpavit. ... præter ceteros Deme- ... Æliauus tradidit, ... Var. Histor. Inventrix Me- ... Clemens Alexandr. Strom. ... τε ἡ Αἰήτου, ἡ Κολχὶς, ... τριχῶν ἐπενόησεν. Vide ... delicias hasce Clemen- ... Alexandrinum lib. II. c. 8. et ... et lib. III. c. 2. Pædagogi.

4 *Fucavit*] Βαφῇ ἐπειρᾶτο ἀφανίζειν, dixit de sene Ceo Ælianus septimo Variæ historiæ. *Vinet.*

6 *Oratum prius*] Id quod jam ante rogaverat, noctem Laidis. *Idem.*

No. 19. 5 *Nestore sim quamvis provectior*] Etiam quum tres Nestoris ætates superavero, et tu annorum

[redacted]

nem esse mallem, quam esse senem, antequam essem.' Vide Erasmum in Adagiis. *Vinetus.*

No. 20. 2 *Thesidæ*] Filio Thesei regis Athenarum Hippolyto. Est autem ἵππος equus, et λύομαι solvor. Fuit enim distractus ab equis, unde illi nomen erat. Narratur fabula Nasoni Ovidio, Euripidi, Senecæ, Hygino, Servio, et aliis. *Vinetus.*

Thesidæ Hippolyto &c.] Prudent. Carm. XI. περὶ στεφ. de Hippolyto Martyre: 'Ille supinata residens cervice, Quis, inquit, Dicitur? affirmant dicier Hippolytum. Ergo sit Hippolytus: quatiat turbetque jugales, Intereatque feris dilaceratus equis.' P. Rutilius in Itiner. I. 'Nominibus certos credam decurrere mores: Moribus an potius nomina certa dari?' Exemplum habes apud Ausonium nostrum in Parental. c. 11. de Pastore. D. Hieronymus ad Gerontiam: 'Nunc de Gerontia sermo est, quæ quodam vaticinio futurorum, ac Dei præsidentis auxilio, nomen accepit.' Efficacius aliquantum Victor Uticensis: 'Victoria auctrix sui nominis,' lib. III. de Persecut. Vandalor. Multi sunt in hisce ad nomina allusionibus veteres, quorum aliqua ad Epistolam Ausonii ad Probum exempla notavimus: adi et Victor. l. XXXVI. c. 24.

[redacted]

[redacted]

Hectorea manu perisse, Sic Hectora tradunt cecidisse mox Achilli.'

Π	80	Ε	5	Α	1
α	1	κ	20	χ	600
τ	300	τ	300	ι	10
ρ	100	ω	800	λ	30
ο	70	ρ	100	λ	30
κ	20			ε	5
λ	30			υ	400
ο	70			ς	200
ς	200				
	871		1225		1276

3 *Nam divinare*] Non inscitum est in eandem sententiam Philodemi Carmen Antholog. Gr. l. VII. qui postquam se jam quartæ Demus amore captum fuisse dixit, ita concludit: Αὐταί που Μοῖραί με κατωνόμασαν Φιλόδημον, Ὡς αἰεὶ Δημοῦς θερμὸς ἔχοι με πόθος. Scholiastes Hom. in Iliad. B. Ἰστέον δὲ ὅτι ἐτίθεσαν πλεῖστοι τῶν παλαιῶν προληπτικῶς τὰς ὀνομασίας τοῖς παισὶν, ἀφ' ὧν ἔμελλον οἱ παῖδες ἐπιτηδεύειν πραγμάτων. σφόδρα δὲ αὐτοῖς ἔμελε τὰ τοῦ πολέμου. διὸ Πηνέλεως μὲν ὀνομάσθη ἀπὸ τοῦ πένεσθαι περὶ τὸν λεών, ὅ ἐστι πονεῖν, καὶ ἐργάζεσθαι κατὰ τὸν ὄχλον, &c. apud Aristænetum Eubulides l. II. Epist. 12. de uxore rixosa: ἔστι δὲ καὶ τὸν τρόπον καὶ τοὔνομα Δεινομάχη. Videatur et Plutarch. in Erot. de Actæone Corinthio. Torquat. Tassus de Silvia, in Amynta: *Silvia crudele, ed empia Piu che le selve, o com' a te confassi Tal nome, e quanto vide, chi te 'l pose.*

7 *Idmona quod vatem*] Ἴδμων interpretari potest, sciens et peritus, quum derivetur a verbo εἴδω, scio, novi. Fuit autem Idmon augur et vates insignis inter Argonautas: de quo lege plurima apud Herodotum, Apollonium Rhodium, Valerium Flaccum, Hyginum, Ammianum libro vicesimo secundo. *Vinetus.*

Medicum quod Iapida dicunt] Aptum nomen medico. Nam ἰᾶσθαι Græci dicunt curare. Sic medici nomen, qui ictum sagitta Æneam curavit, ἐτυμολογεῖ Servius in versum trecentesimum et nonagesimum primum duodecimi Æneidos: sive *Iapis* hic fuerit, sive *Iapix*, sive *Iapyx*. Tot enim modis variare Virgilii exemplaria monuit castigator Pierius. *Idem.*

Medicum quod Iapida dicunt] Scribe *Iasida*: sic enim Iaso quoque et Panacea cum Asclepiadis conjunguntur. G. *Canterus*: et ita in ora libri emendaverat Scaliger.

9 *Non quod sis atra colore*] Propertius lib. IV. Eleg. 6. 'Cepheam hic Meroën, fuscaque regna canat.' Sed allusio hic multiplex. Nam et in Meroë insula vinum bonæ notæ nascitur: unde Lucanus lib. X. vs. CLX. 'gemmæque capaces Excepere merum: sed non Mareotidos uvæ: Nobile sed paucis senium cui contulit annis Indomitum Meroë cogens spumare Falernum.'

12 *Merumque merum*] Purum vinum, non dilutum. Ita vinosæ feminæ 'Meroæ' nomen deducit a 'mero,' id est, vino, quemadmodum Appuleius quoque libro primo Asini aurei: unde fortasse Epigrammatis hujus argumentum. Sed quid si cum Quinctiano Stoa legamus? *Potare immistum sueta merum Meroë.* Vinetus.

No. 21. 1 *Me lapidem*] Græca Leonidæ sunt hæc libro quarto Anthologiæ: Καί με λίθον Πέρσαι δεῦρ' ἤγαγον, ὄφρα τρόπαιον Στήσωνται νίκας. εἰμὶ δὲ νῦν Νέμεσις. Ἀμφοτέροις δ' ἕστηκα, καὶ Ἑλλήνεσσι τρόπαιον Νίκας, καὶ Πέρσαις τοῦ πολέμου Νέμεσις. Sunt alia quoque in eodem libro non minus lepida Græcorum poëtarum Epigrammata in Nemesin: quæ significat iram, invidiam, indignationem ex improborum prosperiore successu, 'vim quandam fortunæ,' ait Capitolinus in Maximo et Balbino: 'animadversionem divinam,' inquit Budæus libro primo rerum fortuitarum, in eos vindicantem, qui superbe, ar-

quod scomma Ausonium finxisse a Laide in Myronem detortum, vult Baptista Pius in Annotationibus posterioribus: ubi hoc Epigramma explicatur, si cui forte in eo obscurius quicquam occurrerit. *Vinetus.*

3 *Caput fuligine fucavit*] Vocat hoc Sammonicus, 'nigrum crinem fuco simulare doloso.' Vide quæ Casaub. ad Theophr. Eth. Char. c. 3. Tertullianus de Cultu fem. cap. 8. 'colorare canitiem' dixit. et B. Cyprianus ejus discipulus tractatu de Lapsis, 'capillis mendacio colorare;' item et de Habitu virginum, 'mutare adulterinis coloribus crinem,' usurpavit. Factitasse id præter ceteros Demetrium Poliorceten Ælianus tradidit, l. IX. Var. Histor. Inventrix Medea fuit. Clemens Alexandr. Strom. lib. I. Μήδειά τε ἡ Αἰήτου, ἡ Κολχὶς, πρώτη βαφὴν τριχῶν ἐπενόησεν. Vide carpentem delicias hasce Clementem Alexandrinum lib. II. c. 8. et 10. et lib. III. c. 2. Pædagogi.

4 *Fucavit*] Βαφῇ ἐπειρᾶτο ἀφανίζειν, dixit de sene Ceo Ælianus septimo Variæ historiæ. *Vinet.*

6 *Oratum prius*] Id quod jam ante rogaverat, noctem Laidis. *Idem.*

No. 19. 5 *Nestore sim quamvis provectior*] Etiam quum tres Nestoris ætates superavero, et tu annorum [redacted]

nem esse mallem, quam esse senem, antequam essem.' Vide Erasmum in Adagiis. *Vinetus.*

No. 20. 2 *Thesidæ*] Filio Thesei regis Athenarum Hippolyto. Est autem ἵππος equus, et λύομαι solvor. Fuit enim distractus ab equis, unde illi nomen erat. Narratur fabula Nasoni Ovidio, Euripidi, Senecæ, Hygino, Servio, et aliis. *Vinetus.*

Thesidæ Hippolyto &c.] Prudent. Carm. XI. περὶ στεφ. de Hippolyto Martyre: 'Ille supinata residens cervice, Quis, inquit, Dicitur? affirmant dicier Hippolytum. Ergo sit Hippolytus: quatiat turbetque jugales, Intereatque feris dilaceratus equis.' P. Rutilius in Itiner. I. 'Nominibus certos credam decurrere mores: Moribus an potius nomina certa dari?' Exemplum habes apud Ausonium nostrum in Parental. c. 11. de Pastore. D. Hieronymus ad Gerontiam: 'Nunc de Gerontia sermo est, quæ quodam vaticinio futurorum, ac Dei præsidentis auxilio, nomen accepit.' Efficacius aliquantum Victor Uticensis: 'Victoria auctrix sui nominis,' lib. III. de Persecut. Vandalor. Multi sunt in hisce ad nomina allusionibus veteres, quorum aliqua ad Epistolam Ausonii ad Probum exempla notavimus: adi et Victor. l. XXXVI. c. 24. [redacted]

[redacted]

Hectorea manu perisse, Sic Hectora tradunt cecidisse mox Achilli.'

Π	80	Ε	5	Α	1
α	1	κ	20	χ	600
τ	300	τ	300	ι	10
ρ	100	ω	800	λ	30
ο	70	ρ	100	λ	30
κ	20			ε	5
λ	30			υ	400
ο	70			ς	200
ς	200				
	871		1225		1276

3 *Nam divinare*] Non inscitum est in eandem sententiam Philodemi Carmen Antholog. Gr. l. VII. qui postquam se jam quartæ Demus amore captum fuisse dixit, ita concludit: *Αὐταί που Μοῖραί με κατωνόμασαν Φιλόδημον, Ὡς αἰεὶ Δημοῦς θερμὸς ἔχοι με πόθος.* Scholiastes Hom. in Iliad. B. *Ἰστέον δὲ ὅτι ἐτίθεσαν πλεῖστοι τῶν παλαιῶν προληπτικῶς τὰς ὀνομασίας τοῖς παισὶν, ἀφ' ὧν ἔμελλον οἱ παῖδες ἐπιτηδεύειν πραγμάτων. σφόδρα δὲ αὐτοῖς ἔμελε τὰ τοῦ πολέμου. διὸ Πηνέλεως μὲν ὀνομάσθη ἀπὸ τοῦ πένεσθαι περὶ τὸν λεὼν, ὅ ἐστι πονεῖν, καὶ ἐργάζεσθαι κατὰ τὸν ὄχλον*, &c. apud Aristænetum Eubulides l. II. Epist. 12. de uxore rixosa: *ἔστι δὲ καὶ τὸν τρόπον καὶ τοὔνομα Δεινομάχη.* Videatur et Plutarch. in Erot. de Actæone Corinthio. Torquat. Tassus de Silvia, in Amynta: *Silvia crudele, ed empia Piu che le selve, o com' a te confassi Tal nome, e quanto vide, chi te 'l pose.*

7 *Idmona quod vatem*] Ἴδμων interpretari potest, sciens et peritus, quum derivetur a verbo εἴδω, scio, novi. Fuit autem Idmon augur et vates insignis inter Argonautas: de quo lege plurima apud Herodotum, Apollonium Rhodium, Valerium Flaccum, Hyginum, Ammianum libro vicesimo secundo. *Vinetus.*

Medicum quod Iapida dicunt] Aptum nomen medico. Nam ἰᾶσθαι Græci dicunt curare. Sic medici nomen, qui ictum sagitta Æneam curavit, ἐτυμολογεῖ Servius in versum trecentesimum et nonagesimum primum duodecimi Æneidos: sive *Iapis* hic fuerit, sive *Iapix*, sive *Iapyx*. Tot enim modis variare Virgilii exemplaria monuit castigator Pierius. *Idem.*

Medicum quod Iapida dicunt] Scribe *Iasida:* sic enim Iaso quoque et Panacea cum Asclepiadis conjunguntur. G. *Canterus:* et ita in ora libri emendaverat Scaliger.

9 *Non quod sis atra colore*] Propertius lib. IV. Eleg. 6. 'Cepheam hic Meroën, fuscaque regna canat.' Sed allusio hic multiplex. Nam et in Meroë insula vinum bonæ notæ nascitur: unde Lucanus lib. X. vs. CLX. 'gemmæque capaces Excepere merum: sed non Mareotidos uvæ: Nobile sed paucis senium cui contulit annis Indomitum Meroë cogens spumare Falernum.'

12 *Merumque merum*] Purum vinum, non dilutum. Ita vinosæ feminæ 'Meroæ' nomen deducit a 'mero,' id est, vino, quemadmodum Appuleius quoque libro primo Asini aurei: unde fortasse Epigrammatis hujus argumentum. Sed quid si cum Quinctiano Stoa legamus? *Potare immistum sueta merum Meroë.* Vinetus.

No. 21. 1 *Me lapidem*] Græca Leonidæ sunt hæc libro quarto Anthologiæ: *Καί με λίθον Πέρσαι δεῦρ' ἤγαγον, ὄφρα τρόπαιον Στήσωνται νίκας. εἰμὶ δὲ νῦν Νέμεσις. Ἀμφοτέροις δ' ἕστηκα, καὶ Ἑλλήνεσσι τρόπαιον Νίκας, καὶ Πέρσαις τοῦ πολέμου Νέμεσις.* Sunt alia quoque in eodem libro non minus lepida Græcorum poëtarum Epigrammata in Nemesin: quæ significat iram, invidiam, indignationem ex improborum prosperiore successu, 'vim quandam fortunæ,' ait Capitolinus in Maximo et Balbino: 'animadversionem divinam,' inquit Budæus libro primo rerum fortuitarum, in eos vindicantem, qui superbe, ar-

[redacted]

roganter, insolenter, scelerate, perfide, aut proterve in vita versentur. Unde 'ultricem facinorum impiorum, præmiatricemque bonorum' appellavit Ammianus Marcellinus libro quartodecimo. Sed de illa plura Erasmus in proverbiis, Petr. Crinitus libri undevicesimi capite sexto de Honesta disciplina, et Rhodiginus. *Vinetus.*

No. 23. 1 *Qui laqueum*] Latina hæc ex Græcis illis facta sunt, quæ libro primo Anthologiæ leguntur duobus distichis: quorum prius est: *Χρυσὸν ἀνὴρ ὁ μὲν εὗρεν, ὁ δ' ὤλεσεν. ὧν ὁ μὲν εὑρὼν, 'Ρίψεν, ὁ δ' οὐχ' εὑρὼν, λυγρὸν ἔδησε βρόχον.* Alterum est: *Χρυσὸν ἀνὴρ εὑρὼν ἔλιπε βρόχον. αὐτὰρ ὁ χρυσὸν Ὃν λίπεν, οὐχ εὑρὼν, ἧψεν ὃν εὗρε βρόχον.* De quorum Græcorum auctoribus inter Diogenem Laërtium, et eum, qui Epigrammata illa collegit, non convenit. Quoniam prius ille Platoni vel Antipatro inscribit, et posterius Statyllio Flacco: Diogenes vero posterius Platoni, alterius non meminit. *Vinetus.*

No. 24. 3 *Pitanæ*] Pitanas legi duas. Unam in Asia Pomponius, Plinius, Stephanus ponunt. Alteram idem Plinius libro quarto inter Laconicas urbes recenset. *Vinetus.*

5 *Socii posuere feretro*] Non quosvis hic socios designari existimem, sed τοὺς ἐραστὰς maxime, quorum curæ hoc et omnia alia officia, imo et ipsa ad virtutem institutio incumbebant: quin et mulctatum ferunt amatorem a magistratu, quod amasius ejus imbellem in pugna vocem emisisset. Testis Plutarch. in Vita Lycurgi: et turpe fuisse ait Damascenus in Excerptis Constantini, δειλῶν σύσκηνον, ἢ συγγυμναστὴν, ἢ φίλον γενέσθαι: plura de iis Ælianus lib. III. cap. X. et XII. Xenophon in Rep. Lacedæmonior. Plutarchus in institutis Laconicis, aliique.

No. 25. 1 *Mater Lacæna*] Plutarchus hoc recenset inter Lacænarum apophthegmata. *Vinetus.*

2 *Cum hoc, inquit*] Ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τάν. Olim Lacedæmonii a parvulo ad res bellicas formabantur, et ut primum nati erant, clypeo imponi solebant, hasta juxta illum posita, quique præsentes erant, acclamabant, ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τὰν, id est, aut hunc, aut super hunc: quasi dicerent: danda erit tibi opera, ubi adoleveris, ut hunc clypeum salvum ab hostibus reportes, vel ut fortiter pro patria dimicando supra illum mortem occumbas. *Palmannus.* Potius, in illo mortuus domum feraris. Noster paulo ante: 'Arma superveheris quod Thrasybule tua.' et Virgil. 'At Lausum socii exanimem super arma ferebant.' Item de Pallante: 'At socii multo gemitu lachrymisque Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.' Eleganter hoc Apophthegma apud Aristænetum lib. II. Epist. XVII. in suum detorquet commodum adulter instans: ἐγὼ τοίνυν, inquit, ἐρωτικὸς, ἀνέκπληκτος, μηδὲν ὀῤῥωδῶν, τὴν ἀνδρίαν μιμήσομαι τῶν Λακώνων. παρ' ἐκείνοις γὰρ αἱ μητέρες πρὸς τοὺς παῖδας ἔφασκον, ἐμοὶ δὲ παρακελεύεται κάλλιον ἡ ψυχὴ, ἢ ταύτην ἢ ἐπὶ ταύτῃ. καὶ διὰ σὸν κάλλος, ἢ γάμον ἀσμένως, ἢ τάφον αἱροῦμαι. Respicit huc D. Augustinus Epist. XXXVIII. ad Lætam: 'De Lacedæmoniis matribus memoriæ traditum est, quod filios suos, ut pro terrena patria sanguinem funderent, multo amplius atque ardentius in certamina bellica, quam signorum sonitus excitabant.'

No. 26. 7 *Serum veste*] Serica veste. Populus est Asiæ, qui lanificio silvarum nobiles, 'aquarum aspergine inundatis frondibus, vellera arborum adminiculo depectunt liquoris: et lanuginis teneram subtilitatem humore domant ad obsequium. Hoc illud est Sericum, in usum publicum damno severitatis admissum: et quo ostentare potius corpora, quam vestire primo feminis, nunc etiam viris

[redacted]

persuasit luxuriæ libido.' Junius Solinus. *Vinetus.* Plura de Seribus, et veste Serica Ammian. Marcellinus lib. XXIII.

9 *Ceris inurens*] Unde ἔγκαυσις θυρῶν in veteri inscriptione. Dicæarchus de Tanagra: τοῖς δὲ τῶν οἰκιῶν προθύροις καὶ ἐγκαύμασιν ἀναθεματικοῖς κάλλιστα κατεσκευασμένη. Tria encausticea genera apud Veteres fuisse ex Plinio observari potest. Unum quo tabulam discoloribus ceris inducebant et insternebant, ad quidlibet exprimendum pingendumque: quas postea ceras inurebant, ut lævigarent et exæquarent. In hoc genere penicilli nullus erat usus. Alterum genus encaustices, quod in ebore et cornu, veruculo sive cestro inurebatur: quod κεστρωτὸν inde vocabant. Tertium his duobus accessit genus liquefactis igne ceris penicillo utendi: 'quæ pictura navibus, nec sole, ventisve corrumpitur,' inquit Plinius. *Salmasius ad Solin.*

10 *Et atriorum pegmata*] Πῆγμα, machinæ ornamentique genus in principum ædibus. *Vinetus.*

Et atriorum pegmata] Hesychius: σταθμοὶ, τὰ ἑκατέρωθεν τῶν θυρῶν ξύλα, ἃ νῦν πήγματα καλοῦμεν. Vide Vitruvium.

12 *Vere lupa*] Scortum. Meretricum enim mores voraci luporum ingenio haud sunt dissimiles. Alludit autem ad fabulam de Romulo et Remo a lupa lactatis, apud Livium, Plutarchum, Halicarnasseum. *Vinet.*

No. 27. 1 *Inventor primus*] Atheniensem Antisthenem scribit Diogenes Laërtius, quum a Socrate tolerantiam didicisset, Cynicam primum instituisse sectam, principemque in ea fuisse. *Vinetus.*

Cynicæ] Secta hæc tum Κυνικὴ, tum Κυνισμὸς Græcis appellatur. Antisthenes autem, auctore eodem Laërtio, disserebat in Gymnasio, cui 'Cynosarges' nomen, haud procul portis Athenarum: a quo loco sectam Cynicam nonnulli dictam volunt. Alii vero a 'Canis,' qui Græce Κύων dicitur, ingenio, dictos opinantur Cynicos: quod eorum mores caninis persimiles essent, qui allatrarent, maledicerent omnibus, riderent omnes contemnerentque, et postremo etiam morderent. Lucianus cum aliis in locis, tum in vitarum auctione, præclara Cynicorum philosophorum instituta scite eleganterque depingit. *Idem.*

2 *Alcides*] Hercules a patris Amphitryonis patre Alceo, non ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, id est, a viribus et fortitudine, ut dicit interpres vetus Virgilii in sextum Æneidos. Habebat autem Hercules templum ἐν Κυνοσάργει, cujus exemplo, quod labor bonum esset, comprobare solebat Antisthenes. Sed et Diogenes Σινωπεὺς, Antisthenis pertinacissimus assectator, aliud Cynicæ familiæ columen, in auctione vitarum Luciani, imitatorem se profitetur Herculis. Idem facit Alcidamas quoque in Cynico ordine, Antisthene Diogeneque majoribus suis non inferior. Talem describit idem Lucianus in Symposio seu Lapithis. Cujus hæc sunt verba, Erasmo interprete: 'Quin ego tibi,' inquit, 'vel stans cœnavero, in ipso interim convivio etiam obambulans. Quod si defatigatus fuero, tum humi substrato pallio, cubito innixus cubuero: qualem videlicet Herculem pingunt.' Ubi egregius ille Cynicus, Herculem Deum suum appellat. *Idem.*

Alcides] Ita et Apuleius in Apologia Diogeni et Antistheni pera et baculo contentis, 'Herculem' addidit, qui 'neque una pelle vestitior fuit, neque uno baculo comitatior.' Tertullianus in Apologetico cap. XIV. 'Sed et Diogenes nescio quid in Herculem ludit:' ubi tamen pro Diogene *Diagoram* aliqui substituunt, de quo Theodoretus, Clemens Alexandrinus, &c. Clavam quoque pro baculo Cynicis D. Augustinus tribuit lib. XIV. Civ. Dei, cap. 20.

4 *Et ille Deus*] Hercules: qui quo pacto, exuta mortalitate, ex Œta monte ad Deos abierit, Œtæus ipse Hercules Senecæ ostendit, et Ovidius nona Metamorphoseon. *Vinetus.*

No. 28. 1 *Discipulus nulli*] Hoc epigrammate, quod imagini subditur Cynici Antisthenis, immutatum lemma est, ad Diogenemque relatum: erroris, ut arbitror, adminiculo, quod in calce ejus nomen viderint Διογένη: quanquam apud Lucianum in Dialogo, cui titulus βίων πρᾶσις, Diogenes inducitur, qui se Herculis imitatorem esse dicat, atque ejus illa quoque sit præclara sane, nec indigna Cynico sententia, τουτί μοι λεοντῆ τὸ τριβώνιον. στρατεύομαι δὲ ὥσπερ ἐκεῖνος ἐπὶ τὰς ἡδονὰς, οὐ κελευστὸς, ἀλλὰ ἑκούσιος, ἐκκαθᾶραι τὸν βίον προαιρούμενος. Alii rursus ex uno geminum Epigramma fecere. Quid est autem: εἰς ἀρετὴν συνέβη, καὶ Κυνικὴν σοφίην. quod est Latine, 'ad virtutem contigit, et Cynicam sapientiam,' ac deinde: καὶ Θεὸν 'Αλκείδην, καὶ κύνα Διογένη, hoc est, 'Et Deum Alcidem, et canem Diogenem:' nisi ut respondeat, qui interrogatur, Antisthenes Diogenis magister, præstantissimum sibi contigisse præceptorem Deum Herculem, discipulum vero Cynicum Diogenem? 'Namque,' ait Cicero in Rhetoricis, 'Artium magis-mus, quod constaret, Deum ipsum Græcis ita nuncupatum. Macrob. lib. I. Saturn. 'Plerique,' inquit, 'Phaneta appellant ἀπὸ τοῦ φαίνειν. ἐπειδὴ φαίνεται νέος, quia sol quotidie renovat sese.' Nec multo item post, quo loco eundem esse Liberum patrem, cæterosque Deos cum Sole, commentatur: 'Phaneta Orpheus dixit solem ἀπὸ τοῦ φωτὸς καὶ φανεροῦ, id est, a lumine atque illuminatione, quia cunctis visitur, cuncta conspiciens.' Dictum ab eodem est de Libero patre, 'mystæ Phanacem nominant.' *Accursius.*

2 Βάκχος ἐνὶ] Scribo, ἐνὶ ζωοῖσιν, ἐνὶ φθιμένοισιν 'Αδωνεύς: hoc est, inter viventes, inter mortuos. Plato in stellam: 'Αστὴρ πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν ἑῷος, Νῦν δὲ θανὼν λάμπεις ἕσπερος ἐν φθιμένοις. Quos versus, post Madaurensem Apuleium, ita reddidit Ausonius: 'Stella prius superis fulgebas Lucifer: at nunc Extinctus cassis lumine vesper eris.' *Idem.*

3 Πυρογενὴς] Et πυριγενὴς, 'ignigena' Ovidio libro quarto Metamorphoseon. 'Ignigenus' Apuleio, libro septimo de Asino. (Αἰθιόπαις Anacreonti apud Hesychium.) Quod autem ita dicatur Bacchus, id pertinet ad fabulam de Semele, quæ paucis memoratur in Cupidine cruci affixo. *Vinetus.*

[redacted]

τὸν βαρβὸν, ut putat Turnebus: et ut nos quoque perperam aliquandiu putavimus. Nam hoc si sic esset, non neutro genere μυόβαρβον, sed masculino dicendum erat, μυόβαρβος. Deinde si βαρβὸς est mysterium Cereris, quid hic mysteriis opus est? unum tantum nomen hic mysticum est, nempe 'Phanaces:' cætera pro populorum diversis appellationibus. Sed ut hæc opinio Turnebi tanquam falsa prorsus explodenda est, ita pro vera amplectenda, quam ponemus. Primum Bacchum cum cantharo oblongo et angusto fingi solitum, non solum veteribus auctoribus, qui hoc tradunt, sed et nobis ipsis credendum est, qui in veteribus marmoribus, nummis, ac monumentis id observavimus. Nam alii sunt canthari, ex quibus vinum defundebatur in pateras; alii potorii canthari, quibus bibebatur. Arnobius: 'Quid ille in Liberi dextra pendens potorius cantharus?' Illi canthari, ut dixi, oblongi sunt, et angustissimi infima parte, qua committuntur basi suæ. Desinunt enim in turbinem subtilissimum, qui init basem ipsam. A qua similitudine et muris et barbæ, quæ in conum desinit, nomen ibrida voce ex Latino et Græco sermone insititium adeptus est: et vocatus est cantharus ille *Myobarbum*. Quæ compositionis lascivia ne cui forte mira videatur, habet similem in alio vase Romano, quod Græco nomine, item Latino Nanum barbaton vocabant. Græcum nomen est Nanus, sed figura Latina. Latinum nomen Barbatos, sed figura Græca. Varro: 'Quo postea accessit Nanus cum Græco nomine, et cum Latino nomine Græca figura Barbatos.' Quare si id est in nominibus separatis, quidni et in compositis? Vides præterea barbatum vocari, quod ea figura esset, qua fuisse cantharum potorium descripsimus: ut non dubium sit, quin lascivia joculari ita vocatus sit cantharus potorius Bacchi. In eo autem hæc insculpta nomina fuisse mirum nemini videri debet. Nam Liber pater nudus, et aliarum rerum inermis fingebatur: ut nihil haberet, in quo tituli illi poni possent, præter cantharum potorium. Ego sane non dubito, quin ea sit vera conjectura, et ex Græco et Latino joculariter composita sit vox, et *Myobarbum* dictum, ut *Myoparo*, propter longitudinem: est enim piratici navigii genus. Quid autem mystici habeat mus, quod velle videtur Turnebus, id sane mihi prorsus mysticum est et opertum. Tantus vir potuit ignorare, μύειν esse abdere se in latibula, inlatebrare se? quod sane mus facit. Ab eo ergo dictus μῦς. *Scaliger.*

1 *Ogygia*] Bœotia. Thebæ. Ogyges apud Varronem libro tertio de Re Rustica, sed Ὠγυγὸς apud Strabonem et Pausaniam, appellatur rex Thebarum Bœotiæ, unde hoc nomen factum. Thebanus autem genere fuit Bacchus. *Vinetus.*

3 *Mystæ Phanacen*] Ita vulgo perperam: legendum enim *Mysi:* quia ab Ausonio variæ memorantur gentes, quarum singulis mystæ sui: ut huic loco non generale *mystarum* nomen, sed particularis alicujus nationis appellatio conveniat. Talis Mysorum, qui Thracibus contermini. *G. I. Vossius.*

5 *Romana sacra Liberum*] Liber Romanis et Latinis appellatur Deus vini Bacchus; quod, ut volunt, animum curis vinum liberet. *Vinetus.*

6 *Arabica gens Adoneum*] Legitur et *Ædoneum* prima diphthongo, ut Αἰδωνεὺς supradictus: sed *Adoneum* prima brevi malo; intelligoque, ut Lilius, Adonidem illum, Veneris Deæ amores et delicias; quomodo apud Plautum in Menæchmis: 'Dic mihi, nunquid vidisti unquam tabulam pictam in pariete, Ubi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?' Natum autem Adonidem apud Sa-

bæos gentem Arabiæ fabulatur Ovidius decimo Metamorphoseon. Idemque numen esse Bacchum et Adonidem ex Plutarchi symposiacis tradit Cœlius Rhodiginus. *Vinetus.* De his aliisque Bacchi et reliquorum Deorum cognominibus, nos, Deo volente, latius, ubi Mythologis recensendis manum admovebimus.

7 *Lucaniacus*] Ausonii hæc villa est, cujus deinceps sæpe fit mentio, et situm Scaliger explicat in fine Operis.

No. 31. 2 Λιτὸς] Quidam tamen codices pro λιτὸς, minutus, habent αὐτὸς, ipse. Quæ duo verba Græca sic se mutuo propter similitudinem corruperunt apud Juvenalem libro tertio. Ubi λιτὸς invenisse scripsit Turnebus libri vicesimiquarti capite duodevicesimo Adversariorum: quum vetustissimus Petri Pithei viri doctissimi codex αὐτὸς habeat, sicut apud Homerum scribitur libro XVI. Odysseæ. Sed aliter etiam depravatus fuit locus ille Juvenalis. *Vinetus.*

Λιτὸς ἐγὼ Κορύδων] Hæc omnia ex uno exscalpta lapide effecere, ut ipse ego pastor tenuis et exiguus essem, qui grandior alias effingi potuissem. Ludit in paronomasia τοῦ λίθος et λιτός: quam figuram Noster ad fastidium usque affectat.

sarum vero decimam fuisse, memoret. Addunt alioqui eam Musis decimam et Plato et Antipater, neque quisquam catalogo eximit vatum Lyricorum. Qui (ut vel ipse ait Ausonius) numero sunt Mnemosynarum. Extat Græcum Epigramma, quo singulis Lyricorum octo collaudatis, veluti majorem ei gloriam comparaturus, de Sappho ita subdit, quicunque ille Author fuerit: 'Ανδρῶν δ' οὐκ ἐνάτη Σαπφὼ πέλεν, ἀλλ' ἐρατειναῖς Ἐν Μούσαις δεκάτη Μοῦσα καταγράφεται. *Accursius.*

No. 33. 1 *Salo*] Mari. *Vinetus.*

Salo] Solinus in Pontic. 'Quæ semine cœli Parturiente salo, divini germinis æstu, Spumea purpurei dum sanguinat unda profundi Nasceris e pelago, placido Dea prosata mundo.'

Solo] Terra. Est autem παρονομασία in his, 'salo,' 'solo,' 'cælo.' Sic in versu tricesimo Iambici Epistolæ vicesimæ secundæ, 'Soli et sali commercio.' *Vinetus.*

Patre edita Cælo] Saturnus quum patris sui Cœli virilia falce amputasset, eaque in mare decidissent, Venerem Deam genuerunt. *Idem.*

2 *Æneadum genitrix*] His duobus verbis suum Carmen incipit Lucretius. *Idem.*

No. 34. 2 *Anteperire*] Sic apud

[redacted]

[redacted]

Poëtar. Catalectis Scaligeri pag. 204. Carmen est Porcii Licinii ipso melle dulcius, quod librarii nobis in fel commutaverunt. Proponam pristino lepori restitutum: 'Custodes ovium teneræque propaginis ignem Quæritis? ignem (ite huc) quæritis? ignis homo est. Si digito attigero, incendam sylvam simul omnem. Omne pecus, (flamma est) omnia, quæ video.' 'Flamma est' sc. homo, ut paulo ante, 'ignis homo est.'

9 *Agat irascor*] [Post verba Tollii in Var. Lect. citata, hæc sequuntur:] 'de cujus *facundia* nihil dicam. Lector ipse ex panegyrico judicet. Noster, quod *honorem* ejus attinet, Proconsulem Pacatum fuisse docet Præfat. in Lud. VII. Sapp.'

13 *Cedro*] Cedrus arboris genus in Creta, Africa, Syria, cujus oleo perunctæ res, ut etiam libri, nec tineam nec cariem sentiunt. Vitruvius, Plinius, et alii. *Vinetus.*

No. 35. 9 *Monumenta fatiscunt*] Lucretius lib. v. 'Denique non lapides vinci quoque cernis ab ævo? Non altas turres ruere, et putrescere saxa? Non delubra Deum, simulacraque fessa fatisci? Denique non monumenta virum dilapsa videmus Cedere proporro, subitoque senescere casu?' Seneca de Brevit. Vitæ: 'Honores, monumenta, quidquid aut decretis ambitio jussit, aut operibus exstruxit, cito subruitur: nibil non longa demolitur vetustas, et movet opus, quod consecravit.' Martial. lib. x. Ep. 2. 'Marmora Messalæ findit caprificus, et audax Dimidios Crispi mulio ridet equos.' Rutilius Numatianus Itiner. I. 'Sola manent interceptis vestigia muris. Ruderibus latis tecta sepulta jacent. Non indignemur mortalia corpora solvi: Cernimus exemplis oppida posse mori.' Petronius Pisaurensis: 'Pyramidas, &c. Concutiet sternetque dies: quoque altius exstat Quodque opus, hoc illud carpet edetque magis.' Plinius ad Trajanum: 'Arcus enim et statuas, aras etiam, templaque, demolitur et obscurat oblivio, negligit carpitque posteritas:' ubi frustra Lipsius, *demolitur ætas, obscurat oblivio*, corrigit. Ætas enim hic per vocabulum 'posteritatis' designatur. Dein et 'oblivio' monumenta illa 'demoliri' recte dicitur, quæ per oblivionem posterorum non reficientium aut instaurantium tempore consumuntur. Sic quoque τὸ 'carpit' explicandum est: præterea, sicut 'demoliri' et 'obscurare' oblivioni adscripsit, ita 'carpere' et 'negligere' posteritati, quæ per oblivionem et negligentiam opera ista non habet sarta tecta.

10 *Mors etiam saxis*] Ovidius lib. quincto Fastorum: 'Longa vetustas Destruit, et saxo longa senecta nocet.' 'Nihil enim est opere aut manu factum,' inquit Cicero pro Marcello, 'quod aliquando non conficiat et consumat vetustas.' Rutilius Numatianus poëta Gallus in itinerario de Populonia eversa: 'Non indignemur mortalia corpora solvi: Cernimus exemplis oppida posse mori.' Servius Sulpicius in litteris ad Ciceronem libro quincto Epistolarum. *Vinetus.*

No. 36. *De Sabina*] Potest Ausonius hæc scripsisse de Attusia Sabina conjuge sua: de qua est Carmen nonum Parentalium. *Vinetus.*

No. 37. 1 *Achæmenias*] Persicas, Parthicas, Babylonicas, Orientales. Achæmenidæ, auctore Herodoto, libro primo, sunt gens Persidis: unde Persarum reges oriundi, et Achæmenes dicti. Meminit Stephanus etiam, et Solinus. *Vinetus.*

2 *Pallis, Græcia*] Plura de palla Baifius in libro de Re vestiaria: in vetere glossario μίτρα, πέπλος, παραπέτασμα exponitur. *Idem.*

3 *Ausoniam*] Italam, Romanam. *Idem.*

No. 38. 1 *Licia qui texunt*] Loquitur de se Sabina. *Vinetus.*

2 *Licia*] Telas. Licium, quo stamen implicatur in tela. *Idem.*

Casta Minerva] Minerva, quæ et Pallas, non tantum armorum, sed etiam lanificii Dea est. Servius in extremum septimum Æneidos, et Ovidius in principio sexti Metamorphoseon. *Idem.*

No. 39. 1 *Hanc volo, &c.*] Expressum est hoc Epigramma ex illo Martialis lib. I. LVIII. 'Qualem, Flacce, velim, quæris, nolimve puellam? Nolo nimis facilem, difficilemque nimis. Illud, quod medium est, atque inter utrumque, probamus. Nec volo quod cruciat, nec volo quod satiat.' Ejusdem ferme sententiæ est illud Anthol. Gr. lib. VII. Μισῶ τὴν ἀφελῆ, μισῶ τὴν σώφρονα λίαν. Ἡ μὲν γὰρ βραδέως· ἡ δὲ θέλει ταχέως. Petronius: 'Nolo, quod cupio, statim tenere; Nec victoria mi placet parata.' Hinc Aristænetus lib. II. Ep. 1. Χαριέστατον οἶδα τὸ σμικρὸν ὑποκνίζειν τοὺς νέους. Τοῦτο γὰρ τῶν ἀφροδισίων προαναστέλλει τὸν κόρον, καὶ τὰς ἑταίρας ὑποδείκνυσιν ἀεὶ ποθεῖν τοῖς ἐρασταῖς. ἀλλ' εἰ τοῦτο γένοιτο πέρα τῆς χρείας, ἀποκάμνουσιν οἱ ποθοῦντες. Claudianus in Fescenninis, v. 108. 'Crescunt difficili gaudia jurgio; Accenditque magis, quæ refugit Venus. Quod flenti tuleris, plus sapit osculum.' Martialis lib. v. amatores quibus 'quicquid quæritur optimum videtur,' secundum Petronium. *Grævius.*

Femina, cui jungar] Guarini: *Era un nò, che volera: un atto misto Di rapina, e d'acquisto: Un negar si cortese, che bramava Quel, che negando dava.*

No. 40. 4 *Una potest ambos*] Non absimile est joco Philippi Macedonis, principis, meo judicio, maximi. Duo fratres erant in ejus satellitio, quorum alter Ἀμφότερος vocabatur segnis, et nullius precii; alter Ἑκάτερος, homo strenuus, et vigilax. Itaque dicebat Ἑκάτερον esse Ἀμφότερον, Ἀμφότερον autem οὐδέτερον. *Scaliger.*

No. 42. *De Pallade, et Venere armata*] Huic Epigrammati mire rudem addidere inscriptionem, *De Pallade volente certare armis cum Venere.* Non ferendam vero alii, *in Venerem Barbatam.* Quomodo et legendum Carmen ipsum, et Barbatam coluisse Venerem Lacedæmonios, affirmare non verentur, cum nullum sit tot mendaciis precium. Servius sane ac Macrobius Cypri, non Lacedæmone, barbatum Veneris simulachrum fuisse, scribunt, veste muliebri, cum sceptro, ac statura viri, quia eadem et mas putetur et fœmina. Consentaneum itaque fuerit, Epigramma ipsum authoris incerti et hoc loco in-

[redacted]

[redacted]

No. 43. 1 *Armatam*] Apud Lacedæmonios armata colebatur Venus, ut indicant Epigrammata Græca in eam libro quarto: quod et cognosces ex Plutarcho, Pausania, Quinctiliano, Lactantio libro primo Institutionum. Epigrammatum quoque Græcorum libro primo est Leonidæ in eam rem festivum Carmen. *Vinetus.*

4 *Vincere si possum nuda*] Indicaturus de forma Paris Deas videre nudas voluit. Vide Isocratis orationem de Helena, et Luciani dialogum, qui Κρίσις Θεῶν inscribitur. *Idem.*

No. 44. 1 *Emptis quod libris*] Acrem quondam scripsit invectivam Lucianus in hominem indoctum, librorum copiam cum superbia quadam comparantem. In eundem sensum Seneca de Tranq. c. 9. 'Apud desidiosissimos ergo videbis,' inquit, 'quidquid orationum historiarumque est, et tecto tenus exstructa loculamenta.'

3 *Hoc genere et chordas*] Horatius lib. II. serm. 3. 'Si quis emat citharas, emtas comportet in unum, Nec studio citharæ, nec Musæ deditus ulli; Si scalpra et formas non sutor: nautica vela Aversus mercaturis: delirus et amens Undique dicatur merito.'

No. 45. 1 *Rhetoris hæc Rufi*] Siquis Latina hæc in Rufum Rhetorem cum iis contulerit, quæ in Græcorum Epigrammatum libris in Rhetores scripta habentur ineptos et indoctos, hæc fere ex Græcis, vel contra etiam fortasse ex his facta Græca comperiet. Quis enim pro certo affirmet, Græca illa Ausonio visa, atque ideo ante ejus mortem scripta fuisse omnia? *Vinetus.*

Rhetoris hæc Rufi] Indisertum Rhetorem arbitrer alieno quam proprio nomine derisum voluisse, sumto Rufi nomine ex Græcis Epigrammatis, quæ sunt in Rhetores nonnullos: unde illud etiam, quod est in quendam Sextum, ὁ δὲ ῥήτωρ εἰκόνος εἰκών, in suum Rufum ita Noster transtulit: 'Ipse Rhetor est imago imaginis:' et illud: 'Elinguem quis te,' &c. *Accursius.*

Nil verius: ipsa] Scribebam: *statua est: nil verius: ipse, Ipse adeo linguam.* Ita enim videtur magis augere quod inceperat dicere. Nihil similius. Immo hæc statua ipse Rufus est. Nec enim linguam habet ac cerebrum, uti et Rufus, &c. *Gronovius.*

Nil verius: ipsa] Vossiani, *ipse est, Ipse adeo*, &c. distingue, *nil verius: ipsa est:* sic mox: 'Hæc Rufi tabula est: nil verius: ipse ubi Rufus?' non enim vult ipsam statuam esse Rufum, sed apprime similem; Rufumque fideliter expressum: unde et mox: 'Rhetoris hæc Rufi statua est: si saxea, Rufi:' ad quem versum vide quæ notavimus. Sunt autem et ea quæ sequuntur uno commate includenda; quinque quippe argumenta adfert, unde Rufi statuam esse conjiciat, vel probet, quod linguam non habeat, nec cerebrum, quod rigeat, surda sit, et non videat: quæ omnia *Rufi*, sive in Rufo sunt. Hinc et Epig. LI. et LII. primum et tertium horum argumentorum repetuntur.

4 *Mollior*] Mollis ad res et ad mores pertinet. Non autem mollis statua, sed mollis ipse Rhetor, id est, semivir, effeminatus, libidinosus. *Vinetus.*

No. 50. 2 *Celebri fit ut convivio*] Ms. *Celebri (ut fit) convivio.* Admonendum et illud, in eo derideri Rhetoris imperiti vecordiam, quod dum ostentator ipse artis bonum ominari nascituris putat, mortem imprudentia verborum statim natis imprecatus fuerat; nec id facile (quantum equidem meminerim) aliunde colligitur, quam ex disticho Palladæ Græci Auctoris, qui de gemellis filiæ cujusdam Grammatici statim mortuis, ait, eam peperisse filiolum masculinum, fœmininum, neutrum: Γραμματικοῦ θυγάτηρ ἔτεκεν φιλότητι μιγεῖσα Παιδίον ἀρσενικὸν, θηλυκὸν, οὐδέτερον. Quod

autem fere creditur, intelligendum, præter mares, fœminasque etiam Androgynos, partuum frequentia jam olim prodigia, ineptum videri potest. Illi enim non neutrum solum, sed (ut eleganter ait Naso) 'Nec duo sunt, sed forma duplex, nec fœmina dici, Nec puer ut possint; neutrumque, et utrumque videntur.' Notum est et ænigma, quo Hermaphroditum dici hominem, non hominem, plerique autumant. Cum tamen Plato in rep. de Eunucho dictum scribere non dubitarit. *Accursius.*

3 *Grammaticæ ut artis*] Haud absurdum est in Græcis Epigr. illud Lucillii in Rhetorem, Οὐ δέχεται Μάρκον, &c. in cujus ultimo versu Rufi cujusdam Grammatici solœcissantis mentio, qui an idem cum Rhetore nostro sit, haud liquido dixerim.

6 *Generisque neutri filios*] Hermaproditos, androgynos, neutrius generis filios, qui habeant utrumque sexum. Est Palladæ libro primo Epigrammatum Græcorum non dissimile distichon. De Genitivo neutri, apud Manes facit a Diogene, e Græco uno authoris incerti versum, comperies. In quibusdam haud ita magni ponderis diversum. Ut feliciorem plerumque metaphrasten Ausonium, quam interpretem fideliorem agnoscas. Ac fortasse quæ de consternendo pallio dissimularit, adeo interpretationem non arguant, ut etiam consultum magis authorem renuncient Inferorum legis. Ad quos æqua descendentium umbrarum sors, cuncta vitæ munera deserendi. *Accursius.*

Effigiem] Manes, umbram. *Vinetus.*

No. 55. 1 *Lais anus*] Platoni cuidam hæc Græca inscribuntur libro sexto Epigrammatum : *Ἡ σοβαρὸν γελάσασα καθ' Ἑλλάδος, ἡ τὸν ἐράστων Ἑσμὸν ἐπὶ προθύροις Λαῒς ἔχουσα νέων, Τῇ Παφίῃ τὸ κατόπτρον. ἐπεὶ τοίη μὲν ὁρᾶσθαι Οὐκ ἐθέλω· οἵη δ' ἦν πάρος, οὐ δύναμαι.* Fuit autem Lais meretrix nobilissima Corinthi, quum tamen Siciliam haberet patriam, auctoribus Strabone, Plutarcho in Nicia, Athenæo, et Solino. De illa Aulus Gellius libro primo, et Erasmus in proverbio,

mis Ephyreia Lais, E gemino ditata mari, cum serta refutat Canities, jam turba procax, noctisque recedit Ambitus, et raro pulsatur janua tactu, Seque reformidat speculo damnare senectus,' &c. *Refutat* autem, vel, ut Livineius, *refugit*, pro *refundit* in hisce versibus legendum esse, ex Horatii l. III. Od. XV. inquirenti patebit.

No. 56. 1 *Istos, tergemino*] Quod hic *tergeminum*, in Gripho *triplex ovum* appellatur, quod illos tres excluserit, Castorem, Pollucem, et Helenam. Ceterum sunt, qui dicant duo ova fuisse, ex quorum uno Castor et Helena, ex altero Pollux et Clytæmnestra, nati sunt. *Vinetus.*

3 *Hos genuit Nemesis, sed Leda*] Sic Hyginus, et Pausanias in Atticis. Nemesis enim ab Jove in olorem verso compressa, actis mensibus, ovum procreavit: quod Mercurius jussu Jovis auferens, detulit Spartam, et Ledæ sedenti projecit in gremium: quod ab illa fotum, Castorem, Pollucem, et Helenam edidit. Multi tamen hæc omnia soli Ledæ attribuunt. Quare Lactantius Firmianus eandem Nemesim et Ledam fuisse existimat, licet Isocrates in Helenæ encomio, et duas, et ab Jove cygno utramque compressam fuisse referat. Vide Lycophronis interpretem in versum octogesimum septimum Alexandræ. Siquis in hunc locum plura velit, legat caput octogesimum secundum Collectaneorum Jacobi Constantii Fanensis, et caput undevicesimum libri undecimi Cælii Rhodigini, et Lilii Gregorii syntagma quinctum de Diis. *Idem.*

No. 57. 1 *Vera Venus Gnidiam*] Sic Mss. Codices, non *fictam*, habent. Et sane eam toto orbe terrarum celeberrimam intelligit, quæ Gnidiorum fuit, Gnidumque nobilitavit. De qua Val. Max. et Plinius: quo igitur modo legi debeat, aliorum judicio statuendum relinquimus: apud Græcos eam pluribus celebratam comperimus, Gnidiamque nuncupatam. In quibus et Platonis est hexastichon, alterumque distichon εἰς ἄγαλμα Ἀφροδίτης ἐν Κνίδῳ. ex quibus suum apte ac concinniter confinxit Ausonius. *Accursius.*

Vera Venus fictam] Græca subjiciebat Tilii nostri codex, ex quibus sua Latina fecisse videretur Ausonius: Ἁ Κύπρις τὰν Κύπρω ἐνὶ Κνίδῳ εἶπεν ἰδοῦσα, Φεῦ, φεῦ, ποῦ γυμνὴν εἶδέ με Πραξιτέλης; Πραξιτέλης οὐκ εἶδεν, ἃ μὴ θέμις, ἀλλ' ὁ σίδηρος Ἔξυεν, οἵαν Ἄρης ἤθελε τὴν Παφίην. Quæ Græca quarto quidem libro Anthologiæ invenies, sed separata: prius distichon, solum, incerto auctore: alterum, tertium in hexasticho, quod Platoni inscribitur: quisquis hic sit Plato. De Praxitele statuario, et ejus Venere Plinius libro tricesimosexto, Arnobius sexto, Lucianus in dialogo, cui nomen Ἔρωτες. Est autem Cnidus urbs Asiæ. *Vinetus.*

No. 58. 1 *Bucula*] 'Myronem Eleutheris natum, et ipsum Ageladis discipulum, bucula nobilitavit, celebratis versibus laudata: quando alieno plerique ingenio magis, quam suo, commendantur.' Plinius libro tricesimo quarto: ubi clara Myronis hujus statuarii opera recenset. De eodem Petronius Arbiter: 'Myron, qui pæne hominum animas ferarumque ære comprehendit, non invenit hæredem.' Extant autem veterum poëtarum Epigrammata in Vaccam hanc non pauca libro quarto Epigrammatum Græcorum, quos multa cum laude Ausonius non solum imitatus est, sed etiam aliquando interpretatus feliciter, ut conferenti palam fiet. *Vinetus.*

2 *Nec factam me puto*] Epigrammatum in hanc buculam Græcorum quinctidecimi versus est. Ἁδὲ Μύρωνος χεὶρ οὐ πλάσεν, ἀλλ' ἔτεκεν. Huc ita alludunt Latina Ausonii, ut credam scripsisse non *factam* sed *fictam*. Est

autem naturæ gignere, fingere artis. *Vinetus.* Arridet emendatio in utroque versu: sed supra, 'Talem fecerunt,' &c.

No. 59. 2 *O virule*] Ita vett. Exempl. non *O vitula* præferunt: ut in Græcis Epigrammatibus *μόσχε*, et Ausonius nunquam aliter in cæteris, quam virili genere. Ut: 'Sic vitulus sitiens ubera nostra petit.' Item: 'Errasti attendens hæc ilia nostra, juvence.' Nec non: 'Me vitulus cernens immugiet.' *Accursius.*

No. 60. 1 *Dædale cur*] Dædalus faber insignis vaccam fecit ligneam, et veræ vaccæ corium induxit: in qua inclusa Pasiphaë uxor Minois regis Cretæ insulæ, a tauro fuit inita, cujus infandum amorem illi Venus objecerat. Hyginus, Philostratus in Iconibus, Servius in sextum Æneidos, idem Ausonius in Epigrammate sexagesimoquincto, et in Cupidine cruci affixo, et in Technopægnio. *Vinetus.* Explicant Palæphat. Cedren. Clem. Alex.

No. 61. 1 *Errasti*] Hoc ad Græcum Antipatri Sidonii proxime accedit, quod est, Μόσχε, *τί μοι λαγόνεσσι προσέρχεαι; τίπτε δὲ μυκᾷς; Ἁ τέχνα μαζοῖς οὐκ ἐνέθηκε γάλα. Vinetus.*

No. 62. 1 *Pasce greges*] Et hoc e Græco Anacreontis conversum non ambigo. Βουκόλε, τὰν ἀγέλαν πόῤῥω

[redacted]

laqueum:' et apud Virgilium in Georgicis: 'Terque novas circum felix eat hostia fruges, Omnis quam chorus, et socii comitentur ovantes.' Deest v. ea vox in Græcis versiculis, unde transtulit hoc ipsum Ausonius, et duo tantum præcedentia, non autem omnia, ut est qui in Propertio comminiscatur. Quanquam illud hemistichium, 'nec factam me puto, sed genitam:' ex hoc deductum videatur, Ἁ δὲ *Μύρωνος χεὶρ οὐ πλάσεν, ἀλλ' ἔτεκεν*: ut id interim prætercam, quod Ausonius ita cœpit: 'Bucula sum cælo genitoris facta Myronis.' Græcus vero author: *βοΐδιον εἰμι Μύρωνος. Accursius.*

No. 64. 4 *Nec sunt facta Dei mira*] Quæ Deus et natura facit, maxime quidem mira sunt, sed non miratur tamen vulgus, veluti, quas aves Deus ex elementis iisdem cum ceteris animantibus fecit, non miramur, quod volent: sed quod volaverit Columbæ simulachrum e ligno ab Archita Tarentino, ratione quadam, ait Gellius libro decimo, disciplinaque mechanica factum, hoc quis non admiretur? *Vinetus.*

No. 67. 3 *Me monebat*] *Minabat* pro *monebat* quum legendum censuisset Antonius Loiselus, assensit Jacobus Cujacius: probavitque in titulum septimumdecimum libri pri-

[redacted]

[redacted]

parvulus minabit eos.' Actorum Apostolicorum capite duodevicesimo: 'Et minavit eos a tribunali.' Appuleius septimo de Asino Aureo: 'Adveniunt illi, vinarios utres ferentes, et gregatim pecua comminantes:' et libro octavo: 'Rursum itaque me refercium sarcinis, planis gladiis minantes, perveniunt ad quandam nobilem civitatem.' *Vinetus*

Me minabat] Præter ea, quæ Vinetus notavit, paucula hæc, dum aliud ago, veterum exempla occurrerunt. Jeremias in Threnis, A. III. 'Me minavit et adduxit in tenebras.' Festus: 'Inigere pecus, agere, id est, minare.' Idem in 'Agere:' 'Agere, modo significat ante se pellere, id est, minare.' Gregor. Magnus l. I. Dialog. 'Qui jumenti perditi damna libenter ferens, patienter etiam flagellum, quod tenebat, diripientibus obtulit, dicens: Tollite ut habeatis, qualiter hoc jumentum minare valeatis.' Victor lib. II. Pers. Vandal. 'Omnisque illa beatorum turba expellentibus quibusdam Æthiopibus minata est foras.' et mox: 'a Mauris tamen crudeliter minabantur.' Paul. Diaconus lib. XVIII. Hist. Miscellæ: 'Imperator vero a se confirmatum exercitum contra Chosroën minabat:' ubi male vulgo, *conformatum*.

No. 69. *Quæ sexum*] In eum, qui muliebria patiebatur. *Vinetus*.

1 *Vallebanæ*] Epigramma hoc scriptum est μιμητικῶς in puerum muliebris patientiæ. Ex ejus enim persona dicitur, non ex persona Ausonii, cum de puero se feminam factam scribit. Ut ille contra in Epigrammate Luciani de Lupo factus dicitur hœdus. Patet igitur, quis hic loquatur: tum quare feminam se vocet: ejusmodi enim dicebantur virum quærere: et quem videbant mollem victu, vestitu, incessu, ore, et aliis, de eo dicebant, Hic virum quærit. Arbiter: 'Quærit se natura, nec invenit. Omnibus ergo Scorta placent: fractique enervi corpore gressus, Et laxi crines, et tot nova nomina vestis, Quæque virum quærunt.' Propterea et idem olim de Pompeio Magno dictum est, qui cum omni corporis habitu et incessu mollitiam præferret, hanc suspicionem effugere non potuit. Ita enim a Cinna poëta perstrictus fuit: 'Fasciola qui crura tegit, digito caput uno Scalpit: quid credas hunc sibi velle? virum.' Ita enim olim hoc elegantissimum distichum et supplevimus, et distinximus: cum vulgo apud Senecam legatur: *quid credas hunc sibi velle virum?* nullo sale, nulla venustate. Supplevimus autem ex Marcellini lib. XVII. cujus verba hæc sunt: 'Nec non etiam in Pompeium obtrectatores iniqui multa scrutantes, quum nihil, unde vituperari deberet, inveniretur, duo hæc observaverunt ludibriosa et irrita, quod genuino quodam more caput digito uno scalpebat: quodque aliquandiu tegendi ulceris causa deformis, fasciola candida crus colligabat: quorum alterum factitare, ut dissolutum, alterum, ut novarum rerum cupidum asserebant: nihil interesse oblatrantes argumento subfrigido, quam partem corporis redimeret Regiæ majestatis insigni.' Hactenus ille. In quibus fascia pertinet ad suspicionem affectati regni: scalpere autem caput uno digitulo, spectat ad hominis mollitiem, ut hoc diceretur, videlicet, eum virum velle, seu quærere. Sed, ut ingenue fatear, hoc distichon in veteri quadam scheda aliter suppletum vidi: 'Magnus, quem metuunt homines, digito caput uno Scalpit: quid credas hunc sibi velle? virum.' Quid potius eligamus, dubito. Hinc Marcellini, hinc membranæ veteris auctoritas diversum rapit. Judicent ergo eruditi. Dum interea non dubitemus, 'virum quærere,' aut *velle*, dictum fuisse in eos, quorum pudicitia ad eum modum, quem supra notamus, suspecta erat. *Scaliger*

Vallebanæ] Duo, ut puto, vocabula ex uno loci nomine mihi incogniti. Memoratur 'Vallis Ibana,' sive 'Vallaibana,' vallis quædam Hispaniæ, in rebus Ludovici pii Francorum regis. Est et in Alpibus 'Vallis bona,' cujus meminit Tscudus, sed hic quid divines? *Vinetus.*

4 *Pavaque de pavo*] Simile prodigium apud Aurelium Victorem de Cæss. invenias, inter omina labentis in deterius Imperii connumeratum: 'Nam cum Pontificum lege hostiæ mactarentur, suis utero maris feminarum genitalia apparuere.' Procuratum illud a Philippo Imperatore sanctione, qua virilis scorti usus removebatur. Verba Aurelii sunt: 'Quod frustratum iri existimans Imperator Philippus, tum quia forte præteriens filii similem promerito ephebum conspexerat, usum virilis scorti removendum honestissime consultavit.' Ἀντὶ τοῦ 'promerito ephebum,' lego, *meritorium ephebum*, vel, *stupro merentem ephebum:* quomodo alii correxerint, respicere non licuit.

7 *Hebetis*] Obstupescitis: attoniti estis. Sic Parisiense Iodoci Badii exemplar: alia, *habetis.* Vinetus. Licentius ad Augustinum: 'Arcanum Varronis iter scrutando profundi Mens hebet.' Prudentius in hon. [redacted]

quam in secundo Vossiano repperi: *Cænida convertit.* Cænis enim appellata, dum puella fuit; et ita Noster in Cupidine cruci affixo. vid. et A. Gellium lib. IX. c. 4.

Proles Saturnia Consus] Filius Saturni Neptunus. Consum enim quidam Neptunum dicunt, ut hic Ausonius, ut in Carmine de Athenis, et in Technopægnio. Alii alium faciunt, consilii Deum, ut idem Ausonius in Carmine de feriis Romanis. *Vinetus.*

11 *Vidit semivirum fons Salm.*] Obtinuit enim apud Veteres, eum fontem effeminatos et cinædos efficere, unde locus fabulæ de Hermaphrodito: unde etiam Ennius videtur dixisse 'Salmacida spolia.' Ita enim legendum, non disjunctim, *Salmaci da spolia*, hoc est, victoria non virilis, sed effeminata. At vetus Glossarium, Salmacidum interpretatur ἁλμυρόν. Ita apud Ennium 'Salmacida spolia,' non θήλυκα, sed εὐθήρατα erunt. Nam captura marina facilior est, quam venatio: ideoque ἀναίμακτος: cum tamen venatio ferarum neque ἀναίμακτος neque ἀκίνδυνος sit. Ita igitur Ennius interpretandus erit. *Scaliger.*

Fons Salmacis] Est Salmacis Nympha, et fons Cariæ, de quo Vitruvius libro secundo tibi legendus. *Vinetus.*

Hermaphroditum] Fuit hic Mercu- [redacted]

gendus autem L. Cossicius, quem in Africa vidisse Plinius se asserit, mutatum in marem nuptiarum die. Ausonius festive androgynum eum nominat, Græcam nominis etymologiam ita mutuatus, tanquam vocari androgynum conveniat, et qui mixto duplicique sexu sit, et qui ex una specie in aliam transierit. Velut etiam (quod de Armesia, f. *Artemisia*, est traditum) quæ animum virilem gereret, androgynen vocabant. Omnem vero novitatis hujus admirationem quispiam Campanus nuper sustulit, Romam profectus, ut conjugali sacramento solutum alteram uxorem ducere, sine ullo violatæ religionis metu, fas foret. Prior enim ejus uxor primo lecti fœdere, primoque congressu repente mas extitit, concretisque genitalibus, quæ latuerant, virilia, patefacto aditu apparuerunt. Plinii denique verba libro VII. hæc sunt: 'Ex fœminis mutari in mares, non est fabulosum. Invenimus in Annalibus P. Licinio Crasso. C. Cass. Longino Coss. Cassimi puerum factum ex virgine sub parentibus, jussuque aruspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Mutianus prodidit, visum a se Argis Aristontem, cui nomen Arestusæ fuisset, nupsisse etiam, mox barbam et virilitatem provenisse, uxoremque duxisse. Ejusdem sortis et Smyrnæ puerum a se visum. Ipse in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die, L. Cossicium civem Tisdritanum.' Admonendum tam et hoc veruntamen, quam priora quoque, visum est, apud A. Gellium 'C. Asinii' non 'Cassimi,' 'Arescontem' non 'Aristontem,' 'Arescusæ,' non 'Arestusæ,' Plinii ejusdem verba referentem, scriptum esse libro VIII. noctium. Quo apparet, in alterutro mendum esse oportere. Quin et illa quoque apud eundem Gellium verba sunt, quæ dictis de Cossicio subseribuntur: 'Vivebatque cum proderem hæc.' Quæ mediusfidius in Plinianis ullis codicibus nequaquam lecta sunt hactenus. Unde tamen detracta potius, ac prætermissa crediderim, quam Gellio imprudenter addita. Nihil denique ipse demuto, locum indico. Illud quoque non intempestive signavero; Epigramma ipsum (præsertim cum inscriptione deficiat) in catamitum quempiam, pudentissimo argumenti velamine confingi potuisse. Tranquillus de Nerone: 'Puerum Sporum exectis testibus etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus est.' *Accursius.*

Vidit nubentem Plinius Androgynum] Ut etiam minus fabulosum credas, Amatus Lusitanus et Ambrosius Paræus nostra ætate similia se prodigia in Hispania et Gallia vidisse, memoriæ prodiderunt. Plinius libro septimo: 'Gignuntur et utriusque sexus, quos Hermaphroditos vocamus, olim Androgynos vocatos, et in prodigiis habitos, nunc vero in deliciis:' hæc ille. Ausonius autem appellat 'Androgynum,' quem Plinius e femina in marem mutatum vidisse se refert. De Androgynis et Hermaphroditis multa in Symposio Platonis, et apud Cælium Rhodiginum. *Vinetus.*

14 *Unus epheborum virgo repente fuit*] Ἀμφίβολον hoc, utrum scilicet mas in feminam mutatus sit, an contra femina in marem, quanquam solas sic mutari feminas audio. Nam de Tiresia fabula est; quam refert Ovidius III. Metamorphoseon. Genitales enim partes eædem quidem sunt in utroque sexu, ut scribit etiam Galenus libro secundo de Semine, et quartodecimo de usu partium, in viro foris illæ extantes, in femina intus latentes: sed spatium in virili corpore non est, in quod, quæ foris erant, se condere queant: in femineo quæ latebant, si forte foras erumpere libet, abunde spatii est, in quod prodeant. Fit autem hæc muliebrium partium inversio, quo tempore jam primum viro maturæ sunt, et cum appetunt. *Vinetus.*

Unus epheborum] Exempla plura, et rationem, qua id fieri possit, suppe-

ditabit, si adire voles, Licetus l. XI. c. 4. de Monstris. et Ludov. Viv. ad D. Augustinum l. III. Civ. Dei c. 31.

16 *Ecce ego sum*] Catamitum, Pathicumve quempiam hæc de se dicere, finxit Ausonius. *Vinetus.*

No. 70. 1 *Pythagora Euphorbi*] Pythagoram Philosophum Poëta alloquitur: qui, quum animorum immortalitatem doceret, eos prioribus mortuis corporibus in alia commigrare dicebat. Lege orationem ejus libro quinctodecimo Metamorphoseon Ovidii, et Vitam apud Laërtium. Euphorbus autem Panthoi et Phrontidis filius fuit; quem Menelaus interfecit, Iliados septimodecimo. Pythagoras autem se Trojano bello Euphorbum illum fuisse asserebat: quo mortuo, animam in Hermotimi corpus transiisse ab illo in Pyrrhum, Delium piscatorem: a Pyrrho in Pythagoram. Hinc 'renatum' invenies dictum Ausonio Pythagoram in versu tricesimooctavo Epistolæ vicesimæ quinctæ. *Vinetus.*

Pythagora Euphorbi] Hinc facete eum Horat. 'Panthoidem' appellat, lib. I. Od. XXVIII. 'Et Jovis arcanis Minos admissus: habentque Tartara Panthoiden, iterum Orco Demissum,' &c. apud Maximum Tyrium Dissert. XXVIII. non inelegans de ejus clypei agnitione narratio. De μετεμψυχώσει vero præter Laërtium aliqua etiam Seneca Epist. CVIII. Lucianus in Vit. Auctione, et in Gallo Tibull. in fine Eleg. 1. lib. IV. A. Gell. lib. IV. c. 11. Tertullian. Apol. c. XLVII. Persius Sat. VI. hausit autem Pythagoras ab Ægyptiis, teste Diodoro; de quibus Herod. lib. II. c. 123. Druidum vero opinionem Cæsar refert lib. VI. Bell. Gall. et Val. Maximus l. II. c. 6.

2 *Das reduces animas*] Serv. ad l. III. Æneid. v. 67. 'Plato perpetuam dicit animam, et ad diversa corpora transitum facere statim, pro meritis vitæ prioris. Pythagoras vero non μετεμψύχωσιν, sed παλιγγενεσίαν esse dicit, hoc est, redire, sed post tempus.' V. Cedren. p. 310. Carm. LXX. Num. 2. Sarisberiensem p. 444. D. Augustinum de Civ. Dei, lib. X. cap. 30. quæ et Origenis fuit opinio; Photius Epist. I. Vide Huetii viri eruditissimi Origeniana, lib. II. Quæst. IX.

5 *Feles pullaria*] Quare feles pullaria dictus sit Marcus in Epigrammate Ausoniano, jam a doctissimo Turnebo notatum esse video. Ejusmodi feles pullarias Græci παιδοπίπας vocarunt. Glossarium: 'pullarius, ὁ παιδεραστής.' Ad id exemplum Plautus 'pullarium' dextram manum vocavit, quam Aristophanes dixisset σκιμαλίστριαν. Non puto autem fuisse verum nomen hujus impuri hominis, Marcum: sed ita dictum, ut Jurisconsultis Sejum, Mævium, Titium: Philosophis, Θέωνα, Δίωνα. Nam ea nomina ponuntur, quoties τὸν δεῖνα, et personam, qua de agitur, intelligunt. Quod sane et in Marco hic facit. Nam et hominem vocis absonæ Marcum vocat, hoc est, τὸν δεῖνα, et δυσέρωτα eodem nomine quoque designat. Sed et *pulliprema*, non *pullipremo*, legendum. Neque est id, quod vult Turnebus: significat enim potius puerorum plagiarium. Nam 'premere' id significat, hoc est, ἀποκρύπτειν, furto clepere. Quod dicitur in fine, ipsum scarabeum fore, hanc sententiam habet duplicem: καὶ ὅτι ἐν τῷ κυλίειν τὴν κόπρον ἀποσπερμαίνει. καὶ ὅτι κάνθαρος θῆλυς οὐ γίνεται, ἀλλὰ πάντες ἄρσενες γεννῶνται. *Scaliger.*

Felles pullaria] Festus: 'Antiqui puerum, quem quis amabat, pullum ejus dicebant.'

6 *Puerile secus*] Ita lege: nam male hodie, *puerile decus.* 'Secus' enim dictum, ut alibi: 'Juno, Ceres, et Vesta, secus muliebre, sorores.' et, 'Nota Caledoniis nuribus muliebre secus Strix.' *Scaliger.*

Puerile secus] Ita papyraceus, et, ut Scaliger judicavit, recte. Nec ego aliter sentio, quamvis vir Incomparabilis vulgatam præferat, quod sexus,

non ætates distinguat, ut sit alius puerilis, alius virilis sexus. At hic puerilis sexus puellari opponitur; et sane sermo est, de re viris male conveniente, sed pueris peræque ac puellis tunc temporis familiari.

9 *Non taurus*] Hæc sunt respondentis Pythagoræ: qui dicit apud Ovidium, quod 'Quoslibet occupat artus Spiritus: eque feris humana in corpora transit, Inque feras noster, nec tempore deperit ullo.' *Vinetus.*

Non hippocamelus] De equis et camelis multa apud Aristotelem, Plinium, Ælianum: sed de animalibus, quæ ex utrisque fiant, nihil memini legere. Ἵππος tamen non semper equum significat in compositione, sed interdum ἐπίτασιν tantum, hoc est, intentionem, quemadmodum et in Epigramma centesimum et octavum diximus: ut 'hippocamelus' sit magnus aliquis camelus e montibus Caspiis. *Vinetus.*

7 *Sed scarabæus erit*] Id est, scarabæorum more tunc in stercore et oleto volutabitur. *Brodæus Miscell. lib.* I. *c.* 6. Ælianus l. x. de Animal. cap. 15. Ὁ κάνθαρος ἄθηλυ ζῶόν ἐστι· σπείρει δὲ εἰς τὴν σφαῖραν, ἣν κυλίει· ὀκτὼ δὲ καὶ εἴκοσι ἡμερῶν τοῦτο δράσας, καὶ θάλψας αὐτὴν, εἶτα μὲν τῇ ἐπὶ ταύταις προάγει τὸν νεοττόν. Vide Plinium l. XI. c. 28. et XXX. c. 3. Horapollinem l. I. c. 10. Eustath. in Hexaëmeron.

No. 71. 1 *Cœtus*] Coitus, concubitus, ut in Epigr. CVI. et in extrema Ephemeride, et in Tertulliani Apologetico: 'Neque eas cœtus incesti sanguinis agnoscat.' Lucretius in extremo libro primo: 'Omne genus motus, et cœtus.' et, 'ut possint a cœtu libera ferri:' et libro tertio, 'Nil tamen hoc ad nos, qui cœtu conjugioque corporis atque animæ consistimus uniter apti.' *Vinetus.*

4 *Quam toga*] Toga Romanorum vestis fuit, unde togatæ comœdiæ dictæ: quarum scenica atque argumenta Latina essent, ut scribit Terentii interpres. Tales edidisse Afranium Poëtam vel ex Varronis fragmento de lingua Latina disces. De eo Quinctilianus libro decimo, 'Togatis,' inquit, 'excellit Afranius: utinamque non inquinasset argumenta puerorum fœdis amoribus, mores suos fassus.' *Vinet.*

No. 72. *De Achilla*] Epigramma hoc in Achillæ cujusdam impietatem, qui calvariam jacentem in triviis lapide perculerit, cum sit Græci argumenti, totidemque versibus, tam plerunque varia additaque continet, tam multa præterit, ut non satis constet, an hoc ipso magis celebre perhibeatur, quod Latinum ferme incipit videri jam totum, aut certe minus, quod dum alieni juris esse studet, nationis suæ generisque, neque gratiam omnino, neque numeros custodit. Primum enim Græcus author (quisquis ille fuit) percussoris nomen tacuit, quod Ausonius sane hic explicat, tacita (ni fallor) detestatione ejus, qui sacrum illud Magni caput percussit. Prætermittit autem Noster, inter cætera, quod imaginem communem vitæ defunctum ille vocat, lapidem vero mutum specie, sed justitiam spirantem ipsam, quippe qui resiliens jaculatorem mutilarit, oculorumque lumine orbarit. Nam extremos versus ejus duos non tam prætermittit, quam commutat integros. Quibus continetur, puniri percussorem rursus apud inferos, suamque ipsius manus certam (quæ videlicet destinatum attigerit) temeritatem flere. Addit porro, alios flevisse. Addit et novissimos, ut dixi, versus. Sed jam operæ videtur esse, Græcum ipsum Epigramma, quale sit, oculis conferre volentium subjecisse: Κρανίον ἐν τριόδοισι κατοιχομένου τις ἐσαθρῶν, Εἰκόνα τὴν κοινὴν οὐκ ἐδάκρυσε βίου. Δεξιτερὴν δ' ἔρριψεν ἐπὶ χθόνα, καὶ λίθον ἧκε, Κωφὸν μὲν δοκέοντ', ἀλλὰ πνέοντα δίκης. Ὀστέον ὡς γὰρ ἔπληξεν, ἀφήλατο, καὶ τὸν ἀφέντα Πήρωσε, γλυκεροῦ βλέμματος ὀρφανίσαις. Καὶ πάλιν

[redacted]

εἰς Ἀΐδην ἐκολάζετο. τὴν ἰδίην δὲ Ἔκλαυσεν χειρῶν εὔστοχον ἀφροσύνην. *Accursius.*

1 *In triviis*] In quæ Veteres omnia olim purgamenta et sordes abjecerunt. Vide Casaubonum ad Athenæum lib. VI. c. 16. et Auctorem Collectan. ad Petronium, edition. Patisson. p. 73.

2 *Testa hominis*] Testæ, vasa ex argilla: a quorum similitudine, quæ Latinis calvaria, Græcis κρανίον dicitur, 'testam hominis' Ausonius vocat, sicut et nos hodie Galloromani: sed qui 'testam' vulgo vocitemus, non nudum humani capitis ossum, sed totum ipsum plenum, et suis partibus absolutum cujusque caput animalis. *Vinetus.*

8 *Auctorem ut feriant*] Prudent. in pass. Laurentii: 'Hostile sed ferrum retro Torquens in auctorem tulit.'

No. 73. *De Alcone*] Qui est, *de Alcone*, titulus in nostro, fieri debere credimus: *De Alconte*, proportione Latina, velut sit a recto circumflexo Ἀλκῶν, quodque id nomen medici est apud Martialem: 'Alconti, Dasioque, Symmachoque:' ut medicum sui temporis quempiam alieno quam proprio nomine appellari maluisse, arbitrandum sit. Velut etiam fecisse dixerim, in Rhetorem. *Accursius.*

De Alcone medico] Lucillius secundo Epigrammatum Græcorum libro, quisquis hic sit: Ἑρμογένη τὸν ἰατρὸν ὁ ἀστρολόγος Διόφαντος Εἶπε μόνους ζωῆς ἐννέα μῆνας ἔχειν. Κἀκεῖνος γελάσας, Τί μὲν ὁ χρόνος ἐννέα μηνῶν, Φησὶ, λέγει; σὺ νόει. Τἀμὰ δὲ σύντομά σοι. Εἶπε, καὶ ἐκτείνας μόνον ἥψατο, καὶ Διόφαντος Ἄλλον ἀπελπίζων αὐτὸς ἀπεσκάρισε. *Vinetus.*

5 *Tractavitque manum*] Tale quiddam in vett. Poëtt. Catalectis invenias, in Editione a Scaligero adornata pag. 194. Virgilio adscriptum: 'Arretine calix mensis decorate paternis, Ante manum medici quam bene sanus eras?' Ita legebam: quum Pithœum postea, *Ante manus medici*, in sua editione correxisse vidi, quod idem. Vid. Martial. lib. V. Epig. IX.

No. 74. *De signo Jovis*] Epigramma in Alconem Medicum (quem ut ab incivili manus tractatione derideat, hyperbolice cum hesterno die Jovis statuam tetigerit, insequenti postea extulisse dicit) ex disticho Lucillii, mutato tantum Marci nomine in Alconem, transtulit: quod et ascribere libuit, quando tota vis (velut arbitror) in ambiguitate consistat vocis ἐκφέρεται, id est, 'effertur:' quod est et ad sepulturam: Τοῦ λιθίνου Διὸς ἐχθὲς ὁ κλινικὸς ἥψατο Μάρκος, Καὶ λίθος ὢν, καὶ Ζεὺς, σήμερον ἐκφέρεται. *Accursius.*

4 *Effertur*] Scilicet Juppiter, seu statua Jovis, et non Alcon. Efferri autem dicuntur mortui, cadavera, funera. Aliæ a ferendo verbi significationes notæ sunt; in quo consistit hujus loci jocus. *Vinetus.*

Effertur] Ludit in voce ambigua: nam et efferri homines dicuntur, quorum corpora sepulturæ mandantur, (ut apud Terent. Andr. I. 1. 'Effertur: imus.') et efferuntur statuæ, quum ex uno in alium locum transferuntur: ut apud Lampridium in Elegabalo: 'Lapides, qui Divi dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ, ex adyto suo, in quo eos Orestes posuerat, efferre voluit.' Eadem est argutia Plautini joci in Amphitruone, a. I. sc. 1. 'M. Faciam ego hodie te superbum, ni hinc abis. S. quonam modo? M. Efferere, non abibis, si ego fustem sumsero.' Ex hoc Plautino etiam ille alter illustratur jocus, quem Gracchus apud A. Gellium refert lib. X. c. 3. 'His annis paucis,' inquit, 'ex Asia missus est, qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adolescens pro legato. Is in lectica ferebatur: ei obviam bubulcus de plebe Venusina advenit: et per jocum, cum ignoraret qui ferretur, rogavit, num mortuum ferrent.' Lectica enim tam

[redacted]

mortui quam vivi divites efferebantu.

No. 75. 4 *Dico ego et omnes*] Non solum ego, sed etiam quicunque te norunt. *Vinetus.*

No. 76. 1 *Latratus catulorum*] D. Augustinus lib. XIV. Civ. D. cap. 23. 'Quidam voces avium, pecorumque, et aliorum quorumlibet hominum sic imitantur atque exprimunt, ut nisi videantur, discerni non possint.' Artifex in ea re fuit Helena: sic ut Echus inde cognomen tulerit. Vide Phot. pag. 480. Biblioth. et Phædrum de scurra.

6 *Bellua talis*] Eleganter. Nam 'talis' ibi est *ὁ δεῖνα*, ut Jurisconsulti, 'illæ Kalendæ et illæ,' *ἡ δεῖνα νουμηνία*. Ergo 'talis' et 'ille,' *ὁ δεῖνα* apud Latinos. *Scaliger.*

Bellua talis habet] Valde mihi venusta videtur conjectura, quæ sub manum nascitur: *Et quicquid vocum bellua et ales habent*, vel *habet*. Enumeraverat aliquot bestias quadrupedes, pauciores vero aves; sed ne loquentia molestus esset, unico cæterarum omnium tam quadrupedum quam volatilium voces versiculo compendifacit. Simile mendum Euphorbii, seu, ut scriptus liber, Vomani, ut alii volunt, Cælii symposii, Carmen de Livore obsedit, in quo hæc reperias: 'Intentans animo faces Erynnys Letalis, Tityique vultur intus, Qui semper lacerat comestque mentem.' Scribe et distingue ex scripto Codice: *Intentans animo faces Erinnys. Et ales, Tityique vultur intus, Qui*, &c. et paulo ante, 'Atque hæc porrigat et ministret Hebe.' Id est, et insuper: male vulgo, *Aut hæc porrigat*, &c.

No. 77. 1 *Deformem quidam*] Plane ad mentem Tibulli, qui sic lib. IV. ad Amicam: 'Atque utinam posses uni mihi bella videri: Displiceas aliis; sic ego tutus ero. Nil opus invidia est: procul absit gloria vulgi.' &c. *Gonzales de Salas.*

Crispa: ego istud] Non aliter edidit Ugolettus: itidem neglecta est elisio ab Ausonio in Carmin. ad Syagrium: 'Hic ego Ausonius:' inprimis id ab Antiquis factitatum, ubi major præcedit distinctio: cujusce rei exempla passim occurrunt.

No. 79. 1 *Hoc quod*] Videtur expressum hoc Epigr. ex argumento Lucilliani quidem Epigrammatis: *Ἢ τὸ φιλεῖν περίγραψον Ἔρως ὅλον, ἢ τὸ φιλεῖσθαι Πρόσθες, ἵν' ἢ λύσῃς τὸν πόθον, ἢ κεράσῃς.* *Accursius.*

Hoc quod amare] Guarini: *Amor Fammi giustizia: o cresci in lui la fede, Se 'n me cresci il desio. O spegni co 'l suo fuoco il fuoco mio.*

2 *Aut neutrum*] In Catalectis vett. Poëtt. 'Julia sola potes nostras exstinguere flammas, Non nive, non glacie: sed potes igne pari.' Suavius Petroniana Chrysis: 'Teneo te,' inquit, 'qualem speraveram: tu desiderium, tu voluptas mea: numquam finies hunc ignem, nisi sanguine exstinxeris.' Musæus: *Ἄνδρα γὰρ αἰολόμητις ἔρως βελέεσσι δαμάζει, Καὶ πάλιν ἀνέρος ἕλκος ἀκέσσεται.*

No. 80. 1 *Aut restingue ignem*] Haud aliter Tibullus lib. IV. Eleg. IV. 'Nec sis nunc injusta Venus, vel serviat æque Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva. Sed potius valida teneamur uterque catena.' &c. Martial. lib. VI. Epig. XXI. 'Dixit, et arcano percussit pectora loro. Plaga juvat: sed tu jam Dea cæde duos.'

2 *Vel fac utrimque parem*] Videtur legendum *face* ratione syllabæ: ut est illud, 'Phylli face exspectes Demophoonta tuum.' *Accursius.*

Vel face utrumque parem] Lege, *utrimque parem.* Grævius.

No. 81. *Ex Græco*] Lemma hujus Epigrammatis expressum est in membranis: Ex Græco, *Ἀρχὴ τὸ ἥμισυ παντός.* *Scaliger.*

Ex Græco] Legitur hemistichium heroicum in Luciani vita: *Ἀρχὴ δέ τοι ἥμισυ παντός.* quod Hesiodo videtur attribuere in Hermotimo, his verbis: *Ἀλλὰ τήν γε ἀρχὴν ὁ αὐτὸς οὐ-*

τος ἥμισυ τοῦ παντὸς ἔφη εἶναι. Idem Ausonius in Technopægnio: 'Incipe: quidquid agas, pro toto est prima operis pars.' Caius in digestis Justiniani de origine Juris: 'Et certe cujusque rei potissima pars, principium est.' Meminit veteris proverbii Polybius libro quincto: sed vide apud Erasmum Adagium, 'Principium dimidium totius.' *Vinetus.*

1 *Incipe*] Horatius: 'dimidium facti, qui cœpit, habet.' Guarini nel Pastor Fido: *Chi ben comincia, ha la metà de l'opra:* contra Euripides: κακῆς ἀπ' ἀρχῆς γίνεται τέλος κακόν.

Supersit Dimidium] Melius quod in optimo libro, *superfit Dimidium*, id est, superest. sic in Professorib. Burdigal. cap. 1. in veteri libro: 'Sive aliquid post fata extrema superfit.' Plautus Pseudolo act. I. sc. 5. 'Si quid superfit, vicinos impertio.' Columell. lib. XII. 'Tum separare, quæ consumenda sunt, et quæ superfieri possunt, custodire, ne sumtus annuus menstruus fiat.' Sic Virgilius 'defit' pro 'deest' usurpavit: 'Lac mihi non æstate novum, non frigore defit.'

No. 82. 1 *Gratia quæ tarda est, &c.*] Tam hoc, quam quod sequitur, ex Luciano transtulit Poëta Ausonius: Ὠκεῖαι χάριτες, γλυκερώτεραι· ἢν δὲ βραδύνῃ, Πᾶσα χάρις κενὴ, μηδὲ λέγοιτο χάρις. [redacted]

lesio editis, p. 158.

No. 84. *In saltatorem*] Duo Epigrammata in unum redegit librariorum imperitia, Græci argumenti ea esse ignorantium, Lucillii alterum, Palladæ alterum. Referenda et hic, tum quod sine iis Latina non est promptum intelligere: tum præcipue, quod quædam adeo diversa abeunt, ut sit luce clarius, nostrum in plerisque non interpretis, sed imitatoris, conditorisque perfunctum munere: multaque aut aptius comminuisse, aut locupletius communivisse, excoluisseque, et velut coloribus aspersisse. Etenim illud: 'Spectator verum crediderit Nioben,' ex alio ejusdem Lucillii expressit, Νιόβης ἔμπνοον ἀρχέτυπον. Et illud Μέμφις ὁ σιμὸς, an ipse verterit, 'simius idem,' vel errore depravatum fuerit exscribentium, non facile dixerim. Ipsa Epigrammata sunt hæc: Λουκιλλίου. Πάντα καθ' ἱστορίην ὀρχούμενος, ἓν τὸ μέγιστον Τῶν ἔργων παριδὼν, ἠνίασας μεγάλως. Τὴν μὲν γὰρ Νιόβην ὀρχούμενος, ὡς λίθος ἕστης. Καὶ πάλιν ὢν Καπανεὺς, ἐξαπίνης ἔπεσες. Ἀλλ' ἐπὶ τῆς Κανάκης ἀφυῶς, ὅτι καὶ ξίφος ἦν σοι, Καὶ ζῶν ἐξῆλθες, τοῦτο παρ' ἱστορίην. Παλλαδᾶ. Δάφνην καὶ Νιόβην ὠρχήσατο Μέμφις ὁ σιμὸς, Ὡς ξύλινος Δάφνην, ὡς λίθινος Νιόβην. *Accursius.* [redacted]

ut extinctus fulmine diceretur.' *Idem.*

3 *Saltavit saxeus*] Saxum potius, quam saltator, ille videbatur. Ex sex autem Epigrammatis hujus versibus, duo hi soli fuerunt in vetere libro, cum hoc titulo, DE EO QVI CAPANEVM SALTANS RVIT. *Idem.*

5 *In Canace*] Fuit hæc Æoli ventorum regis filia: quæ misso a patre gladio se interfecit, quum ex suis et fratris nefandis amoribus concubituque natus puer esset. *Idem.*

No. 85. *De eodem*] Palladæ Græcum est libro secundo Anthologiæ: *Δάφνην καὶ Νιόβην ὠρχήσατο Μέμφις ὁ σιμὸς, Ὡς ξύλινος Δάφνην, ὡς λίθινος Νιόβην.* Sicui autem compertum foret, quibus temporibus vixerit Palladas ille, poëta Epigrammatographus, scire fortasse posset, uter hujus argumenti auctor sit: atque hoc ego aliquando quæsivi. Lilii Ferrariensis tabulæ illæ profecto quid sibi velint, non video, quæ Palladam medium inter Archimelum et Theætetum pingunt. Nam est libro secundo Anthologiæ Palladæ Epigramma, quod fertur scripsisse in Themistium philosophum, Valentiniano Valenteque fratre Cæsaribus, Constantinopoli præfectum: quod si ita habet, certe Palladas Ausonio ætate non præstiterit. Quare, qui Ausonium Græcorum semper interpretem fuisse existimant, videant, quam tuto id credere possint. *Vinetus.*

No. 89. 1 *Cui vivit adultera conjux*] Mallem *cui nubit adultera conjux.* Firmat sequens Epigramma, quod ad eundem pertinet Jurisconsultum, quem a libidine alios carpendi Zoilum dicit. *Grævius.*

2 *Pappia lex*] Hanc tulit Augustus, sed ab iis, qui tum Consules erant, Pappia et Poppæa dicta est, inquit Dio libro quinquagesimo sexto. Ea fuit de maritandis ordinibus: ut loquitur Suetonius. Continebat enim, ut si vir et uxor filios non haberent, quod alter alteri reliquisset, decima pars fisco addiceretur. Placuit itaque ea lex Jurisconsulto illi, qui uxoris adulteriis favere videbatur: quod ex illa nullo non modo prolem susciperet. Andreas Alciatus locum hunc exponit libri tertii capite tertio Dispunctionum, et *παρέργων* decimi capite sexto. *Vinetus.*

Julia displicuit] Et hujus legis plura capita: quorum uno plectebantur, ut lenocinii rei, mariti, qui adulteras uxores in matrimonio retinebant. Tulit Divus Augustus, inquit Ulpianus quadragesimo octavo digestorum, Titulo quincto. *Vinetus.*

4 *Scatiniam metuens*] Lauronia apud Juvenalem libro primo: 'Quod si vexantur leges ac jura, citari Ante omnes debet Scatinia. Respice primum, Et scrutare viros: faciunt hi plura.' Sic Ausonius corripuit secundam syllabam nominis 'Scatiniæ,' quam Juvenalis produxerat. Primæ vero sunt qui addunt N, sicut 'Caius Scantinius' scribitur apud Valerium Maximum libro sexto de pudicitia, et ut 'Publius Scantinius' appellatur Pomponio Læto, is, qui legem tulit, homo mihi parum notus. Quin ne lex illa quidem quæ fuerit, satis nobis compertum. Quidam dixerunt in pædicones, et puerorum concubitores latam, quos Beroaldus Suetonii interpres in Domitiano reprehendit: asseritque in eos latam, qui muliebria paterentur, hoc est, qui viri viris se, feminarum more, prostituerent. *Vinetus.*

Scantiniam metuens] Prudentius in Agone Romani: 'Sed credo magni limen amplectar Jovis: Qui si citetur legibus vestris reus, Laqueis minacis implicatus Juliæ, Luet severam victus et Scantiniam.' Plura de legibus hisce ad hoc Ausonii Epigramma Ant. Augustinus in lege Titia, et Nic. Loënsis l. IX. c. 9.

Non metuit Titiam] Titiam legem Caius Titius tulit: 'qua cavetur antiquitus,' inquit Cornelius Tacitus libro undecimo historiæ Augustæ, 'ne quis ob causam orandam pecuniam

[redacted]

donumve acciperet.' Illam hic Jurisconsultus timere non debuit. Quis enim unquam sanæ mentis rudem prorsus et imperitum hunc adeat, roget, ut causam oret, et muneretur? Quem autem non satis viderat Alciatus elegantissimi Epigrammatis nasum, pulchre detexit Pithœus in capite secundo libri secundi Adversariorum. *Vinetus.*

Non metuit Titiam] Recte; nam non suo tantum nomine, sed et pro commodata uxoris opera munera recipere in animum induxerat; ut sic duplici quasi adulterio ditesceret, uxoris leno, et sui corporis prostitutor.

No. 90. 3 *Lena juventa tenet*] Longe præstat, quod in papyraceo codice, *lena juventa dabit.* Est enim sermo quod mox futurum est.

No. 91. 1 *Hanc amo*] Eadem Horatiani Cyri conditio: 'Insignem tenui fronte Lycorida Cyri torret amor: Cyrus in asperam Declinat Pholoën: sed prius Appulis Jungentur capreæ lupis, Quam turpi Pholoë peccet adultero.' Ovidius lib. II. eleg. XIX. 'Quod sequitur fugio; quod fugit, usque sequor.' Moschus Eidyll. E. Ἤρα Πὰν Ἀχῶς τᾶς γείτονος, ἤρατο δ' Ἀχὼ Σκιρτητᾶ Σατύρω· Σάτυρος δ' ἐπεμήνατο Λύδᾳ· Ὡς Ἀχὼ τὸν Πᾶνα, τόσον Σάτυρος φλέγεν Ἀχὼ, Καὶ Λύδα Σατυρίσκον· ἔρως δ' ἐσμύχετ' ἀμοιβᾷ· Ὅσσον γὰρ τήνων τις ἐμίσεε τὸν φιλέοντα, Τόσσον ὅμως φιλέων ἐχθαίρετο, πάσχε δ' ἄποινα· Ταῦτα λέγω πᾶσιν τὰ διδάγματα τοῖς ἀνεράστοις· Στέργετε τοὺς φιλέοντας, ἵν' ἢν φιλέητε, φιλῆσθε·

6 *Ut ameris ama*] Martialis lib. VI. Epig. XI. 'Ut præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Oresten. Hoc non fit verbis, Marce: ut ameris, ama.' Vid. Sen. Epist. IX. Plin. ad Trajanum, p. 157. Auctor Panegyrici ad Pisonem: 'Obsequiumque doces, et amorem quæris amando.' Hinc illud ad amantes Ovidii præceptum: 'Est tibi agendus amans,' &c. Et hoc Achillis Tatii lib. I. ἓν οὖν σοι μόνον παραινῶ, ἐρᾶσθαι πιστευσάτω, καὶ ταχέως σε μιμήσεται. Plato apud Valer. M. lib. IV. cap. I. de Xenocrate: 'Adjecit, non esse credibile, ut quem tantopere amaret, ab eo invicem non diligeretur.' Dante nel canto XXII. del Purgatorio: *Amore di virtu sempr' altro accese, Pur che la fiamma sua paresse fuore.* Eadem in amore pio proximi ratio, de quo dignus sane est, qui respiciatur locus D. Augustini serm. CLXVIII. de Tempore, 'Si esurierit inimicus tuus,' &c. vel, si mavis, cap. XVI. l. III. de Doctrina Christiana.

No. 92. 1 *Duas dyseros ut amarem*] Consilium dedisti, quo pacto duas amare possem. Δύσερως autem, ὁ δύσκολον ἔρωτα ἔχων, καὶ παντελῶς ἀπροσμήχανον. ἤγουν, ὁ οὐκ εἰδὼς ἐρᾷν. οὐ καλῶς διοικῆσαι τὸν ἑαυτοῦ ἔρωτα δυνάμενος. Scholiastes Theocriti ad Eidyll. A.

2 *Odit utraque: aliud da modo consilium*] Quid faciemus illo versu? Nam media natura corripitur in voce 'utraque.' An mendum esse dicemus? Minime gentium. Et in hoc quoque Ausonius sequitur morem temporum suorum, ut scilicet ibi producat syllabam, ubi Prosodia erat. Nam in eadem syllaba est in nomine fœminino, in qua erat in masculino, 'uterque.' Quare illa ætate hoc faciebant poëtæ et in ista voce, et in aliis, ut alibi docemus. Prudentius in Elogio Eulaliæ Virginis: 'Frivola utraque et utraque nihil.' Est enim dactylicus. Et in Cathemerino, Hym. X. 'Tua sunt, tua, Rector, utraque.' Est anapæsticus. Et in Apotheosi: 'Spargebat Dominus, sunt unum fulmen utraque.' Sed et ipse Ausònius ad patrem: 'Et placuisse reor geminis ætatibus, ut se Non festinato tempore utraque daret.' *Scaliger.*

Odit utraque] Notandum 'utraque' media producta, recto etiam casu, quo natura brevis est; similiter productam invenies in versu vicesimo secundo Epistolæ ad patrem. *Vinetus.*

3 *Datis*] Donis, muneribus. *Idem.*

8 *Frange fores*] Apud Theocritum in Pharmac. conqueritur Simætha de Delphide: Οὐδὲ θύρας ἄρραξεν ἀνάρσιος. Et aliquanto post Delphis ad illam: Εἰ δ' ἄλλᾳ μ' ὠθεῖτε, καὶ ἁ θύρα εἴχετο μοχλῷ, Πάντως καὶ πελέκεις καὶ λαμπάδες ἤνθον ἐφ' ὑμέας. Vide et Tibull. lib. I. El. I. et El. X. Propert. lib. II. El. V. Ovidium, Horatium, &c.

9 *Stulte, ab amore*] Ita fere Syrus ad Clitiphonem in Terentii Heautontimorumeno: 'Vis amare, vis potiri, vis, quod des illi, effici: Tuum esse in potiundo periculum non vis, haud stulte sapis.' *Vinetus.*

7 *Quod sibi suaserunt*] Non inepti sunt versus illi, quos Tilianus codex exhibet: *Phædra et Elisa tibi dent laqueum aut gladium. Præcipitem pelago vel Leucados elige rupem.* Hæc enim amantium omnem spem abjicientium refugia sunt. Sic apud Apuleium lib. IV. Milesiac. 'Laqueus, aut gladius, aut certe præcipitium procul dubio capessendum est,' puella desperans vociferatur; et alia ad amasium apud Lucianum in dialog. meretr. Σὺ δέ, ἄν ποτε λυπήσῃ, τάχα ἂν ἀκούσῃς τι περὶ ἐμοῦ, κειμένην με ἤτοι βρόχῳ ἐμαυτὴν ἀποπνίξασαν, ἢ ἐς τὸ φρέαρ ἐπὶ κεφαλὴν ἐμπεσοῦσαν, ἢ ἕνα γέ τινα τρόπον εὑρήσω θανάτου. Clemens Alex. l. II. Strom. de Cratete: Οὗτος ἐν ἄλλοις εὐθυρημόνως γράφει τῆς εἰς τὰ ἀφροδίσια ἀκατασχέτου ὁρμῆς κατάπλασμα εἶναι λιμόν· εἰ δὲ μή, βρόχον. Arnobius lib. III. de Venere: 'Ergone Dea cogente innectuntur cervicibus laquei, conscenduntur ardentes rogi, et per vastas atque altissimas rupes jaciunt se passim voluntariis saltibus præcipitati?' quo loco vix alium aptiorem ad hos versus illustrandos reperias. Variant eapropter in Œnones morte commemoranda poëtæ: quorum quidam ferro incubuisse, alii laqueo gulam sibi fregisse, nonnulli præcipitem sese dedisse de scopulo tradunt: testis Lycophronis Scholiastes p. 16. Et quia paratæ id genus mortes, ideo Arrius Antoninus Christianis ad mortem sese ultro offerentibus, paucis duci jussis, dixit, ὦ δειλοί, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς, ἢ βρόχους ἔχετε. Tertullianus ad Scapulam, c. v. Horatius in illa desperantis Europæ venustissima querela, lib. III. Od. 27. 'Quid mori cessas? potes hac ab orno Pendulum zona bene te secuta Lædere collum. Sive te rupes et acuta letho Saxa delectant, age te procellæ Crede veloci.' Idem Epod. XVII. 'Voles modo altis desilire turribus, Modo ense pectus Norico recludere, Frustraque vincla gutturi innectes tuo, Fastidiosa tristis ægrimonia.' Respice et Aristophanis Ranas in Colloquio Bacchi et Herculis.

No. 93. 1 *Cæstu*] Cæstus istos Apollonius, in principio secundi Argonauticorum, ἱμάντας vocat, hoc est lora, ut lora erant, bubula, perdura: quibus pugnaturi manus armabant, et inter se nudi feriebant; os et tempora in primis petentes: sed eorum alia etiam nomina apud Julium Pollucem. Qui cæstibus pugnabant, ut Pollux et Amycus apud eundem Apollonium, Entellus et Dares quincto Æneidos, ii Græcis πύκται, Latinis pugiles, et res ipsa illis πυγμή, his pugilatus dicitur: hæcque pugna proprie dicta videtur, quæ πύξ, hoc est, pugnis peragitur, quemadmodum ἐτυμολογεῖ Donatus. Pugil ergo dicebatur, qui cæstibus, παλαιστὴς et palæstrita, qui lucta, quæ πάλη et παλαίστρα Græcis appellatur: σταδιεὺς, qui in stadiis et circis cursu: δισκοβόλος, qui disci in sublime jaculatione: ἁλτικὸς, qui ἅλματι, id est, saltu certabat. Quæ quinque πένταθλον Græcis, Latinis quinquertium dicebatur, vel Budæo auctore ex Festo: et is, qui in illis quinque vicerat, iisdem Græcis πένταθλος, quinquertio Latinis. Πένταθλος tamen Lucillii, 'pugil' Ausonio hic esse videtur. *Vinetus.*

Catus] Doctus, ut in Ode decima

libri primi Horatii, ac in duodecima tertii. *Idem*.

2 *Clarus Olympiacis et Lycus, &c.*] Non esse commutandum hic, *Ast Lycus*, vel, *est Lycus*, facile intelliget, qui de Lucillio conversum Epigramma noverit. Verum ille non Hammonem Deum, sed Olympum vatem convenisse, refert, qui Onesimus, Hylas, et Menecles vocarentur. Cum Ausonius eos 'Phegeum,' 'Hylam,' 'Lycum' nominarit: ac præterea in quibusdam aliis (more suo) diversus abierit, eo quidem genio, ut cum neque omnia reddiderit, nihil tamen omisisse videatur: Πρὸς τὸν Μάντιν Ὄλυμπον Ὀνήσιμος ἦλθ' ὁ παλαιστὴς, Καὶ πένταθλος Ὕλας, καὶ σταδιεὺς Μενεκλῆς, Τίς μέλλει νικᾷν αὐτῶν τὸν ἀγῶνα θέλοντες Γνῶναι. κἀκεῖνος τοῖς ἱεροῖς ἐνιδὼν, Πάντες, ἔφη, νικᾶτε, μόνον μή τίς σε παρέλθῃ, Καί σε καταστρέψῃ, καί σε παρατροχάσῃ. *Accursius*.

No. 94. 1 *Redimibat*] Circundabat, ornabat: pro *redimiebat*. Vinetus.

No. 95. 2 *Hylas*] Egregia forma juvenis, Theodamantis et Menodices filius, Herculis ad Colchos proficiscentis comes, qui quum in Mœsia ex Argo descendisset, aquatum profectus, a Nymphis raptus est. Fabulam narrat Apollonius libro primo Argonauticon, Servius, Strabo, Solinus,

scon. *Vinetus*.

No. 99. 3 *Resecuta*] Ἀπαμειβομένη: rara hæc est dictio, quamque non apud multos reperias. Usus est Noster item de Echo in ultima ad Paulinum Epistola: 'Solatur nostras Echo resecuta querelas.' Nec non, ut quidam volunt, Professor. c. XIX. 'Et tua nunc soboles morem resecuta parentis.' Ovidius item lib. VIII. Metamorph. 'Illa Dei munus bene cedere sensit, et a se Se quæri gaudens, his est resecuta rogantem.'

No. 103. 1 *Invida*] 'Apollo Daphnen,' inquit Hyginus, 'Penei fluminis filiam, quum virginem persequeretur, illa a Terra præsidium petiit: quæ eam recepit in se, et in arborem laurum commutavit. Apollo inde ramum fregit, et in caput imposuit.' Vide finem fabulæ apud Ovidium, commentarium in sextum Cassandræ Lycophronis versum, (Servium ad l. III. Æneid. Plutarchum in Agide, Schol. Homeri in Il. A.) Aphthonii Sophistæ progymnasmaton caput quoddam de hac etiam est fabula: meminit et Ausonius in Carmine de Antiochia et Alexandria. *Vinetus*.

No. 104. 6 *Te tamen et cultus*] D. Cyprianus de Habitu virg. 'Virgo non esse tantum, sed et intelligi debet, et credi: ut nemo, cum virgi-

tet a conscientia in superficiem; ut et foris inspiciat quasi supellectilem suam, et conveniat fidei continendæ in perpetuum.' Auctor libelli de Pudicitia, inter opera D. Cypriani: 'Non est pudica, quæ affectat animum alterius movere, etiam salva corporis castitate. Longe absint, quibus pulcritudo non ornatur, sed prostituitur.' Ovidius IV. Fastor. de Claudia: 'Casta quidem, sed non et credita: rumor iniquus Læserat: et falsi criminis acta rea est. Cultus, et ornatis varie prodisse capillis, Obfuit ad rigidos, promtaque lingua, senes.'

No. 105. 2 *Pars quum sim*] Horat. lib. II. Od. XVII. ad Mecænatem: 'Ah! te meæ si partem animæ rapit Maturior vis; quid moror altera?' qui et Virgilium 'animæ dimidium' suæ dixit. D. Augustinus lib. IV. Confess. 'Bene quidam dixit de amico suo, Dimidium animæ meæ: Nam ego sensi animam meam, et animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus: et ideo mihi horror erat vita, quod nolebam dimidius vivere: et ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram.' Idem in lib. Retract. 'In quarto libro, [Confessionum,] cum de amici morte animi mei miseriam confiterer, dixi, quod anima nostra una quodam modo facta fuerit ex duabus, &c. Quæ mihi magis declamatio levis, quam gravis confessio videtur: quamvis utcumque temperata sit hæc ineptia, in eo, quod additum est, forte.' Aristot. lib. II. Ethicor. Ὅταν βουλόμεθα σφόδρα φίλον εἰπεῖν, μία, φαμὲν, ψυχὴ ἡ ἐμὴ, καὶ ἡ τούτου. Guevara: *No es otra cosa el amor, sino un coraçon, que vive en dos cuerpos, y dos cuerpos, que sirven a un coraçon.* Papin. lib. III. Sylv. in Propemptico: 'Atque animæ partem super æquora nostræ Majorem transferre parat.' Plautus Bacchidibus Act. II. Sc. 2. 'Anima est amica amanti: si abest, nullus est.' Plutarchus in Erotico: ὁ μὲν γὰρ Ῥωμαῖος Κάτων ἔλεγε τὴν ψυχὴν τοῦ ἐρῶντος ἐνδιαιτᾶσθαι τῇ τοῦ ἐρωμένου. Rutilius Itinerar. I. de Albino: 'Invitum tristis tandem remeare coëgi. Corpore diviso mens tamen una fuit.' Idem: 'Exornent virides communia gaudia rami, Provecta est animæ portio magna meæ.' Sidonius Carm. XXI. 'Namque animæ nostræ portio major eras.' Vetus Epigramma: 'Ablatus mihi Crispus est, amici: Pro quo si precium dari liceret, Nostros dividerem libenter annos. Nunc pars optima me mei reliquit. Consumtus male debilisque vivam, Plusquam dimidium mei recessit.'

No. 106. *In Venerem*] Hoc Epigramma in Venerem ἀναδυομένην, ex Græco est Antipatri. Sunt et illa Græci argumenti, (præter jam dicta, dicendaque, ac notata voluminibus impressis) 'De tribus incestis' ex Stratone: 'De Thrasybulo' Tyrannichi filio, authoris Dioscuridi: 'De Fortunæ varietate,' tetrastichon geminum, ex Disticho Statyllii Flacci, seu altero Platonis, an Antipatri. *Accursius.*

In Venerem] Ex Antipatri Sidonii Græcis, quæ extant libro quarto Græcorum Epigrammatum: Τὰν ἀναδυομέναν ἀπὸ ματέρος ἄρτι θαλάττας Κύπριν Ἀπελλείου μόχθον ὅρα γραφίδος, Ὡς χερὶ συμμάρψασα διάβροχον ὕδατι χαίταν, Ἐκθλίβει νοτερῶν ἀφρὸν ἀπὸ πλοκάμων. Αὐταὶ νῦν ἐρέουσιν Ἀθηναίη τε καὶ Ἥρη, Οὐκ ἔτι σοι μορφᾶς εἰς ἔριν ἐρχόμεθα. Hæc est autem Venus, cujus patrem Cælum esse dixit Epigramma tricesimum secundum. Ejus vero matrem eleganter poëta Græcus θάλατταν appellat. Porro Plinius libro tricesimo quincto, Venerem hanc modo 'anadyomenen,' modo Græcum verbum interpretans, Venerem 'exeuntem e mari' nominat. *Vinetus.*

3 *Ut complexa manu*] Alludit ad hanc picturam Severus in Ætna: 'Quin etiam Graiæ fixos tenuere tabellæ, Signaque: nunc Paphiæ ro-

rantes arte capilli, Sub truce nunc parvi ludentes Colchide nati.' Ita locum illum restituo, cum antea legeretur, *Signare nunc Paphiæ*. Apuleius lib. II. Miles. 'Nec mora, cum cibariis vasculis raptim remotis, laciniis cunctis suis renudata, crinibusque dissolutis ad hilarem lasciviam, in speciem Veneris, quæ marinos fluctus subit, pulchre reformata,' &c. Ovid. lib. II. Trist. 'Utque sedet vultu fassus Telamonius iram, Inque oculis facinus Barbara mater habet, Sic madidos digitis siccat Venus uda capillos, Et modo maternis tecta videtur aquis.'

4 *Spumas*] E spuma namque maris nata fertur: quod spumosa sint animantium semina, ut Phurnutus, Fulgentius, Clemens Alexandrinus l. I. Pædagogi, cap. VI. volunt, vel ut alii, quod humore ad generationem opus sit: unde Thales, Aquam rerum omnium Principium statuit: et ipse Neptunus, aquarum marisque præses Deus, φυτάλμιος et Πατρογένειος Græcis dictus est, teste Plutarcho Symposiac. l. VIII. probl. 8.

No. 107. 1 *Dum dubitat natura marem*] Distichon hoc in quempiam formosum, Virgilii esse, non Ausonii, vetustum quidem exemplar, sed quod potuerit post Ausonii quoque tempora scriptum videri, fidem facit. Inter Bucolica siquidem ac Georgica relatum comperimus Romæ in bibliotheca, quæ est ad Populi, cum duobus iis, qui Maroniani perhibentur: 'Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane, Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.' 'Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus; Nocte, die tutum carpe viator iter.' Cæterum vix est, ut cujusquam, nedum nostra, conjectura statuatur, an ipsi super puero versiculi Virgilium an Ausonium authorem mentiantur. Expediet autem hæc commonuisse obiter, quum dicturi sumus, quædam quæ Maronis hactenus crederentur edyllia, Ausonii demum agnita. *Accursius.*

Faceretne puellam] Repone, *faceretve*; nam illud alterum solœcum est. Eandem formam in Glaucia, dum imberbis esset, agnoscit Ausonius Epitaph. Her. XXXIII. 'Et jam desieras puer anne puella videri:' e quo versu vide an hic legere possis, ut omnis illa voculæ inconcinnitas aboleatur, *Dum dubitat natura marem facere, anne puellam.* Barthius ad Stat. Achilleid. p. 1658. idem tamen ad Sylvas pag. 94. aliam præterea conjecturam proponit, et commodius scriptum existimat: *Dum dubitat, faceret, natura marem anne puellam.* Sed insulsæ hæ conjecturæ sunt, et inficeto rure inficetiores.

2 *Factus es*] In Thuanæo aliisque Mss. Catalecta Virgiliana continentibus, legebatur, *Natus es, &c.* Est in hunc sensum ferme Carmen hexastichon in Petronianis Catalectis Lotichii. Horatius de Gyge: 'Quem si puellarum insereres choro, Mire sagaces falleret hospites Discrimen obscurum, solutis Crinibus, ambiguoque vultu.'

No. 108. 1 *Thermarum in solio*] Ubi ille suam scabiem lavabat. Solium inter alia significat lacum, vas juxta thermas et aquæ calidæ fontes, in quod derivatur aqua, lavandi corporis gratia. Aliquot vidimus antiqua solia marmorea in margine fontis multæ aquæ et perfervidæ Aquis Augustis. *Vinetus.*

7 *Enthea dæmone Mænas*] Martialis in Epigrammate octogesimo quincto libri undecimi: 'Quum furit ad Phrygios enthea turba modos:' ἔνθεος, in quo est Deus, numine agitatus quispiam et afflatus. Unde et 'entheatus' apud eundem Martialem in libri duodecimi Epigrammate quinquagesimo septimo: 'Nec turba cessat entheata Bellonæ.' Scite vero, et vere describitur libro sexto Æneidos Virgilii. *Idem.*

Mænas] Est μαίνεσθαι furere, insanire, numine perciri: unde Mænades

[redacted]

furiosæ feminæ: quales contra Pentheum describuntur in Theocriti Idyllio tricesimo tertio, et contra Orpheum libro undecimo Metamorphoseon Ovidii. *Idem.*

9 *Symplegados antrum*] Podicem. Vide Martialis Epigramma centesimum libri undecimi. Sunt Symplegades Geographis, et Apollonio libro secundo Argonauticon, et Ovidio quinctodecimo Metamorphoseon scopuli, seu insulæ duæ parvæ, parvoque distantes spatio, contra Thracium Bosphorum, aliquando creditæ dictæque concurrere: et inde nomen, a se invicem concutiendo, sortitæ. *Idem.*

20 *Ad Phlegethonteas sese jam præparet*] Scribendum, *præparat.* Accurs.

Ad Phlegethonteas] Φλεγέθων apud inferos 'Rapidus flammis torrentibus amnis,' ait Virgilius sexto Æneidos. *Vinetus.*

No. 109. 1 *Silvius ille*] Epigramma in Britonem non est unicum, sed singularia disticha sex. Unumquodque legendum est separatim eodem titulo, *In eundem.* Varie enim eadem materia lusit. Cognominabatur autem Brito iste Bonus. Unde captat argutiæ opportunitatem. *Scaliger.*

2 *Britto Bonus*] Arbitror cum Sidonio Apollinare, et Beda, tum ex hoc Ausonii Epigrammate, satis liquere, Brittones a Britannis nihil differre: proinde non leviter illos errare, qui Brittones eos solum nuncupari volunt, qui in Gallia ad Ligerim habitant. *Vinetus.*

No. 112. 1 *Nemo bonus Brito est*] Sive Silvio huic privatim, seu publice infensus fuerit Ausonius, justam tamen caussam non habuit, ut omnes omnino Britannos malos esse pronuntiaret. Magnas, fateor, irarum causas Rutupinus ille latro, Maximus Tyrannus, præbuit, qui e Britannia in Galliam trajiciens, Gratianum Ausonii discipulum, per Andragathium comitem, dolo circumventum interemit. Hinc iniquior Ausonius in omnes, etiam innoxios. Hunc et alios innuit tyrannos D. Hieronymus, quum libro Adv. Pelagianos Britanniam 'fertilem tyrannorum provinciam' appellat.

No. 114. 2 *Nec se quit jungere Britto bono*] Omnes libri, quotquot vidi, *Britto et homo* habuerunt: sed quis non videt corruptum locum, si ita legatur, et sententiam ineptam? Quis enim Brittonem hominem esse neget? Est itaque sensus: O Silvi, tu es bonus Britto, (bonus in malam partem, ut nobile scortum, insignis sicarius,) quamvis dicaris esse non bonus homo, et Britto non possit esse bonus. *Vinetus.*

No. 116. 1 *Quid est beatum*] Scribendum, *quod,* non *quid:* quandoquidem non, quid beatum sit, percontatur; sed quod beatum, æternum, atque immortale est, nemini negotium exhibere, ostendit. Conjicitur id autem ex his maxime, quæ a Marco Tullio in primo de Natura Deorum dicta sunt: 'Hanc igitur habemus, ut Deos beatos et immortales putemus. Quæ enim nobis natura informationem Deorum ipsorum dedit, eadem insculpsit in mentibus, ut eos æternos et beatos haberemus. Quod si ita est, vere exposita illa sententia est ab Epicuro, Quod æternum, beatumque sit, id nec habere ipsum negocii quicquam, nec exhibere alteri. Itaque neque ira, neque gratia teneri, quod quæ talia essent, imbecilla essent omnia.' Nec multo idem post, hoc ipso libro, fere eadem. Fitque etiam opinionis ejus mentio in tertio Officiorum. Retulit et κυρίαν hanc Epicuri δόξαν Laërtius et Firmianus. *Accursius.*

Quod est beatum] Cicero libro primo de Natura Deorum, de Epicureorum dogmate agens: 'Ubi igitur illud vestrum, Beatum et æternum? quibus duobus verbis significatis Deum.' Quæ sententia Epicuri sic Græce habet apud Diogenem Laërtium: Τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε

[redacted]

αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει. Seneca in Claudium Cæsarem ejusdem meminit. Contra quam disputat Lactantius Firmianus in libro de ira Dei, et Maximus Tyrius sermone vicesimo nono: adi et Plutarchum in Pyrrho. *Vinetus.*

Quod est beatum] Tertullianus de Testim. Animæ, c. 2. ad hanc Epicureorum opinionem respiciens: 'Sic Deum,' inquit, 'honorantes, dum curis observationis et molestiis animadversionis absolvunt, cui ne iram quidem adscribunt. Nam si Deus, inquiunt, irascitur, corruptibilis et passionalis est. Porro quod patitur, quod corrumpitur, etiam interitum potest capere, quem Deus non capit.' Horatius, Epicuri de grege porcus, lib. I. Satyra v. de Gratiæ familiari miraculo loquens: 'Namque Deos didici securum agere ævum: Nec si quid miri faciat natura, Deos id Tristeis ex alto cœli demittere tecto.'

No. 117. 1 *Sanus*] Si non fallit Stobæus in capite περὶ ἀργίας, hæc Menandri poëtæ Comici Græca fecit Ausonius Latina: 'Αργὸς δ' ὑγιαίνων τοῦ πυρέττοντος πολὺ Ἔστ' ἀθλιώτερος, διπλᾶ οἷα γοῦν μάτην Ἐσθίει. *Vinet.*

No. 118. *In Didus imaginem*] Ἀδέσποτον hoc libro quarto Anthologiæ: Ἀρχέτυπον Διδοῦς ἐρικυδέος, ὦ ξένε, λεύσσεις Εἰκόνα, θεσπεσίῳ κάλλεϊ λαμπομένην. Τοίη καὶ γενόμην. ἀλλ' οὐ νόον οἷον ἀκούεις, Αἰσχρὸν ἐπ' εὐφήμοις δόξαν ἐνεγκαμένη. Οὐδὲ γὰρ Αἰνείαν ποτ' ἐσέδρακον, οὐδὲ χρόνοισι Τροίης περθομένης ἤλυθον ἐς Λιβύην. Ἀλλὰ βίας φεύγουσα Ἰαρβαίων ὑμεναίων, Πῆξα κατὰ κραδίης φάσγανον ἀμφίτομον. Πιερίδες τί μοι ἁγνὴν ἐφωπλίσσασθε Μάρωνα; Τοῖα καθ' ἡμετέρης ψεύσατο σωφροσύνης. *Vinetus.*

5 *Namque nec Æneas*] Quod commentus est Virgilius in odium Carthaginensium. Macrobius libro quincto Saturnaliorum. *Vinetus.*

10 *Aut læsos crudus amore*] Legendum, *læso.* Ne si vel *læsus* placeat (ut est in codicibus vulgatis) figura ὁμοιοτέλευτον cadat hic incongrue. Etenim exprimere id voluit, quod dictum est a Marone libro v. 'Duri magno sed amore dolores Polluto.' Ausonius quidem rem exornans, ut ingenium dexteritasque ejus fuit, Græco Epigrammati, unde suum finxit, hunc versum cum hexametro, et annexos statim duos, ac quatuor ultimos adjecit. *Accursius.*

12 *Ulta virum, positis mœnibus*] Allusio est ad illa, quæ moriens Dido dicit quarto Æneidos: 'Urbem præclaram statui, mea mœnia vidi: Ulta virum, pœnas inimico a fratre recepi.' Narrat autem Virgilius primo Æneidos, et Justinus libro duodevicesimo, quo modo sit ulta Dido virum suum Sichæum a Pygmalione fratre interfectum. Ceterum alii, quam Dido, traduntur Carthaginis conditores in Eusebii chronicis, et Libycis Appiani. *Vinetus.*

13 *Invida cur in me*] D. Augustinus lib. I. Confessionum: 'Quod si proponam Grammaticis, interrogans, utrum verum sit, quod Æneam aliquando Carthaginem venisse Poëta dicit? indoctiores nescire se respondebunt: doctiores autem etiam negabunt verum esse.' Priscianus in Periegesi: 'Qua regnans felix Dido per secula vivit, Atque pudicitiam non perdit carmine ficto.' Plura hac de re Macrobius lib. v. Saturnal.

15 *Vos magis hist.*] Ita et de Medea sævam illam τεκνοκτονίαν confinxisse perhibetur Euripides in Corinthiorum gratiam, quos etiam tunc pro cæde, quam in Medeæ liberos patraverant, expiatoria sacrificia obtulisse scribit Ælianus lib. v. c. ult.

No. 122. 1 *In Faustulum ... Anicii Probini*] Intellige nanum Anicii Probini. Nam sunt, qui putabant ipsummet Epigramma conversum e Græco ab Anicio Probino. Quod sane falsum est. Est autem frigidissimus jocus, cujus generis multi apud Lucillium, ex quo conversum est Epigramma, et Palladam, ineptissimum quotquot unquam fuerunt, non poë-

[redacted]

tam, sed literatorem. Sane intra eos fines hyperbolen concludere debemus, ut nihil τῶν ἀδυνάτων afferamus. Quid frigidius, quam dicere, non dicam, δίπηχυν pumilionem, sed musculum, aut muscam potius insidere formicæ: ex qua non solum ruinæ, sed et calces quoque, ut ex equo calcitrone metuantur? Hæc Græcanica ineptia mihi stomachum movet. *Scaliger.*

In Faustulum] Recte judicavit Scaliger, quum jocum hunc plane insulsum et frigidum censuit. Talis ille alterius Græculi, qui de lapide, quem Cyclops ad obruendam Ulyssis navem projiciebat, dixit: Φερομένου δὲ λίθου αἶγες ἐνέμοντο ἐν αὐτῷ. Namque, ut ait Demetrius Phalereus, ἐκ τοῦ ὑπερβεβλημένου τῆς διανοίας καὶ ἀδυνάτου ἡ ψυχρότης.

In Faustulum] Dubitari video, Ausoniine sit hoc Epigramma in Faustulum Anicii Probini nanum, an vero ipsius Probini in Faustulum quendam. In quo duo hæc jampridem emendanda censui. Primum enim quum *Anci Probini* scriberent libri omnes, tametsi Ancos etiam habuit Latium, tamen Probinum hunc esse existimavi, de quo in Iambicum ad Probum mentionem fecimus; qui non *Ancus* sed *Anicius* Probinus ab Anicia Anicianave familia dicebatur. *Vinetus.*

6 *Quid rides, improbe liber*] Lucilii tetrastichon est εἰς λεπτούς· quo admoniti, *livor*, id est, invidia, emendandum putamus, non *liber*. Menestratus enim quidam formicam, tanquam elephantum, obequitans, quod infelix e vestigio supinus prostratus fuerit, fingitur. A qua etiam calcitratus, ut primum resipuit, utque primum loqui posse cœpit, 'O Invidia,' inquit, 'sic obequitans cecidit etiam Phaëthon.' Epigramma ipsum non intempestivum fuerit adscribere: 'Ἱππεύων μύρμηκι Μενέστρατος ὡς ἐλέφαντι, Δύσμορος ἐξαπίνης ὕπτιος ἐξετάθη· Λακτισθεὶς δ' ὡς εἶχε τὸ καίριον, ὦ φθόνε, φησὶν Οὕτως ἱππεύων ὤλετο καὶ Φαέθων. Neque vero frustra, aut frigidiusculo fabulandi genere, fictum Græcis, relatumque Ausonio Epigramma, crediderim, sed ad exprimendum ingenium Invidi, ingeniumque jactantis. H. e. invidorum solent esse mores, ut quæ bene gesseris, pilo (quod dicitur) intra ovum invento, damnare non dubitent. In quibus peccaveris, insultantes, ac jam demus læti ridentesque, traducant, nec nisi reum peragant. Jactabundi autem fortia facinora mentiuntur, (unde et in fabulis gloriosi milites aliena sibi arrogant,) et tam in augendis extollendisque viribus effusiores sunt, quam in amolienda debilitate, cum aliquo præstantiorum exemplo, ingeniosi promtique, quod hic facere Faustulus inducitur. *Accursius.*

No. 124. 1 *Diversa infelix*] Est quoque diversum hoc a præcedente Epigrammate, et suo numero distinguendum, cum inscriptione, *In eundem.*

No. 128. 2 *Opicus magister*] Utitur A. Gellius aliquoties eo vocabulo; item Sarisber. Pol. l. vi. c. xix.

No. 129. 2 *In natos*] In filios suos Mermerum et Phereten: quos ex Jasone procreatos zelotypia interfecit. Ita illos nominat Pausanias in Corinthiacis: Hyginus, Mercerum et Pheretum, nisi sit mendum. *Vinetus.*

7 *Cunctantem satis est*] Subaudiendum est, pinxisse, aut aliquid hujusmodi. Plinius libro tricesimo quincto sic hujus Medeæ, et sui pictoris meminit: 'Illud vero perquam rarum, ac memoria dignum, etiam suprema opera artificum, imperfectasque tabulas, sicut Irin Aristidis, Tyndaridas Nicomachi, Medeam Timomachi, et quam diximus, Venerem Apellis, in majori admiratione esse, quam perfecta: quippe in iis lineamenta reliqua, ipsæque cogitationes artificum spectantur: atque in leno-

[redacted]

cinio commendationis, dolor est. Manus, quum id agerent, extinctæ, desiderantur.' Extat autem et hoc in eodem Anthologiæ capite, εἰς ἡρωΐδας. Ἄδηλον, εἰς εἰκόνα Μηδείας ἐν Ῥώμῃ. Τέχνη Τιμομάχου στοργὴν καὶ ζῆλον ἔδειξε Μηδείης, τέκνων εἰς μόρον ἑλκομένων· Τῇ μὲν γὰρ συνένευσεν ἐπὶ ξίφος, ᾗ δ' ἀνανεύει, Σώζειν, καὶ κτείνειν βουλομένη τέκεα. *Vinetus.*

Indigna est· sanguine] Contrarium omnino dicitur, quam vel suscepto argumento respondeat, vel Byzantius dixerit Antiphilus in Epigrammate, unde transtulit hoc ipsum Ausonius. Sunt vero plura apud Græcos in Medeam hanc Timomachi celeberrimam, et quam una cum Ajacis altera tabula Cæsar octoginta talentis emerit, in templo Veneris Genitricis dicaturus. Antiphilus itaque ait, 'Natorum sanguis decebat Medeam, et non manum Timomachi.' Digna sane videatur illa filiorum sanguine, non quod mater esset, verum quod Medea, quod barbara, exlex, ferox, invicta, venefica, inque scelera et gentis vitio, et suo, proclivis. Neque fomentum illud etiam incensæ furiis leve, quod amatrix, quod contempta. Notum enim est, furens fæmina quod possit, et quod Archias ait, ζῆλος ἐπὶ μανίης μεῖζον κακόν. Contra, Timomachum (utpote virum, atque ejus nationis, cujus semper fuerint exempla mitia, mores hospitales, disciplinæ institutaque præclara) ne pingentem quidem sanguis, etiam externorum, decebat. Rem ergo jam tenemus ipsam: verba autem, ut congruant, ita sint fortasse corrigenda, *Condigna est*, vel *nam digna est.* Græca siquidem hæc habentur, αἷμα δὲ τέκνων Ἔπρεπε Μηδείῃ, Κοὐ χερὶ Τιμομάχου. Apud Annæum Senecam, Thyestes Ægisthum, trepide cædem Agamemnonis aggredientem, ita animat: 'An decet hoc te respice, at mater decet.' Sed sit, arbitror, nec injucundum, nec ab re, ipsum quoque Epigramma retulisse. Id. e. quod in adoptivo est, 'Timomachi mens,' in legitimo, Τιμομάχου χείρ. Quod cum eo videbatur concinere, 'Tua non dextera, Timomache.' Sed et alia quædam, quæ cum verti commode non possint, togaque amiciri, digna sunt, quæ in suo pallio considerentur: Τὰν ὀλοὰν Μήδειαν ὅτ' ἔγραφε Τιμομάχου χεὶρ, Ζάλῳ καὶ τέκνοις ἀντιμεθελκομέναν, Μυρίον ἄρατο μόχθον, ἵν' ἤθεα δισσὰ χαράξῃ, Ὧν τὸ μὲν εἰς ὀργὰν νεῦε, τὸ δ' εἰς ἔλεον. Ἄμφω δ' ἐπλήρωσεν· ὅρα τύπον· ἐν γὰρ ἀπειλᾷ Δάκρυον, ἐν δ' ἐλέῳ θυμὸς ἀναστρέφεται· Ἀρκεῖ δ' ἁ μέλλησις, ἔφα σοφός· αἷμα δὲ τέκνων Ἔπρεπε Μηδείῃ κοὐ χερὶ Τιμομάχου. *Accursius.*

No. 130. 1 *Quis te*] Philippi cujusdam eodem libro quarto: Τίς σου, Κολχὶς ἄθεσμε, συνέγραψεν εἰκόνι θυμὸν, Τίς καὶ ἐν εἰδώλῳ βάρβαρον εἰργάσατο; Αἰεὶ γὰρ διψᾷς βρεφέων φόνον. Ἤ τις Ἰάσων Δεύτερος, ἢ Γλαύκη; τίς πάλι σοι πρόφασις; Ἔῤῥε καὶ ἐν κηρῷ παιδοκτόνε. σῶν γὰρ ἀμέτρων Ζήλων εἰς ἃ θέλεις καὶ γραφὶς αἰσθάνεται. *Vinetus.*

2 *Altera vel Glauce*] Fuit Glauce, quæ et Creusa, filia Creontis regis Corinthi: quam, repudiata Medea, duxit Jason uxorem, ob quam injuriam Medea suos ex Jasone filios interfecit. Fabula est apud Euripidem, Apollonium Rhodium, Ovidium, Hyginum, Valerium Flaccum. *Idem.*

8 *Creta tenax cœli*] Legendum *Creta tenax zeli:* non *Cœli*, neque *Geli*, ut immodicam zeli Medeam intelligamus, non aliter quam 'immodicum iræ Tydea,' apud Papinium. Livius, 'fore ut postquam gaudeant se iræ moderatos.' Locus enim, qui tractatur, habet, σῶν γὰρ ἀμέτρων ζήλων. Illud autem, *namque tui mens*, conjectari licet, aut reponendum, *Namque tui Amens:* aut, *namque tumentis.* Horatius, 'meum fervens difficili bile tumet jecur.' Hujus autem emendationis author mihi fuit Hieronymus

Alcander, vir non modo inter Græcarum literarum duces (quarum expertibus in Latina Rep. nec assurgitur, nec muneribus ceditur) sed in Hebræorum quoque facultate peritissimus. Referendum autem et hic Philippi Epigramma. Plura siquidem vel exclusit Ausonius, vel addidit: ut inter cætera versus postremo loco duos vel loco movit, vel diversa rettulit: ut *Creta*, pro *Cera*. Nisi quis *Cera* corrigat, utique Græcum ipsum planius repræsentando. Alioqui scimus ex Vitruvio ac Plinio, quo pacto resoluta inductaque cera pingi fuerit excogitatum. Quive etiam colores *Creta*, vel per se nata constent, vel infecta comparentur, eximanturque. Hinc Ausonio dictum alibi, 'Bissula nec ceris, nec fuco imitabilis ullo.' *Accursius.*

5 *Matrem quod pinxit in ensem*] Lege, *in ense*. 'Mater in ense,' id est, tenens ensem. Ut apud Statium restituimus I. Achilleid. 558. 'in remis hilaris sedere juventus.' 'Cunctantem,' sive mavis, *contantem*, est deliberantem, secum consultantem. Neque vero placet, quæ sequuntur. Fortasse: *prolis sanguine si maculet*. Nondum ferientem, sed adhuc dubitantem et deliberantem, an occidat liberos, et eorum cruore maculetur. *Si* pro *an* noto hellenismo. Florus: 'consulentes, si quid ad uxores mandarent.' 'Maculare' autem pro 'maculari' etiam dixisse Veteres Auctor Gellius. *Gronovius.*

5 *Matrem quod pinxit in ensem*] Hoc distichon male interpungitur et scribitur. Quis intelligit quid sit, 'pingere in ensem?' Rescribendum vero: *matrem quod pinxit in ense Cunctantem*, hoc est, quod pinxerit cunctantem, cum manu jam teneret gladium ad interficiendos liberos, non vero interficientem liberos, ne sanguine inquinet se, seu, suam picturam, ne scilicet tam crudele scelus, mater nimirum liberos jugulans, maculet tam artificiosam manum. Est id ipsum, quod præcedente dixit Epigrammate: 'Cunctantem satis est: nam digna est sanguine mater Natorum, tua non dextera, Timomache.' Non intellexerunt elegantiam locutionis hujus 'pingere in ense,' pro cum ense, tenentem ensem: ut apud Phædrum, 'occasio in novacula' pro novaculam manu tenens; et apud Ennium: 'levesque sequuntur in hastis,' pro hastati. Virgil, 'Horridus in jaculis;' hoc est, jaculis instructus. Florus lib. I. 'Juventus in equis et armis,' hoc est, armata et equis insidens. *Grævius.*

No. 132. 1 *Insidens*] In hanc sunt sententiam aliquot Epigrammata libro primo Anthologiæ; quorum hoc Πλάτωνος νεωτέρου, omnium est tum brevissimum, tum lepidissimum: Ἀνέρα τις λιπόγυιον ὑπὲρ νώτοιο λιπαυγὴς Ἦγε, πόδας χρήσας, ὄμματα χρησάμενος. *Vinetus.*

No. 134. 1 *Pauper egens*] In eum sensum Apuleius in Apol. 'Is plurimum habebit, qui minimum desideravit.' Cicero Paradoxo VI. 'Cui quæsito opus sit, quis umquam hunc vere dixerit divitem?' multa Seneca, ad quem te remitto.

No. 135. *De Penelope*] Fragmentum est, et reliquiæ justi poëmatis, ut apparet: in quo castigat stili sui ubertatem, et luxuriem Ausonius. Denique nihil fere in ejus poëmatis reperias, quod ejus sæculi scholasticum tumorem referat. Ita omnia ad imitationem Veterum, tanquam ad examen quoddam exiguntur. *Scal.*

8 *Facibus tibi lusit*] *Mihi luxit* (id antiquis *lucsit* erat) magis placeret. hoc enim verbum et facibus convenit, et Carmini proxime sequenti. *G. Canterus.*

11 *Nihil unguibus auxæ*] Non absimile est Aviti seu Abiti Epithalamium, quod Salmasius ad Trebell. Pollionem ex ineditis Epigrammatis descripsit: 'Linea constricto de pec-

tore vincula solve, Et domino te crede tuo: nec candida lædas Unguibus ora vide, vel ne contacta repugnes. Est in nocte timor, non est in nocte periclum. Nec volo contendas: vinces, cum vicerit ille.' Martianus Capella in Fescenninis: 'Nec matris lacrymæ, pressi nec viribus ungues, Nexus audebunt rumpere.'

No. 137. 1 *Arma virumque*] Similis est Palladæ lusus libro primo Anthologiæ, ex principio Iliados Homeri. Hos enim præ ceteris poëtas Grammatici enarrare solent. *Vinetus.*

No. 138. *De Auxilio*] Lege *in Auxilium.* Nam rectus casus, Auxilius, erit solœcismus. In eo Epigrammate vetus liber agnoscit *solicismus*, non *solœcismus*, ut consulatur versui. In diphthongis literæ eæ tolluntur, quibus sublatis idem semper sonus manet: ut in *οι*, *ει*, quæ sunt fere ejusdem soni, non *ἰῶτα* demendum sed altera vocalis, qua absente nihil sono deperit. Nam illæ duæ diphthongi propius accedunt ad *ι* quam ad *ε* aut *ο*. Et hoc est, quod Nigidius dicebat: se Græcos non tantæ inscitiæ arcessere, qui *ου* ex *ο* et *υ* scriberent, quantæ, qui *ει* ex *ε* et *ι*. Illud enim inopia fecerunt: hoc nulla re subacti. Quæ verba facile indicant nullam differentiam inter *ει* diphthongum, et *ἰῶτα* simplex fuisse. Sunt autem ea fideliter memoriæ commendanda, ut quæ non vulgarem doctrinam in se contineant. *Scaliger.*

1 *Emendata*] Vetusto illi Lugdunensi libro soli debemus hoc Epigramma: in quo, quæ scribebantur *Ausilio* et *Ausilium*, nemo dubitet, quin *Auxilio* et *Auxilium* esse debeant. *Auxilium* autem, et quædam alia ejusmodi appellativa neutra in um, ut consilium, desiderium, præsidium, principium, studium, aliquando hominum propria sunt effecta: quomodo ex Sidonii, Augustini, Hieronymi, Ambrosii, et aliorum scriptis cognosces: tumque syllabam ultimam verterunt in *us* pro viris, fueruntque Auxilius, Consilius, Desiderius, Præsidius, Principius, Studius, ac in *a* pro feminis: uti virgo quædam Principia appellatur, ad quam scribit Hieronymus. Jocatur ergo Poëta cum Grammatico, cui Auxilii nomen erat, et ludit in ambiguo. *Vinetus.*

4 *Jam Solœcismus eris*] Qui Grammatici vitium, et Solœcismum ridet, ac reprehendit, Solœcismum ipse aperte committit, sive de industria id faciat cum suo Grammatico, sive metro coactus. Solœcismi namque secundam natura longam corripit. In vetusto tamen illo libro erat *solicismus*, hoc est, *σολικισμὸς* pro *σολοικισμὸς*, si forte sic Ausonius diphthongi vocalem præpòsitivam, syllabæ longæ corripiendæ gratia, rejecerit. *Idem.*

Jam solecismus eris] Legendum, *Solicismus:* quod non versus gratia ab Ausonio usurpatum est, sed usitatissimam in illa ætate scribendi rationem sequutus est. Sic Synaliphe, pro Synalœphe; Cimiterium in vetustis martyrologiis pro cœmeterium; et quod magis mireris, aulidus apud Capellam pro aulœdus. Sic tragidi pro tragœdi, Glossæ: 'Tragidi, *τραγῳδοί*.' Salmasius.

Jam solœcismus eris] Morem illum scribendi *i* pro *œ*, notavit etiam L. Holstenius in Notis ad Passionem SS. Perpetuæ et Felicitatis, pag. 96. ubi 'Catechumini' scribitur, ut apud Optatum Milev. 'Philuminus:' quod et apud Nonium in 'Factio.' Sed locus est corruptus, atque ita emendandus: Cæcilius Filumina: *Ita eorum famam occultabit factio.*

No. 139. 1 *Nec Stygiis lucis*] In morte, rogo, busto. Leguntur autem hæc Bianoris Græca libro tertio Epigrammatum, capite *εἰς ἥρωας*. *Οἰδίποδος παίδων Θήβη τάφος, ἀλλ' ὁ πανάλης Τύμβος ἔτι ζώντων αἰσθάνεται δοράτων, Κείνους οὔτ' Ἀΐδης ἐδαμάσσατο, κὴν Ἀχέροντι Μάρνανται. κείνων χὼ τάφος ἀντίπαλος. Καὶ πυρὶ πῦρ ἤλεγξαν ἐναν-*

τίον. Ὦ ἐλεεινοὶ Παῖδες, ἀκοιμήτων ἁψάμενοι δοράτων. Vinetus.

Nec Stygiis] D. Cyprianus: 'Sic et Thebanorum germanitas rupta, et permanens rogis dissidentibus etiam in morte discordia.' Severus in Ætna: 'Nunc gemina ex uno fumantia sacra vapore Miramur, septemque duces.' Adeantur porro Pausanias in Bœot. Ovidius, Statius, Epigr. Græca, &c.

2 *De misero*] Patre Œdipode, qui patrem suum Laium interfecit: matrem duxit uxorem. *Vinetus.*

3 *Ex uno surgentes*] Eteoclis et Polynicis fratrum quum simul cremarentur cadavera, etsi ventus erat vehemens, tamen fumus se nunquam in unam partem convertit, sed alius alio seductus, ac divisæ flammæ. *Idem.*

7 *Atque utinam et Thebas*] Eteocles et Polynices jam grandiores facti, domestica impietate cognita, Œdipum patrem coëgerunt, ob dedecus, domum non egredi: ipsi sumpto regno, fœdere invicem sanxerunt, ut alternis annis imperarent: primusque imperii annus Eteocli cederet, majori natu. Is autem exacto anno, petenti ex fœdere renuit tradere regnum fratri: quæ bellorum inter eos causa fuit. Hyginus, Euripides in Phœnissis, Statius in Thebaide, Ovidius libri quincti Tristium Elegia sexta, Pausanias in Bœoticis, Diodorus Siculus, Seneca Tragicus. *Idem.*

No. 140. 1 *Nil homine*] Plautus Bacchid. a. III. sc. 2. 'Nam pol quidem meo animo ingrato homine nihil impensiu'st. Malefactorem amitti satius, quam relinqui beneficum. Nimio præstat impendiosum te, quam ingratum dicier. Illum laudabunt boni: hunc etiam ipsi culpabunt mali.' Cicero lib. II. Offic. c. 18. 'Omnes enim immemorem beneficii oderunt: eamque injuriam in deterrenda liberalitate sibi etiam fieri, eumque, qui faciat, communem hostem tenuiorum putant.' P. Syrus: 'Omne dixeris maledictum, quum ingratum dixeris.'

3 *Et si qua genera sunt id civium genus*] Lex Pedia flagitat: *Et si qua genera civium sunt id genus.* Gronov.

No. 141. 1 *Discere si cupias*] Cato, sive Auctor dist. de moribus: 'Disce, sed a doctis: indoctos ipse doceto.'

Discere si cupis] Legebam ante hanc viri mihi amicissimi emendationem: *Discere si cupias, doctus quam multa, licebit.* Ita et Ugolettum edidisse postea vidi: id est, Utut multa didiceris, licebit tamen alia quam plurima, quæ supersunt, addiscere, si discendi cupidus fueris: quam multa enim sunt quæ nescimus?

3 *Dicendo absumere*] Recte Pulmanniana, *discendo:* quomodo dicendo absumat, quæ nondum didicit? *Grævius.* Pro *absumere* reposui *adsumere,* id est, prioribus, quæ jam didiceris, adjungere.

No. 143. *Fortuna numquam*] Infinita sunt veterum in Fortunæ inconstantiam dicta et sententiæ: præ ceteris autem huc apprime facit illud Horatii, *lib.* III. Od. XXIX. 'Fortuna sævo læta negotio, et Ludum insolentem ludere pertinax, Transmutat incertos honores, Nunc mihi, nunc alii benigna.'

No. 144. 1 *Stella*] Ausonius convertit Græca Platonis, quæ apud Diogenem Laërtium in Vita Platonis, et Apuleium in priore apologia, et in libro tertio Epigrammatum, hæc invenies: *Ἀστὴρ, πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν ἑῷος, Νῦν δὲ θανὼν λάμπεις ἕσπερος ἐν φθιμένοις. Ἀστὴρ,* stella. Hoc fuit nomen puero, quem amavit insignis ille vir. Venus autem pulcherrimum lucidissimumque, post Solem et Lunam, siderum omnium, 'præveniens, et ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accepit, ut Sol alter diem maturans. Contra, ab Occasu refulgens, nuncupatur Vesper, ut prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens.' Plinius libro secun-

[illegible] Me- [illegible] monet [illegible] extat, [illegible] quas suis [illegible] meruerunt. [illegible] Luciano libro [illegible] inscribuntur, [illegible] conveniunt: [illegible] ἀπόλαυε. [illegible] κτεάνων. [illegible], ὃς ἄμφω ταῦτα [illegible] μέτρον ἐφηρ- [illegible] Demonico, patris [illegible] exemplum proponens, [illegible] παρακαλῶν ἠγάπα, in- [illegible] ἀπέλαυε μὲν τῶν παρόντων [illegible], ἐπεμελεῖτο δὲ τῶν [illegible], ὡς ἀθάνατος. Neque divi- [illegible] importune amabat, sed fruebatur [illegible] præsentibus bonis, ut mor- [illegible] curabat vero suas opes, ut im- [illegible]. *Vinetus.*

[illegible] *natus mortalis*] Cicero l. III. [illegible] Q. 17. 'Quæ tamen ita dicet [illegible]citer te esse injustum, cum et [illegible] appetas, qui mortalis natus [illegible]ditionem postules immortalium.' Eadem fere loquendi figura dixit Virgilius lib. I. Æneid. 'Quisquis es, haud credo invisus cœlestibus auras Vitales carpis:' id est, invisus es: et Phædrus lib. I. 'Ego primam tollo, [redacted]

cipientem commendat. Ita etiam Martialis: 'Nondum lingua, suum dextra peregit opus.' Et Manilius lib. IV. 'Hic et scriptor erit felix, cui litera verbum est, Quique notis linguam superet, cursumque loquentis, Excipiens longas nova per compendia voces.' Erant autem duorum generum: ii, qui notis, proprie notarii: item singularii ii, qui singulis scribebant, quæ σίγγλαι dicuntur Imperatori Justiniano. Græci duplex genus scriptorum commendant, aut τοὺς γράφοντας εἰς κάλλος, quos 'Antiquarios' dici monuimus; aut τοὺς γράφοντας εἰς τάχος, qui dicuntur Notarii: quorum nomine extant ἀναθήματα l. VI. Epigrammatum Græcanicorum. *Scaliger.*

Notarum præpetum] Velocium notarum: velociter excipiens et scribens quæ alius dictat. Suetonius de Tito Vespasiano: 'E pluribus comperi, notis quoque recipere velocissime solitum.' Cujusmodi notis, nemini dubium esse debet, quin ante Ciceronem quoque illi usi sunt, qui ex ipso dicentium ore orationes totas excepisse traduntur: quemadmodum hodie sunt in parlamentis nostris, qui faciunt, Actuarii miranda solertia, ut scribit Budæus in annotationibus, omnia propemodum dicta [redacted]

[redacted]

ventorem facere videtur. In Eusebii chronicis Latinis non Ciceronem, sed ejus libertum Tironem invenisse legimus. Dio libro quinquagesimo quincto, neque si quid Cicero, neque si quid ejus libertus invenerit, meminit: sed Mæcenatem πρῶτον σημεῖά τινα γραμμάτων πρὸς τάχος excogitasse, et multos docuisse per Aquilam libertum suum. Ceterum hanc controversiam componet fortasse Diaconi liber de Notis, si usquam sine mendo extat, ad Conradum primum, imperatorem, scriptus. In quo leges, Lucium Annæum Senecam postremo, ab aliis ante se inventas, contraxisse notas, digessisse, et auxisse adeo numerum, ut opus in quinque millia extenderetur. Hæ sunt itaque notæ, quas signa appellat Sidonius Apollinaris in Epistola nona libri noni: 'Tribuit,' inquit, 'et quoddam dictare celeranti scribarum sequacitas saltuosa compendium: qui comprehendebant signis, quod litteris non tenebant.' Græci σημεῖα, ut διὰ σημείων scribere, pro scribere notis, seu per notas, dixit Cicero libro tertio decimo Epistolarum ad Atticum, ad hunc modum: 'Et quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexti. credo, quia διὰ σημείων scripseram.' Inde σημειογράφοι apud Plutarchum, qui ita velociter γράφειν, id est, scribere διὰ σημείων, noverant. Quos etiam a suis notis Notarios appellarunt, ut 'In notarium velocissime excipientem,' hoc Ausonii Epigramma inscribitur: et 'Notarius' hoc Martialis distichon libro quartodecimo: 'Currant verba licet, manus est velocior illis. Nondum lingua, suum dextra peregit opus.' Et 'notarium velocem' dicit idem Martialis in Epigrammate sexagesimo secundo libri decimi, quemadmodum 'præpetes notas,' 'præpetem dextram,' 'alitem dextram,' 'velocem manum,' Ausonius. *Vinetus.*

3 *Bipatens pugillar*] Sunt in frequenti usu 'pugillaria' neutro plurali, et masculino plurali 'pugillares:' sed 'pugillar' raro invenies. Pugillaria autem illa quomodo quondam fierent, clarissime intelliges ex Auli Gellii capite nono libri septimidecimi. *Idem.*

13 *Per æquor cereum*] Per tabellas cera illitas. Titinnius apud Charis. 'Velim ego osse arare campum cereum.' *Idem.*

17 *Vix dicta jam*] Reponendum, *Ut dicta jam ceris tenes*, nec abludit secundus papyraceus, in quo, *Vel dicta jam c. t.* nam hoc est, quod mox miratur, et rogat, 'Quis ista jam dixit tibi, Quæ cogitabam dicere?' et 'sensa,' 'dictis' opponit. et, 'Tu me loquentem prævenis,' ex ambiguitate compendii in scribendo usurpati vitium natum putem. De Notariis autem Divus Hieronymus in Epist. ad Julianum: 'Et tamen ille apposito notario cogebat loqui, quæ velociter edita velox consequeretur manus, et linguæ celeritatem prenderent signa verborum.' Basilius Magnus in Epist. ad notarium: Οἱ λόγοι τὴν φύσιν ὑπόπτερον ἔχουσι. Διὰ τοῦτο σημείων χρήζουσιν, ἵνα ἱπταμένων αὐτῶν λάβῃ τὸ τάχος ὁ γράφων.

29 *Quod lingua nondum absolverit*] Marcus Manilius, ubi de ejus disserit ingenio, qui sub Virginis signo natus sit: 'Hic et scriptor erit felix, cui littera verbum est. Quique notis linguam superet, cursumque loquentis. Excipiet longas nova per compendia voces.' *Vinetus.*

32 *Celeripedis compendii*] Cicero Epistolarum nono ad Atticum: 'Venit autem eo ipso die ille celeripes, quem Salvius dixerat. Attulit uberrimas tuas litteras.' *Idem.*

No. 147. *Ausonius Hesperio*] Est hoc Epigramma Fastorum ad Hesperium Filium, quoddam ipsorum Fastorum ἀποσπασμάτιον. Idque recte præfert lemma in antiquo libro,

Conclusio: Ausonius Hesperio filio suo S. Scaliger.

1 *Ignota æternæ*] In vetere Lugdunensi codice titulus erat, CONCLVSIO. AVSONIVS HESPERIO FILIO SALVTEM. In aliis, DE SVO FASTORVM LIBRO AD GREGORIVM. Ad Gregorium mittitur etiam Cupido cruci affixus, filiusque illic salutatur. Parum autem sapuerunt, qui hoc loco *Hectoreæ* pro *æternæ* legendum censuerunt. Roma namque tametsi Hectorea et Trojana dici potuit, tamen Ammianus Marcellinus eam passim 'æternam' vocat, et Julius Frontinus, Ovidius Naso, et alii: Romaque non solum, verum etiam Romani principes fuerunt 'æterni' nuncupati: ut in quarta Symmachi Epistola ad Ausonium, 'quum æternorum principum jam pridem signa comitarer.' *Vinetus.*

3 *Digessi Fastos, &c.*] *Perpetis* in vetustis exemplaribus, licet *præpes* pro veloci quoque poni consueverit, sitque temporis præsertim fugacissima atque irreparabilis celeritas, *perpes* tamen, quod perpetuum, jugiterque annexum, neque unquam intercisum significat, in fastis accommodatissimum est, quibus anni totius gesta disscribantur, et quo sit merito quæque notata dies. *Accursius.*

Digessi Fastos] Opus hoc ad nos non pervenit, sive Carmen id esset, seu soluta oratio. 'Fastos' autem, 'et,' id est, 'ævi nomina perpetui' (*perpetis* enim hic, quam *præpetis* legere malim) temporum seriem, omnes civitatis Romanæ annos ab Urbe condita ad mea usque tempora, quid singulis gestum, qui principes Romani fuerunt, qui Consules, aliique magistratus. *Vinetus.*

5 *Vigilatas accipe noctes*] Lucretius lib. I. 'Sed tua me virtus tamen, et sperata voluptas Suavis amicitiæ, quemvis perferre laborem Suadet, et inducit noctes vigilare serenas, Quærentem dictis quibus, et quo Carmine demum Clara tuæ possim præpandere lumina menti, Res quibus occultas penitus convisere possis.'

4 *Per longum*] Adverbium est. Hesperio illi precatur longam vitam. *Vinetus.*

9 *Ut protinus et te*] Hoc est, fias etiam tu protinus Consul post me. De Hesperii tamen filii Ausonii poëtæ Consulatu nihil comperi, sed fuisse saltem eum Proconsulem ex Ausonii in patrem Julium epicedio cognosces: potestque Hesperius is esse Proconsul Gratiano Imperatore, cujus æquitatem una cum gravitate commendat Ammianus Marcellinus in extremo libro vicesimo octavo.

No. 148 1 *Annis undecies*] Solis Lugdunensibus illis membranis debemus hoc tristichon cum suo hoc titulo. Anni autem undecies centum; hoc est, mille, et centum, et quatuor anni, et undecies unus annus, id est, anni undecim, ac τριετηρὶς, hoc est, tres anni, ut etiam scripsimus in Carmen de Cæsaribus, fiunt anni mille et centum et decem et octo: quot efficient et insequenti Carmine ad Proculum mille et centum et bis novem, a condita Urbe usque ad Consulatum Ausonii: sed quæ sunt hæ rationes? Alciatus, Haloander, Onuphrius, ac alii, qui nostra ætate in recognoscendis Romanæ civitatis temporibus, et restituendis Fastis operam posuerunt, annos hic tredecim quattuordecimve desiderant. Putant enim Ausonium fuisse Consulem collega Hermogeniano Olybrio, anno Urbis millesimo centesimo et tricesimo primo secundove (imo 379 Christi Scal.) sed potest Ausonius alios hic esse secutus auctores, quam ipsi. Ignorarunt namque veteres Romani Græcique scriptores, ut ex Dionysio Halicarnassensi et Julio Solino cognosces, non solum a quo, verumetiam quibus temporibus Roma fuerit condita. Eratosthenes, Pomponius Atticus, Marcus Tullius,

Cornelius Nepos, et alii quidam, quos novi sequuntur chronologi, Olympiade sexta septimave conditam putarunt, sed alii tardius, ut Fabius Pictor, Olympiade octava: Lucius Cincius extrema duodecima. *Vinetus.*

2 *Undecies unumque super*] 'Undecies unus' sunt undecim. 'adnecte undecim trieteridi,' id est, ternario numero, conficies annos 14. et hosce rursus annis 1104, redibit inde numerus Ausonio designatus 1118.

No. 149. 1 *Urbis ab æternæ*] Proculum, ad quem scribitur hoc Carmen, eum esse arbitror, de quo est Epigramma tricesimum quartum: potestque ille Proculus esse, qui in codice Theodosiano aliquot Valentiniani, Theodosii, Arcadii, rescriptis, Præfectus Prætorio vocatur. *Vinetus.*

No. 150. 3 *Qui quartus ab imo*] Sic omnes nostri libri, quicquid hoc sit: at Scoppa pro *imo*, *uno* legit cum verbo *est:* intelligitque versum hujus tetrastichi quartum *ab uno*, hoc est a primo, qui habeat nomen auctoris Ausonii. *Vinetus.*

Qui quartus ab uno est] Leve mendum, sed quod momentum ad historiam habet: unde scribe: *qui quartus ab imo est.* Nam Ausonius fastos suos perduxit ad annum Urbis CIƆCXXIII. Ipse autem Consul, collega Syagrio (illo, cui inscriptum Epigramma generis sui) CIƆCXVIII. clarum ergo, cur titulum inspici velit a fine quartum. *Lipsius.* Verisimilis hæc opinio Lipsii videtur: frigidum enim nimis foret illud votum, quo Proculo Consulatum post quinquennium demum auguratur, nisi ita statuamus, ad annum videlicet CIƆCXXIII. inclusive, ut vocant, hanc Fastorum seriem perductam fuisse: quum vero sequentis anni XXIV. Consules jam designati forent, non potuit propiorem annum Proculi Consulatui votis destinare, quam XXV. quo confectam Olympiadem, sive quinarium numerum signet: a XX. enim ad XXV. intercurrit lustrum: in totum vero lustrum Ausonium hunc votivum Proculi Consulatum distulisse, quis crediderit?

EPHEMERIS.

No. 151. *Ephemeris*] Ἐφημερὶς, diarium Sempronio Asellioni apud Aulum Gellium libro quinto Noctium Atticarum: ubi scribit Ephemeridem in historiis dici, quum per dies singulos res gestæ scribuntur. Ita Ephemeridem inscripsit Ausonius Carmen hoc, quo fuerat complexus, quicquid unoquoque die gerere facereve solitus esset, ipso etiam interprete titulo, qui sic omnino habebat in suo illo Lugdunensi codice: INCIPIT EPHEMERIS, ID EST, TOTIVS DIEI NEGOTIVM. Seneca librum duodecimum Epistolarum ad Lucillium sic incipit: 'Singulos dies tibi meos, et quidem totos, indicare jubes: bene de me judicas.' *Vinetus.*

1 *Mane jam clarum*] Dixerat Aulus Persius: 'Jam clarum mane fenestras Intrat.' *Idem.*

2 *Jam strepit nidis*] Poëta quidam apud Senecam ad Lucillium, *Vigilax.* Sic 'canes' dixit 'vigilaces' Columella libro septimo: et 'vigilaces curas,' Ovidius l. II. Met. vs. 780. *Idem.*

5 *Dormiunt glires*] Hinc 'glirius' in Excerptis Pythœanis, 'somnolentus:' et in glossis Isidori, 'glirium, torpentem, stupidum.' D. Hieron. III. in Ruff. Apol. 'An in morem glirium torpentes consopitæque dormirent.' Laberius apud Nonium: 'Eti-

onclusio: Ausonius Hesperio
. Scaliger.

1 *Ignota æternæ*] In v
lunensi codice titulus er
io. AUSONIUS HESPER
ATEM. In aliis, DE
LIBRO AD GREGORI
rium mittitur etiam
fixus, filiusque illic
autem sapuerunt,
reæ pro *æternæ* le
Roma namque
Trojana dici
nus Marcell
nam' vocat
vidius N
solum, v
pes fue
in qua
nium
jam
tus

Am-
Ubi
ndis
machus:
stpote so-
ra posterior
cultu fem. c.
tis divitiis at-
dotum vestrarum

Non unum, sed tri-
dormisse Endymio-
r, et plus eo. *Vinetus.*
tibi somnus] Mortis.
ribus excitem, occidam.
ri tertii Carmine undeci-
*pe*rmnestra, qua nocte Da-
viros suos jugularunt: 'Sur-
e dixit juveni marito, Surge,
ngus tibi somnus, unde Non
detur. Socerum et scelestas
sorores.' *Idem.*

Lesbii depelle] Lege: *Lesbiæ de-*
modum quietis. Quia dicit ex
*supp*lica cantilena somnum nequam
*pr*incipio conciliari, propterea vocat

ἀπὸ τοῦ ἰαμβίζειν ἀ
Uti et Aristot. de Arte P.
ὸ, inquit, καὶ ἰαμβεῖον καλεῖ
ὅτι ἐν τῷ μέτρῳ τούτῳ ἰάμβιζον ἀ
λους. Sed verior est Hesychii sen-
tentia, qui ἀπὸ τῆς Ἰάμβης, femina
quadam, ἰαμβίζειν derivatum refert;
de qua et Proclus.

No. 152. 2 *Et linteam da sindonem*] Quam nunc nos camisiam vocitamus, sicut et Eginardus appellavit in eo, quod ante annos septingentos et quinquaginta scripsit de Carolo Magno Francorum rege. Græcum est σινδὼν, et 'Tunicam linteam,' interpretatur vetus Glossarion. Sed vide de hoc nomine quid Baifius de Re vestiaria, ex Evangelistis, Herodoto, Polluce, Martiale. *Vinetus.*

10 *Rei divinæ copia est*] Hæc ad sacrificium satis sunt, piæ preces, et vota innoxia, quæ 'aperta' Persius appellat: et in iis ponit mentem bonam, famam, fidem. Vide ejus Satyram ad Macrinum. *Idem.*

11 *Nec tus cremandum*] Libanius Orat. VII. pro Aristophane: Ἧκεν εἰς τὰ λείψανα τῶν ἱερῶν, κομίζων οὐ λιβανωτὸν, οὐχ' ἱερεῖον, οὐ πῦρ, οὐ σπονδήν· οὐ γὰρ ἐξῆν· ἀλλὰ ψυχὴν ἀλγοῦσαν, καὶ φωνὴν ὀδυρομένην, καὶ δεδακρυμένην, καὶ δακρύων ἀφορμάς: ubi legendum puto, καὶ ὄψιν δεδακρυμένην. Simile certe quid excidit.

Thet. 'Præsentes nam- …mos invisere castas Sæ- …ese mortali ostendere cœtu …æ nondum spreta pietate sole- Vide et Pierium Valerianum …irg. IV. Georgic.

22 *Paves nequicquam spes fides*] Erat …ic versus in præstantissimo codice recentiore manu margini adscriptus: de sinceritate igitur dubito. Posset non incommode legi, *Pavetne quidquam spes, fides?* vel *Paventne.* Sic in festivissimo Poëta Anacreonte Stephanus et Faber, viri eruditissimi, frustra fuerunt, dum hunc locum emendare cupiunt, in Carmine de Columba: *Τίς ἐστί σοι μέλει δέ*; pro quo non recte reponunt, *Τί δέ σοι μέλημα τοῦτο*; ut apud Theocritum Eidill. XIV. *Τί δέ τοι τὸ μέλημα*; Scribe totum hunc locum: *Πόθεν μύρων τοσοῦτον, Ἐπ' ἠέρος θέουσα, Πνέεις τε καὶ ψεκάζεις; Τίς εἶς; τί σοι μέλει δέ*; Primi versus emendationem, in quo antea *τοσούτων*, adstruit locus Plutarchi in Vita Phocionis, ubi Demadi respondet: *Πάνυ γοῦν, ἔφη, τρέψειεν ἂν σοι μύρου τοσοῦτον ὄζοντι, καὶ χλαμύδα*, &c. Ultimi vero hic Diphili apud Athenæum lib. VI. *Πόθεν ἐστὶ ταῦτα πρὸς Θεῶν; τί δέ σοι μέλει*; Sic et in Catullo Carm. Nupt. ad Manl. et Juliam lege; *At marita tuum tamen Cœlites, nihilominus Pulcra eris.* Sensum explicat Turnebus; lectionem confirmant Mss. in quis, *Pulcra res*, et *pulcre eres*, levi errore.

No. 153. 1 *Omnipotens*] Matutinæ precationis divinum Carmen est, et quo haud scio quempiam elegantius scripsisse hactenus, vixque etiam crediderim, alterius, quam Ausonii eruditione versibus consecrari talibus ea tempestate potuisse. In Particula tamen Ms. exemplaris Hieronymi Aleandri, Paulinus Episcopus, non Ausonius, ejus author inscribitur. Cujus testimonio neque protinus accedendum, neque non diutius considerandum. *Accursius.*

4 *Cujus formamque modumque*] Antisthenes apud Theodoretum: *Ἀπ' εἰκόνος οὐ γνωρίζεται, ὀφθαλμοῖς οὐχ' ὁρᾶται, οὐδενὶ ἔοικε· διόπερ αὐτὸν οὐδεὶς ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος δύναται·* Xenophon: *ὁ γοῦν πάντα σείων, καὶ ἀτρεμίζων, ὡς μέγας μέν τις καὶ δυνατὸς, φανερός· ὁποῖος δέ ἐστι μορφὴν, ἀφανής.* D. Cyprianus de Idolor. vanitate: 'quorum tamen præcipuus Sosthenes formam veri Dei negat conspici posse.' Prudentius in Agone Romani: 'Deus perennis, res inæstimabilis, Non cogitando, non videndo clauditur: Excedit omnem mentis humanæ modum, Nec comprehendi visibus nostris valet.' Videatur et initium Apotheosis, quæque Apuleius in Apologia, et in Notis Pricæus pag. 153.

8 *Rebus caussa*] Melius vett. libri, *Caussa ipse creandis.* Plotinus in proœm. lib. de Provid. *Οὕτω δὴ ἐξ ἑνὸς ΝΟΥ καὶ τοῦ ἀπ' αὐτοῦ ΛΟΓΟΥ ἀνέστη τόδε πᾶν, καὶ διέστη.*

9 *Ipse Dei verbum*] Prudentius in Agone Romani: 'Verbo creavit omniformem machinam, Virtus Paterna semper in verbo fuit.' Tertullianus in Apologetico, c. XXI. 'Apud vestros quoque sapientes ΛΟΓΟΝ, id est, sermonem atque rationem constat artificem videri universitatis.' Justinus Martyr. adhort. ad Græcos, pag. 12. Lactantius IV. 9.

13 *Per quem facta omnia*] Ex principio Evangelii Joannis Apostoli. *Vinetus.*

Cujus In cœlo solium] Malim: *cujus Est cœlum solium:* licet enim vulgata defendi possit ex istis Psalmi CIII. 'In cælo paravit Dominus sedem suam:' videtur tamen Ausonius illa Esaiæ respexisse, quæ cap. LXVI. leguntur: 'Cælum sedes mea est, dicit Dominus; terra autem scabellum pedum meorum.' Quæ et Actorum c. VII. repetuntur. Sed et Servator noster Matth. v. per cælum jurare vetat, 'quia thronus Dei est.' Imo

[redacted]

am hic me optimus somnus premit, opprimitur glis.'

7 *Nimiaque tendis*] Haud ausim affirmare, verumtamen credibile videtur, fuisse olim Ausonio scriptum: *nim. cædis Mole saginam* sic ut oculos animumque intenderit ad illud Plauti in Mostell. 'Este, effercite vos, saginam cædite.' Sic et Ammianus Marcellinus lib. XXII. 'Ubi vindicandis potius, quam cædendis conviviis indulgebant.' Symmachus: 'Nam comitibus vestris, utpote sobriis, cædundæ saginæ cura posterior est.' Tertullianus de Cultu fem. c. 1. 'Satis igitur usæ estis divitiis atque deliciis: satis dotum vestrarum fructum cecidistis.'

13 *Annuam*] Non unum, sed triginta totos annos dormisse Endymionem fabulantur, et plus eo. *Vinetus.*

18 *Ne longus tibi somnus*] Mortis. Ne te verberibus excitem, occidam. Horatius libri tertii Carmine undecimo de Hypermnestra, qua nocte Danaides viros suos jugularunt: 'Surge, quæ dixit juveni marito, Surge, ne longus tibi somnus, unde Non times, detur. Socerum et scelestas Falle sorores.' *Idem.*

23 *Lesbii depelle*] Lege: *Lesbiæ depelle modum quietis.* Quia dicit ex Sapphica cantilena somnum nequam mancipio conciliari, propterea vocat Lesbiam quietem. *Scaliger.*

24 *Acer Iambe*] Quia iræ ac rabiei quasi minister et satelles est. Horatius in Arte: 'Archilochum proprio rabies armavit Iambo.' Terentianus Maurus: 'Adulta felle qualis ante Carmina Dabas amarus, ultor impetus tui.' Statius l. II. sylv. 'Seu dissona nectit Carmina, sive minax ultorem stringit Iambon.' Horat. l. I. Od. XVI. 'Me quoque pectoris Tentavit in dulci juventa Fervor, et in celeres Iambos Misit furentem.' Hinc et ἰαμβίζειν pro λοιδορεῖν dixere Græci, teste Proclo in Chrestomathia: cui contrarius Mart. Capella, qui lib. IX. 'Iambum' ἀπὸ τοῦ ἰαμβίζειν dictum putat. Uti et Aristot. de Arte Poëtica: διὸ, inquit, καὶ ἰαμβεῖον καλεῖται νῦν, ὅτι ἐν τῷ μέτρῳ τούτῳ ἰάμβιζον ἀλλήλους. Sed verior est Hesychii sententia, qui ἀπὸ τῆς Ἰάμβης, femina quadam, ἰαμβίζειν derivatum refert; de qua et Proclus.

No. 152. 2 *Et linteam da sindonem*] Quam nunc nos camisiam vocitamus, sicut et Eginardus appellavit in eo, quod ante annos septingentos et quinquaginta scripsit de Carolo Magno Francorum rege. Græcum est σινδὼν, et 'Tunicam linteam,' interpretatur vetus Glossarion. Sed vide de hoc nomine quid Baifius de Re vestiaria, ex Evangelistis, Herodoto, Polluce, Martiale. *Vinetus.*

10 *Rei divinæ copia est*] Hæc ad sacrificium satis sunt, piæ preces, et vota innoxia, quæ 'aperta' Persius appellat: et in iis ponit mentem bonam, famam, fidem. Vide ejus Satyram ad Macrinum. *Idem.*

11 *Nec tus cremandum*] Libanius Orat. VII. pro Aristophane: Ἧκεν εἰς τὰ λείψανα τῶν ἱερῶν, κομίζων οὐ λιβανωτὸν, οὐχ' ἱερεῖον, οὐ πῦρ, οὐ σπονδήν· οὐ γὰρ ἐξῆν· ἀλλὰ ψυχὴν ἀλγοῦσαν, καὶ φωνὴν ὀδυρομένην, καὶ δεδακρυμένην, καὶ δακρύων ἀφορμάς: ubi legendum puto, καὶ ὄψιν δεδακρυμένην. Simile certe quid excidit.

18 *Spiritui*] Anapæstus, seu potius tribrachys pro iambo. Pro *Spiritui* tamen, *Spiritu* scripsisse potest Ausonius, ut ex iis disces, quæ scripsit de dativo quartæ declinationis Priscianus in extremo libro septimo. *Vinetus.*

Sociata sacro Spiritui] Scribe audacter, *Spiritu:* nec est, quod cum Vineto dubites. Ita et apud Nonium Auctores, quos male ablativum pro dativo usurpasse existimat. Lucillius: 'Quod sumptum atque epulas victu præponis honesto.' Virgilius, lib. VI. 'Teque adspectu ne subtrahe nostro.' Catullus in Nup-

[redacted]

tiis Pelei et Thet. ‘Præsentes namque ante domos invisere castas Sæpius, et sese mortali ostendere cœtu Cælicolæ nondum spreta pietate solebant.’ Vide et Pierium Valerianum in Virg. IV. Georgic.

22 *Paves nequicquam spes fides*] Erat hic versus in præstantissimo codice recentiore manu margini adscriptus: de sinceritate igitur dubito. Posset non incommode legi, *Pavetne quidquam spes, fides?* vel *Paventne.* Sic in festivissimo Poëta Anacreonte Stephanus et Faber, viri eruditissimi, frustra fuerunt, dum hunc locum emendare cupiunt, in Carmine de Columba: *Τίς ἐστί σοι μέλει δέ*; pro quo non recte reponunt, *Τί δέ σοι μέλημα τοῦτο*; ut apud Theocritum Eidill. XIV. *Τί δέ τοι τὸ μέλημα*; Scribe totum hunc locum: *Πόθεν μύρων τοσοῦτον, Ἐπ' ἠέρος θέουσα, Πνέεις τε καὶ ψεκάζεις; Τίς εἶς; τί σοι μέλει δέ*; Primi versus emendationem, in quo antea *τοσούτων*, adstruit locus Plutarchi in Vita Phocionis, ubi Demadi respondet: *Πάνυ γοῦν, ἔφη, πρέψειεν ἂν σοι μύρου τοσοῦτον ὄζοντι, καὶ χλαμύδα*, &c. Ultimi vero hic Diphili apud Athenæum lib. VI. *Πόθεν ἐστὶ ταῦτα πρὸς Θεῶν; τί δέ σοι μέλει*; Sic et in Catullo Carm. Nupt. ad Manl. et Juliam lege; *At marita tuum tamen Celites, nihilominus Pulcra eris.* Sensum explicat Turnebus; lectionem confirmant Mss. in quis, *Pulcra res*, et *pulcre eres*, levi errore.

No. 153. 1 *Omnipotens*] Matutinæ precationis divinum Carmen est, et quo haud scio quempiam elegantius scripsisse hactenus, vixque etiam crediderim, alterius, quam Ausonii eruditione versibus consecrari talibus ea tempestate potuisse. In Particula tamen Ms. exemplaris Hieronymi Aleandri, Paulinus Episcopus, non Ausonius, ejus author inscribitur. Cujus testimonio neque protinus accedendum, neque non diutius considerandum. *Accursius.*

4 *Cujus formamque modumque*] Antisthenes apud Theodoretum: *Ἀπ' εἰκόνος οὐ γνωρίζεται, ὀφθαλμοῖς οὐχ' ὁρᾶται, οὐδενὶ ἔοικε· διόπερ αὐτὸν οὐδεὶς ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος δύναται·* Xenophon: *ὁ γοῦν πάντα σείων, καὶ ἀτρεμίζων, ὡς μέγας μέν τις καὶ δυνατὸς, φανερός· ὁποῖος δέ ἐστι μορφὴν, ἀφανής.* D. Cyprianus de Idolor. vanitate: ‘quorum tamen præcipuus Sosthenes formam veri Dei negat conspici posse.’ Prudentius in Agone Romani: ‘Deus perennis, res inæstimabilis, Non cogitando, non videndo clauditur: Excedit omnem mentis humanæ modum, Nec comprehendi visibus nostris valet.’ Videatur et initium Apotheosis, quæque Apuleius in Apologia, et in Notis Pricæus pag. 153.

8 *Rebus caussa*] Melius vett. libri, *Caussa ipse creandis.* Plotinus in proœm. lib. de Provid. *Οὕτω δὴ ἐξ ἑνὸς* ΝΟΥ *καὶ τοῦ ἀπ' αὐτοῦ* ΛΟΓΟΥ *ἀνέστη τόδε πᾶν, καὶ διέστη.*

9 *Ipse Dei verbum*] Prudentius in Agone Romani: ‘Verbo creavit omniformem machinam, Virtus Paterna semper in verbo fuit.’ Tertullianus in Apologetico, c. XXI. ‘Apud vestros quoque sapientes ΛΟΓΟΝ, id est, sermonem atque rationem constat artificem videri universitatis.’ Justinus Martyr. adhort. ad Græcos, pag. 12. Lactantius IV. 9.

13 *Per quem facta omnia*] Ex principio Evangelii Joannis Apostoli. *Vinetus.*

Cujus In cælo solium] Malim: *cujus Est cælum solium:* licet enim vulgata defendi possit ex istis Psalmi CIII. ‘In cælo paravit Dominus sedem suam:’ videtur tamen Ausonius illa Esaiæ respexisse, quæ cap. LXVI. leguntur: ‘Cælum sedes mea est, dicit Dominus; terra autem scabellum pedum meorum.’ Quæ et Actorum c. VII. repetuntur. Sed et Servator noster Matth. v. per cælum jurare vetat, ‘quia thronus Dei est.’ Imo

[redacted]

et ὕπατος inde dictus Deus est, teste Aristotele lib. vi. de Mundo: τὴν μὲν ἀνωτάτω, καὶ πρώτην ἕδραν αὐτὸς ἔλαχεν· ὕπατος διὰ τοῦτο ὠνόμασται, καὶ, κατὰ τὸν ποιητὴν, ἀκροτάτῃ κορυφῇ τοῦ σύμπαντος ἐγκαθιδρύμενος οὐρανοῦ. Orpheus: Αὐτὸς δ' αὖ μέγαν αὖτις ἐπ' οὐρανὸν ἐστήρικται, Χρυσέῳ εἰνὶ θρόνῳ· γαίῃ δ' ὑπὸ ποσσὶ βέβηκε. Ita Theodoretus citavit, a quo tamen verbis, non autem sensu diversus Justinus Martyr in cohortat. ad Græcos.

18 *Gentes*] Eos, qui ex Judæorum genere non erant. Epistola Pauli ad Romanos. *Vinetus.*

19 *Stirpis adoptivæ*] Allusio ad ea, quæ in illa tractantur Epistola de oliva, oleastro, insitione. *Idem.*

Stirpis adoptivæ] Prudentius in Apotheosi vs. 338. adv. Judæos: 'Heu frondosa prius ramis felicibus arbor! Pinguibus heu quondam radix oleagina baccis! Ecce tibi inserto reviviscit nunc oleastro Truncus, et externi vestitur cortice libri,' &c.

20 *Cernere quem licuit*] Prudent. in Agone Romani: 'Hic se videndum præstitit mortalibus. Mortale corpus sumsit immortalitas, Ut dum caducum portat æternus Deus, Transire nostrum possit ad cœlestia:' et paulo post: 'Hinc nos et ipsum non perire credimus Corpus, sepulcro quod vorandum traditur. Quia Christus in se mortuum corpus cruci Secum excitatum vexit ad solium Patris, Viamque cunctis ad resurgendum dedit.'

Quo numine viso] Filio. Sic enim ille in Evangelio Joannis ad Philippum: ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα. Porro precationes hæ Ausonium Christianarum litterarum studiosum, valdeque peritum fuisse indicant. *Vinetus.*

21 *Contagia nostra*] Ex priore Epistola ad Corinthios, de mortuo Christo pro peccatis aliorum, et de Resurrectione mortuorum. *Idem.*

36 *Quos letifer*] Tertullianus in Apologetico: 'Operatio dæmonum est hominis eversio: sic malitia spiritalis a primordio auspicata est in hominis exitium.' D. Cyprianus de Idolor. Vanit. 'Spiritus insinceri et vagi, qui posteaquam terrenis vitiis immersi sunt, et a vigore cælesti terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere, et depravati errorem pravitatis infundere.' Idem postpaullo: 'Hæc est de illis medela, cum ipsorum cessat injuria: nec aliud his studium est, quam a Deo homines avocare, et ad superstitionem sui ab intellectu veræ religionis avertere: et cum sint ipsi pœnales, quærere sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerunt errore participes.'

44 *Si lapides non juro Deos*] Antiquorum idola significare videtur ad contemptum, ut et ea, et finales terminorum 'lapides' Lucret. vocat lib. v. 'Nec pietas ulla est, velatum sæpe videri Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras.' Sic 'stipitem ligneum' idolum dixit Prudentius hymno x. *Turnebus.*

Si lapides non juro Deos] Id est, si lapidea simulacra non pro Diis habeo, vel colo. Fortassis etiam ad 'Jovem lapidem' respexit. 'Jovem' enim 'lapidem jurare' sanctissimum olim jusjurandum fuisse habitum, testatur Favorinus apud A. Gell. l. i. c. xxxi. Simili ad illum allusione D. Augustinus l. ii. Civ. Dei, c. xxix. 'Illic enim,' inquit, 'tibi non Vestalis focus, non lapis Capitolinus, sed Deus unus et verus.'

Si lapides non juro Deos] Particula *si* veteres in obtestatione utebantur. Prudent. in Pass. S. Vincent. 'Si rite sollemnem diem Veneramur ore ac pectore: Si sub tuorum gaudio Vestigiorum sternimur.' Horatius lib. iii. Od. xviii. 'Si tener pleno cadit hœdus anno, Largo nec desunt Veneris sodali Vina cratere.' Idem Satyr. vi. l. xi. 'Si neque majorem feci ratione mala rem, Nec sum fac-

turus vitio culpave minorem:' et in Carmin. sæculari: 'Supplices audi pueros Apollo, Roma si vestrum est opus.' Sæpissime apud Terentium reperias: ut et apud Ovidium lib. III. Fastor. vers. 810. et in Passione S. Perpetuæ, pag. undecima.

46 *Deique Unigenæ*] Scripserunt alii, *Unigeni*. Atque ego utique Ciceronem scio Mundum appellasse 'unigenum' in libro de Universitate. 'Hoc ipso,' inquit, 'quod solus atque unus, idcirco singularem Deus hunc Mundum atque unigenum procreavit.' Neque tamen ob id primam lectionem reor immutandam. Græca enim dictio *μονογενὴς*, quæ nostris unicus, unigenus, et vel unigenitus convertitur, cur non etiam *unigena* communi præsertim, quo Græca, dici possit elegantius, quoque modo dicimus, Saturnigena, Martigena, Soligena? *Accursius.*

47 *Mistumque duobus*] Absurde dicitur Spiritus Sanctus mixtus esse patri et filio. Corrige: *Missumque duobus.* Ecclesia orthodoxa credit et docet, Spiritum Sanctum a Patre et Filio emitti. *Grævius.*

Missumque duobus] Τὸ *mistumque*, quamvis mihi non probetur, defendi tamen istis versibus potest, quos Serapis Thuli regi Ægyptiorum oraculum consulenti reddidisse fingitur: Πρῶτα Θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς· Σύμφυτα δὲ τρία, πάντα καὶ εἰς ἓν ἰόντα. Celeberrimi Grævii conjecturam stabilit Prudent. hymno VI. Cathemer. 'O Trinitatis hujus Vis una, lumen unum, Deus ex Deo perennis, Deus ex utroque missus.' Ἐκπορεύεσθαι Græcis dicitur Spiritus Sanct. ex Patre et filio: qui tamen inter se, et a Romana Ecclesia dissentientes, gravissimis turbis et noxio schismati causam præbuere, Spiritum S. ex Patre 'per filium,' non 'ex filio' procedere docentes. Vide de his Possinum in Notis ad Pachymerem, et Montacutium in Photii Epist. 2.

52 *Si scelere abstineo*] Alter Voss. *sceleri:* utrumque bonum. Plaut. 'Abstine isti hanc tu manum.' Horatius Græco more cum Genitivo junxit.

Errori obnoxius] Licet ita legi possit, ut collisio non admittatur, ex vetusto tamen Codice, conjunctione addita, libentius scripserim, *errorique obnoxius:* ut scelere abstinuisse intelligatur, etiam errori obnoxius. Facit hoc humana fragilitas, ut sit in scelera proclivior lapsus, præsertimque his, qui non procul negotiis degunt, quorumque exercenda vita est, pieque rerum discrimina versanda. Qua ergo coërceri eos pœna crediderimus, qui semoti a curis atque (ut ipsi videri volunt) a mundo, Dei contemplationem ambitionibus, publicisque muneribus ac plerumque improbis posthabent? Nimirum, ut nec vita functi Mundi beneficio dignentur. *Accursius.*

Errori ipse obnoxius] Durissimus hic versus, et vix inter Ausonianos admittendus, nisi cum scriptis τὸ *ipse* expungas: hiatum vero in penthemimeri non est quod reformidemus, quum tot sint exempla. Sic in Culice Virgilii sæpissime deprehendas, tamen etsi alicubi contra Ms. fidem suppletus sit, ut versu 123. ubi pro *Aëriæ platanus, inter quas impia lotos*, plerique scripti *platani* præferunt: Aldina vero editio ad versum fulciendum, *inter quas erat impia lotos.*

57 *Patiturque suos*] Anchises libro sexto Æneidos: 'Quisque suos patimur manes.' ubi 'manes' alii supplicia, alii aliud accipiunt. Turnebus capite primo libri vigesimi secundi Adversarior. *Vinetus.*

71 *Miracula terræ*] Non mirer, sed contemnam hæc terrena caducaque, ut somnians audivit Scipio apud Ciceronem. *Vinetus.*

72 *Suprema mihi cum venerit hora*] In quibusdam scriptis est, *dies* (vel

[redacted]

diis, vitiose pro *dii*) qui genitivus antiquus quinctæ declinationis. Adi Servium ad vers. 208. lib. I. Georg. et Gellium lib. IX. cap. 13. 14. Ipsum vero hemistichium debetur Tibullo, qui lib. I. El. 1. 'Te spectem, suprema mihi quum venerit hora.'

73 *Nec timeat mortem*] Infra in Sapientibus Periand. 'Mortem optare malum, timere pejus.' Martialis lib. X. Ep. 47. 'Summum nec metuas diem, nec optes.'

82 *Et vero verum*] Corrigendum *ex vero verus, de lumine lumen*, ut est in Ms. Codice, et in Apostolorum Symbolo *φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ*. Mariang. Accurs. Optime: et ita in meliore Vossiano, quod Vineti diligentiam fugit. Adde et geminum huic locum in versibus Paschalibus: 'Concedis terris totum similemque, paremque, Ex vero verum, vivaque ab origine vivum.' Paulo aliter Sedulius lib. I. 'At dominus verbum, virtus, sapientia, Christus, Et totum commune patris de lumine lumen, Ex solo solus.' Gregor. Nazianzenus: *Σὲ καὶ νῦν εὐλογοῦμεν, Χριστέ μου, λόγε Θεοῦ, Φῶς ἐκ φωτὸς ἀνάρχου*. Prudentius in Agone Romani, de Deo Patre: 'Lux ipse vera, veri et auctor luminis, Cum lumen esset, lumen effudit suum. Ex luce fulgor natus est hic Filius. Vis una Patris, vis et una est Filii, Unusque ab uno lumine splendor satus Pleno refulget claritatis lumine:' et in Apotheosi: 'Totus et ex toto Deus est, de lumine lumen.' Tertullianus in Apologetico, cap. 21. 'Ita de spiritu spiritus, et de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum.' Justinianus tit. I. Cod. 'Deum de Deo, lumen de lumine:' et deinceps: 'Ex Deo vero Deum verum:' atque ita Concilium Nicænum, Photius Epist. I. Victor. pag. 26. Persecut. Vandal.

84 *Consona quem celebrant*] Retinendam hic veterem lectionem censebam, tametsi liber antiquissimus dissentiret: quum et Ethnicos parem ritum celebrasse constaret. Apulei. lib. XI. Miles. 'de sublimi suggestu, de libro, de litteris fausta vota præfatus: PRINCIPI MAGNO, SENATUIQUE, ET EQUITI, TOTOQUE ROMANO POPULO, nauticis, navibus, quæque sub imperio mundi nostratis reguntur, renuntiat, sermone rituque Græciensi, ita ΛΑΟΙΣ ΑΦΕΣΙΣ. Quam vocem FELICITER cunctis evenire signavit Populi clamor insecutus.' Verumtamen antiqui codicis lectioni plurimum patrocinari videntur illa Paullini in Nicetam: 'Præcinet cunctis tuba ceu resultans Lingua Nicetæ modulata Christum: Psallet alternis citharista toto Æquore DAVID. Audient AMEN tremefacta cete.' Videtur ad hunc ritum respicere Constantinus Porphyrog. in Vita Basilii Macedonis: *Καὶ ὅτε μὲν μυστηριώδης δῆθεν εὐχὴ ἐλέγετο, ἠρέμα τὰς κιθάρας ἔδει ὑποφωνεῖν. ὅτε δὲ ἱερέως ἐκφώνησιν, ἢ ΛΑΟΥ ἀμοιβαίαν ἀπόκρισιν ὁ χρόνος ὑπέβαλεν, ἐπὶ μέγα τὰς κιθάρας τῷ πλήκτρῳ κρουόμενας ἔδει ἠχεῖν*. Nec non Prudentius in Passione Vincentii: 'Psallentis audit insuper Prædulce Carmen martyris: Cui vocis instar æmulæ Conclave reddit concavum.' Historia conversionis S. Afræ: 'et dum orationem finisset, jussit nos sibi respondere, et dicere AMEN.' Vide quæ Justin. Martyr Apologetico secundo. B. Chrysostomus Homil. XXXV. Passio S. Perpetuæ et Felic. p. 10. Ritus autem iste τοῦ Amen respondendi e veteri lege deductus ac derivatus est, ut e Deuteronomii cap. 27. vers. 26. patet. Alius est ille Antiphonarum, quamquam persimilis, cum extrema canticorum, vel ipsa cantica divisa per amœbæas responsiones occinuntur. Qui ritus in Orientali Ecclesia quando vel ortus, vel celebratus sit, Eusebius in Histor. Eccles. et ex eo Nicephorus Callistus lib. II. cap. 16.

et lib. XIII. cap. 9. te docebunt. In Occidentali Ecclesia primus Mediolani D. Ambrosius instituit, cum a Justina oppugnatus per aliquot dies cum populo in Ecclesia detineretur: D. Augustinus lib. IX. Confession. Psalmos autem alternis cantari primus Flavianus Antiochiæ Episcopus jussit, teste Cedreno pag. 249. Edit. Xylandri. Meminit item Antiphonæ in S. Eucharistia a plebe celebratæ B. Cyprianus in tractatu de precat. Dominica.

85 *Et responsuris*] Vetus hic Ecclesiæ Christianæ mos, cujus meminit ipse quoque Paulus in Epistola priore ad Corinthios. *Vinetus.*

No. 154. 2 *Quamvis satis n. reis*] Lego, *rei Fiat precatu Numini.* Quamvis, inquit, Numini sive Deo nunquam satisfiat precatu rei: quanquam homo peccator nunquam satis Deum possit precari. *Gronovius.*

4 *Habitum forensem*] Togam, cujus in causarum foro est usus. In Urbe autem Romani toga utebantur, in primisque causarum actores, et qui amicos potentioresque salutatum ibant, ac aliquo deducebant. Sed plura de Toga Budæus, et Baifius. *Vinetus.*

No. 155. 5 *Sex enim convivium cum rege*] De hoc vide Aulum Gellium libro tertio decimo, Athenæum in principio libri primi, et Erasmum in Adagio, 'Septem convivium.' *Vinetus.*

Sex enim convivium] Ea de causa taxat Capitolinus convivium Veri Imperatoris, in quo XII. accubuisse dicebantur; 'quum sit notissimum dictum de numero convivarum, Septem convivium, novem vero convitium.' Vide Gell. lib. XIII. cap. 11.

No. 156. *Quoqui*] Coqui. Vid. Not. ad Monosyll.

2 *Ad quinctam flectitur umbra notam*] 'Quinctam solarii lineam' dixerat Persius in Satyra tertia. In quem locum, quæ nos scripsimus, et in scholio quodam in Sacroboscanum de dierum et horarum generibus, hunc etiam Ausonii locum de suæ diei horis explicare poterunt. Veteres enim illi diem naturalem, hoc est, tempus ob oriente Sole usque ad occidentem, seu brevis esset, seu longa, in duodecim horas dividebant, quarum prima cum ortu Solis incipiebat. Sextam meridies, duodecimam Solis occasus finiebat. Quam itaque dicit Ausonius quartam diei horam, hæc decimæ nostræ Gallicæ, Germanicæ, Hispanicæ antemeridianæ fere respondet. Circiter quam et nos prandere solemus. Sed de prandio et cœna, deque eorum temporibus, multa Rhodiginus et Alexander ab Alexandro. *Vinetus.*

Ad quintam, &c.] Sidonius Apollinaris lib. II. Epist. 9. 'Ecce et ab Archimagiro adventans, qui tempus instare curandi corpora moneret: quem quidem nuncium, per spatia clepsydræ horarum incrementa servantem, probabat competenter ingressum quinta digrediens.'

No. 157. 1 *Quadrupedum, et volucrum*] Versus hic tametsi priori, 'Vibranti lambat,' pro ejus pentametro junctus continuatusque erat in exemplari, tamen Scholion eadem manu, acutiore tantum calamo, in margine appictum, quod huc descripsissem, si totum potuissem legere, deesse superiori elegiaco finem, et huic heroico initium, monebat. Ego vero non tantum quas dicit portiones, verum etiam multa alia Carmina hic tota desidero, si quomodo cœperat Ausonius, universa suæ diei acta diversis Carminum generibus fuerat persecutus. Continuata ergo ab oriente Sole in occasum Ephemeride, quantulacunque sit hæc ejus portiuncula, postremo Carmine Ausonius de iis questus est, quæ noctem plerumque hominibus molestam reddunt, de somniis, et eorum visis. *Vinetus.*

4 *Nunc fora, nunc lites*] Lucretius

[redacted]

lib. IV. 'Et quoi quisque fere studio devinctus adhæret; Aut quibus in rebus multum sumus ante morati, Atque in qua ratione fuit contenta magis mens, In somnis eadem plerumque videmur obire: Caussidici caussas agere, et componere leges; Induperatores pugnare, ac prælia obire: Nautæ contractum cum ventis cernere bellum.' Eadem ferme, aut saltem non multum diversa, reperies apud Petronium in Satyrico, Theocrit. Eidyll. XXII. Ciceronem lib. I. de Divin. c. XXIX. et lib. II. c. LXII. Herodotum l. VII. c. XVI. Basilium M. homilia in Julittam martyra, Prudentium Cathemer. hymno VI. deque somniorum generibus quædam apud Macrobium lib. I. c. III. et Augustinum lib. de spir. et anima cap. 24.

Lati modo pompa theatri] Lege, *lati modo pompa theatri.* Eo enim se conferebant, ut ludis et spectaculis se oblectarent. *Grævius.*

6 *Lacerat nostros*] Mihi videor a leone aut aliqua alia bestia laniari, ut ad bestias damnatorum aliquis. *Vinetus.*

8 *Per mare navifragum*] D. Hieronymus Apol. I. adv. Ruffinum: 'Quoties vidi me esse mortuum et in sepulcro positum, quoties volare super terras, et montes ac maria natatu aëris transfretare? Cogat ergo me non vivere, vel pennas habere per latera, quia vagis imaginibus mens sæpe delusa est.' Plura de somniis, (nam in iis totus est) eruditissimus nugator Artemidorus in Onirocriticis.

10 *Infandas etiam veneres*] Aliqua de his legere est apud Pseudo-Justinum Martyrem, quæst. XXI. ad Orthodoxos, et D. Augustinum lib. X. Confessionum.

11 *Cœtus*] Coitus, ut in Epigrammate LXXI. 'Tragicos' autem dicit nefarios et sceleratos, de quibus facinoribus sumuntur Tragœdiarum argumenta. *Vinetus.*

16 *Minuiscunt crimina somni*] Ita legendum: Male hodie, *et profugi munus: cum crimina somni.* Scaliger.

22 *Divinum vatem*] Virgilium sexto Æneidos: 'In medio ramos, annosaque brachia pandit Ulmus opaca, ingens: quam sedem somnia vulgo Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus hærent.' *Vinet.*

24 *Et geminas numero portas*] Sophocli δισσοὶ ὄνειροι dicuntur in Electra, quod ambiguam habeant interpretationem. Et ita quoque geminæ somni portæ possent explicari: nam non tam falsa sunt, quam videntur, ut vult Artemidorus; verum non recte explicantur; imo quædam nec somnia sunt. Lucianus autem et auream somniorum portam in Gallo confinxit.

Quæ fornice eburno] Idem poëta [Virgilius] in extremo eodem sexto [Æneid.]: 'Sunt geminæ somni portæ, quarum altera fertur Cornea,' &c. ex undevicesimo Odysseæ. Quæ quid sint, quærunt poëtarum interpretes, et Macrobius *in priore* commentario in Somnium Scipionis, et Lilius Gregorius de Diis. *Vinetus.*

32 *Et gaudia controversorum*] Sic fuit in exemplari: sed una syllaba versus est longior, quam debeat: *controversa* legi posset. *Controversum* secundam quoque producit syllabam in Edyllio nono, sed *controversia* corripit in Phalæcio Sidonii Apollinaris, libri octavi Epistola undecima. *Idem.*

36 *Lunares polos*] Cælum et Sphæram Lunæ: quando Luna ita vobis placet, ut non nisi cum ea, et noctu cernamini. Habitari autem in Luna aiebat Xenophanes: 'eamque esse terram multarum urbium et montium.' Cicero in Lucullo. *Idem.*

42 *Hunc lucum*] Unica somniorum ulmus apud Virgilium. Liberalior Ausonius, nemus plurimarum ulmorum totum illis pollicetur, et devovet. *Idem.*

[redacted]

PARENTALIA.

No. 158 *Ab Numa*] Secundo Romanorum rege. Ovidius secundo Fastorum, Macrobius, Censorinus. *Vinetus.*

Inferiis] Inferias definit Festus sacrificia, quæ Diis Manibus inferebantur. Vetus interpres Virgilii, sacra mortuorum, quæ inferiis solvuntur. *Idem.*

No. 159. 1 *Funere justo*] Ut Justa plurali numero dicuntur exequiæ, inferiæ, parentalia, sacrificia, quæ mortuis impenduntur, et funerandi solemnitas. Budæus in Annotationibus et Commentariis Græcis. *Vinetus.*

5 *Nænia*] NÆNIAM definit Nonius Marcellus, ineptum et inconditum Carmen, quod adducta pretio mulier, quæ præfica diceretur, iis, quibus propinqui non essent, mortuis exhiberet. Sed de hoc verbo plura Festus. *Idem.*

6 *Annua munera*] Justa, quæ quotannis persolvere mortuo debeas. Virgilius de Daphnide in quincto Bucolico, et de Anchise libro quincto Æneidos. *Idem.*

9 *Hoc satis et tumulis, satis et*] Scribentium error, aliquoties a me castigandus, locum hunc deturpavit. rescribe igitur: *Hoc satis et tumuli, satis et telluris egenis.* Nam tumulis non satis erat ciere mortuorum nomina, sed tumulo et tellure carentibus: ut hic litera superest, ita in Frontino deesse videtur, lib. I. Stratag. c. II. v. 'M. Cato in Hispania, qui ad hostium consilia alia via pervenire non poterat, jussit trecentos,' &c. Credo corrigendum, *quia ad hostium, &c.* Vide porro quæ ad Protrepticon notavimus. Sed ubi locum accuratius examino, nihil mutandum videtur. Nam *tumulis* pro tumulatis, sive sepultis posuit Ausonius: et sequens versus ad partem tantum posteriorem referendus est, ut sit sensus: tam sepultis, quam non sepultis satis est, si nænia officiosa quotannis recolas. Imo, 'Voce ciere animas' (necdum adhuc humo contectis) 'funeris instar habet.'

10 *Voce ciere*] Idem et in Coronide libri de Professoribus. Locum autem hunc Turnebus, in capite decimo libri vicesimi secundi, et duodevicesimi tricesimo secundo Adversariorum, cum aliquot Homeri et Virgilii locis contulit. Virgilius tertio Æneidos: 'Animamque sepulchro Condimus, et magna supremum voce ciemus.' In eodem: 'Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat Hectoreum ad tumulum.' In sexto: 'Tunc egomet tumulum Rhœteo in litore inanem Constitui: et magna Manes ter voce vocavi.' Ulixes apud Homerum de suis sociis, quos Cicones interfecerant: *Οὐδ' ἄρα μοι προτέρω νῆες κίον ἀμφιέλισσαι, Πρίν τινα τῶν δειλῶν ἑτάρων τρὶς ἕκαστον ἀῦσαι, Οἳ θάνον ἐν πεδίῳ, Κικόνων ὕπο δηϊωθέντες.* In quem locum, quæ memoret Eustathius de prisco more, legere poteris: et quæ Joannes Tzetzes in historiis. *Vinetus.*

Voce ciere animas] Propertius l. I. Eleg. XVII. 'Illa meum extremo clamasset pulvere nomen, Ut mihi non ullo pondere terra foret.' Theocritus Eidyll. XXIII. *Χῶμα δέ μοι κοίλανον, ὃ μευ κρύψει τὸν ἔρωτα. Κὴν ἀπίῃς, τόδε μοι τρὶς ἐπάϋσον, Ὦ φίλε κεῖσαι.*

Funeris instar habet] Vocare animas mortuorum, est pro funere, pro tumulo, et sepultura. *Vinetus.*

13 *Defuit urna sepulchri*] Qui sit 'telluris egenus,' ut supra dixit, et inhumatus: sicut Palinurus sexto Æneidos, et in extremo quincto. *Idem.*

18 *Et præter justum*] Funus senile. *Idem.*

Præter justum] Non plane ἀλόγως *nostrum* hariolatus sum. Vovet enim

[redacted]

præter ista funera Lector nulla ut fleat. Cum *præter justum*, nescio quid injusti inferat: licet enim, quæ ordine mortalitatis non turbato funera fleantur, justa dici possint, tamen flenda ea vovere habet aliquid absonum. Et multa præterea in hoc libro funera flentur, quæ juste ea ratione flentur: par omnino conjecturæ sententia in veteri Epidoti tapho, a nobis laudato; et apud Martialem lib. VI. Epigr. XXVIII. 'Qui fles talia, nil fleas, viator.' *Barthius.*

No. 160. 2 *Et si cunctetur filius*] Mœrore et desiderio. *Vinetus.*

4 *Undecies binas Olympiadas*] Octoginta octo annos. Est enim 'Ολυμπιὰς quadriennium. Nonaginta tamen annos vixisse dicitur Julius Ausonius in Epicedio. *Idem.*

8 *Tam moderata illi*] Seneca Epistol. XX. 'Huc ergo cogitationes tuæ tendant; hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, ut contentus sis temetipso, et ex te nascentibus bonis. Quæ potest esse felicitas Deo propior?'

12 *Non rudis ingenio*] Sic video edi, quasi τὸ 'Præditus' sit conjungendum cum versu præcedenti. Sed quis ita loquitur: 'non rudis ingenio præditus?' certe cum voce 'ingenio' finitur sententia, et post eam vocem τελεία ὑποστιγμὴ ponenda. Non suavius tamen, 'Præditus porrigere.' Nisi id confirmare velimus eo quod in Profess. v. 'Carere cultu præditus.' Sed verisimile Scaligeri, *Canore, cultu præditus.* Canore, pro *canorus*, ut quæ Scaliger notat, et ἱππότα Νέστωρ. Conjicio: *Providus et vitas hominum ratione medendi Porrigere, et fatis amplificare moras.* Gronovius.

17 *Ut nullum*] Julius Ausonius medicus nullum Antiquorum in curandis morbis sequebatur, non Hippocratem, non Galenum, non alium quenquam. Marcellus autem Empiricus hunc Ausonium de re medica scripsisse tradit: nisi sit alius hic Ausonius: remediumque præscribit Isciadicis, Arthriticisque: quo fuisse sanatum eundem Ausonium medicum refert. *Vinetus.*

No. 161. 1 *Proxima tu genitrix*] Scribebat et hic et plerumque alibi vetus liber, *genetrix.* Nec aliter Pierius Valerianus in optimis Virgilii membranis invenit, cujus hæc sunt verba: 'Cæsariem nato genitrix.' In Romano codice *Genetrix* media syllaba per E passim scriptum invenias. Eandem scribendi rationem in titulis Antiquorum marmoreisque monumentis non semel observavi, quinetiam in nummis, qui fuerint eruditis adhuc sæculis cusi, utpote Juliæ Piæ. Ubi Venus est læva hastæ innixa, dextra exporrecta cum inscriptione, 'Venus Genetrix.' Vidimus autem Romæ scriptum *Genetrix* per E non uno loco: et ne quis inscriptiones ut jam obsoletas exigat, animadvertendum est Probum Grammaticum non temere observasse, *Genitor* per I, et *Genetrix* per E, scribi: non ita autem in *Monitor*, et *Monitrix*, quorum utrumque per *i* scribi constet.

2 *Tarbellæ matris*] Tarbelli inter Aquitanas gentes recensentur Plinio: qui Aquitaniam vocat eam Galliæ partem, quæ est inter fluvium Garumnam et montes Pyrenæos. Ptolemæus secundo Geographicon eos collocat inter eosdem Pyrenæos, et agrum Burdigalensem: Strabo libro quarto, Lucanus in primo, et Ausonius in quarto hujus libri Carmine, ad Pyrenæum, et Oceanum. Idem rursus Ptolemæus et incerti auctoris Carmen de Ausonio, Aquas etiam Augustas, quod parvum oppidum, sed perquam vetus, ut in carmen de Burdigala meminimus, hodie *Acs*, ab Latino illo Aquarum vocabulo nuncupatur, Tarbellis assignant. Idem Ausonius Tarbellum vocat fluvium Aturrum in extremo Mosella: qui Aturrus per Tarbam Bigerronum Metropolim, Aquas Augustas, et Bajonam, in Oceanum exit; ac Tarbel-

[redacted]

lum Oceanum in Carmine hujus libri quarto, in quem Aturrus influit. Et quam diximus Tarbam, nemo non putat ab istis veteribus Tarbellis nomen adhuc retinuisse, quantumcunque gentis alterius hodie caput habeatur. Ex his ergo liquere arbitror, qui nunc Tarbienses, Bearnenses, Aquenses, Bajonenses, nuncupantur, omnes hos quondam Tarbellos fuisse appellatos. *Vinetus.*

Patris et Æduici] Sunt Ædui, quorum antiquissimum oppidum Augustodunum, nunc *Autun* vocitatur, apud Sequanos, et in ea Galliæ parte, quæ Burgundia appellatur. *Idem.*

6 *Lætaque serietas*] Hilaris et jocosa gravitas, severitasve. Ab eo quod est serius, apud vetustiores Latinos mihi nondum lectum hoc denominativum. Sidonius Apollinaris in libri primi Epistola nona: 'Post nuptias Patricii Ricimeris tandem reditum est in publicam serietatem:' et in Narbone: 'Risus, serietas, dicacitates.' *Idem.*

No. 162. *Æmilius Magnus Arborius*] Quisquis ille sit Arborius, cujus mentionem facit Severus Sulpicius in Vita Sancti Martini, duo celebrantur Ausonio Arborii, pater et filius. Pater, Cæcilius Argicius Arborius, Ausonii avus maternus, de quo est Carmen quartum. Filius vero Æmilius Magnus Arborius, avunculus Ausonii, Rhetor, de quo est hoc Carmen tertium, et septimum decimum de Professoribus, quique post in vicesimo primo memoratur. Huic se semper ab incunabulis tam carum fuisse scribit Ausonius, ejusque tam multa in se agnoscit merita, ut dubitet, utrum anteponere debeat, patrem an avunculum. *Vinetus.*

2 *Dicere sed rea fit*] Ita vetus liber concipit: et hunc sensum habet. Si dico, Tertius Arborius, est rea pietas: non est ex pietatis officio. Nam primo loco ponere debui. *Scaliger.*

Dicere sed rea fit] Sic in Ms. esse testatur, quamquam hoc quid sit, aut quomodo cum eo, quod sequitur cohæreat, non satis videre se fateatur bonus Vinetus. Explicandum est igitur: sed eadem, inquit, pietas, quam colui patre ac matre primis appellatis, in me 'fit rea' debitrixque dicendi: 'Tertius:' atque omnibus aliis, cum a parentibus discessi, præponendus est 'Arborius.' 'Fit rea,' obligatur aut tenetur, ut Jurisconsulti loqui solent, necesse habet. Sic et in Jure 'debendi reus.' *Gronov.*

Dicere sed rea fit] Non intelligo: quid si? *Diceris, et rea fit, tertius Arborius.* Pietas culta in matre patreque fit rea, dum tu, Arbori, tertius diceris. Solet Noster vocativos et nominativos confundere: vel, *diceris (rea fit).*

3 *Quanquam patre secundus erit*] Puto melius: *quanquam a patre secundus erit.* 'Secundus alicui,' 'ab aliquo,' et 'ad aliquem' legi, nondum tamen, quod sciam, 'secundus aliquo.' Verumtamen ἀναλόγως ita loqui licere crediderim: cur enim magis probum, 'alium sapiente bonoque,' apud Horatium? ubi eadem præpositio ἐλλείπει.

7 *Unanimus genitoris*] Uno atque eodem animo, singularique concordia cum patre meo. Idem vocabulum in villula Ausonii. *Vinetus.*

11 *Te sibi Palladiæ*] Tolosanos et Narbonenses omnes eloquentia et bene dicendi scientia superasti. Aquensis ergo civis, uti puto, Æmilius Magnus Arborius, Tolosæ aliquando egit, ut ex eo quoque altero Carmine de illo cognosces. Quo tempore Ausonium puerum, quem unice diligebat, sororis suæ Æmiliæ Æoniæ filium, secum habebat, ut arbitror, et instituebat. Unde quum inter Urbes claras Tolosam celebraret Ausonius, eam sui altricem dixerit. Quod autem ad 'Palladiæ' epithetum attinet, quod et in Carmine XVII. de Professoribus invenies, quum 'Palladiam' dixisset ante Ausonium sæculis aliquot Martialis poëta Epi-

[redacted]

grammate centesimo primo libri noni: 'Marcus Palladiæ non inficianda Tolosæ Gloria, quem genuit pacis amica quies:' scripserunt ejus interpretes sic eam ideo appellasse, quod tum ibi studia litterarum, sicut et nunc, colerentur. Palladem enim artium sapientiæque Deam et præsidem Veteres crediderunt. Sed sicut Athenæ fuerunt Palladiæ quoque appellatæ, ut Ovidio libro septimo Metamorphoseon: 'Palladiasque ineo non cognoscendus Athenas,' quod urbem suam a Pallade conditam jactarent Athenienses, et eam persancte colerent, sic potest et Tolosa Martiali, Ausonio, Sidonio, Palladia ab eadem Dea sua esse appellata. Minervam namque, quomodo illam Latini vocant, quam Græci Παλλάδα, unum ex præcipuis Tolosanorum numinibus olim fuisse, mihi videtur innuere Sidonius Apollinaris, quum in Sapphico ultimæ Epistolarum sic scribit de divo Saturnino: quem primum ac summum suum, ut ait Gregorius Turonensis, sacerdotem, circiter annum a Christo nato ducentesimum quinquagesimumque Tolosani in media sua Tolosa occiderunt: 'Quem negatorem Jovis, ac Minervæ, Et crucis Christi bona confitentem, Junxit ad Tauri latus injugati Plebs furibunda.' *Vinetus.*

Toga docta Tolosæ] Per togam intelligit professionem Rhetoricæ Latinæ: sic alibi: 'Palladiæ toga te primum venerata Tolosæ.' *Scaliger.*

14 *Quæque*] Et quæ fora erant Novempopulis. Qui autem sint hi NOVEMPOPULI, patria scilicet Staphylii Rhetoris, inter Professores Burdigalenses vicesimo Carmine decantati, quærendum, Auscorumne Metropolis, an aliqui alii. Aquitaniam quum inter fluvium Garumnam et montem Pyrenæum constituissent Julius Cæsar et Pomponius Mela, Auscos nominavit ille inter Aquitaniæ populos, qui Galliæ Narbonensi essent proximi: Mela vero, eos Aquitanorum clarissimos dixit: apud quos, urbium opulentissima esset Elusaberris, nomen varie depravatum in nostris veteribus novisque exemplaribus, sive hæc eadem sit cum Augusta, quam non multo junior Pomponio Ptolemæus 'Ausciorum Urbem' memoravit, sive diversa ab illa. Hanc nos hodie Aquitanicam gentem satis novimus: quos etiam pro Auscis 'Auscios' tribus syllabis Strabo et Ptolemæus: Sidonius Apollinaris lib. VII. Epist. VI. 'Auscenses' appellavit. Ceterum nomen suum illud priscum amisit eorum metropolis: Auscique nunc vulgo, id est, *Ausch*, gentis vocabulo nominatur. Quod autem Novempopuli dicti sint Ausci, auctorem habemus Ammianum Marcellinum: qui licet his tantummodo verbis ejus gentis meminerit in extremo libro quinctodecimo, 'Novempopulos Ausci commendant,' tamen ex iis satis cognoscimus, quos intelligat Ausonius Novempopulos, apud quos avunculus causas oraverit, nisi quod non adeo liquet, ipsane princeps Ausciorum urbs, an provincia sit eo nomine nuncupata: urbs nimirum illa, quæ intra sua mœnia novem aliquos populos, ut colonia, exceperit: provincia vero, in qua essent populi novem, qui sub Ausciorum imperio degerent. Atqui provinciam Auscensem, quæ nunc *Auxitania* in Pontificalibus litteris dicitur, sicut et *Auxitanus* ejus gentis Archiepiscopus, hanc ab istorum Novempopulorum vocabulo Novem-populanam provinciam apud Sextum Rufum, ac substantive Novempopuloniam in vetere provinciarum nomenclatore appellatam legimus, ubi recensentur plures duobus quam novem populi, quibus et eorum Episcopis Ausciorum Archiepiscopus jus dicit, Aquenses, Lactorates, Convenæ, Consorani, Boii, Beernenses, Aturenses, Bigerrones, Elloronenses, Ellosates. *Vinetus.*

15 *Hinc tenus Europam*] Hoc, quid

sibi velit, non video. 'Tenus' hic ablativum postularet: et Gallia Hispaniaque tam sunt in Europa, quam Thracia, in qua est Constantinopolis. *Idem.*

Hinc tenus Europam] Hoc nemo intelligit, nisi distinguatur, et legatur: *Hactenus Europam, fama crescente perito.* Subintelligendum ex versu præcedente *ornasti*, hanc nimirum Europæ partem Galliam et Hispaniam. *Græv.*

Hinc tenus Europam] Quemadmodum Asia et Africa singulæ suam minorem Asiam et Africam habent, ita et Europa suam Europam, in qua Constantini Urbs. Vide quæ de hoc loco Abr. Ortelius in Thesauro suo Geogr. Nec in majoribus id tantum mundi partibus usitatum, sed et in regionibus compluribus, ut in Italia, Græcia, &c. qua de re Notas Gothofredi consule, ad Auctorem Exegesios pag. 89.

22 *Dictasti fatis*] Vetus liber non habet *fastis*, sed *fatis:* quæ vera est lectio. Nihil enim hic ad Fastos Ausonianos. Sed allusum ad Veterum superstitionem, qui eo die, quo nomina pueris imponebant, 'fata scribenda advocabant.' Hoc est, ut puero bona omina captarentur, et ex nomine, et ex iis ominibus, quæ ab ejus horoscopo ad eum diem usque contigerant. Tertullianus: 'Omnes idololatria obstetrice nascuntur: dum adhuc ipsi uteri infulis apud Idola confectis redimiti genimina sua dæmoniorum candidata profitentur: dum in partu Lucinæ, et Dianæ ejulatur: dum per totam Hebdomadam Junoni mensa proponitur: dum ultima die fata scribunda advocantur.' Quem vocat hic ultimum diem, is est octavus, vel, si mavis, septimus, hoc est, ultimus hebdomadis, qui Latinis erat Lustricus, Græcis ἀμφιδρόμια. Et quia eo die, ut dixi, nomen puero imponebatur, vocatus est Nominalia. Idem Tertullianus libro de Idololatria: 'Circa officia vero privatarum et communium solennitatum, ut togæ puræ, ut sponsalium, ut nuptialium, ut Nominalium,' &c. In eo die, quodcunque omen arripere poterant in bonam scævam ad imponendum puero nomen, id arripiebant. Idque vocabant Fata, ut jam vidimus superius. Sic idem nomen Pastoris nepotis interpretatur, Carm. XI. *Scaliger.*

Dictasti fatis] Vota prospera pueris nuper editis cum voto concepta, tabulisque obsignata ipsorum capitibus fuisse subjecta declarat D. Chrysostomus in Epist. ad Galatas, easque impietatis plenas scribit, et Seneca Epist. LX. 'Exsecrationes parentum' appellat; Ausonius: 'Fatis verba notanda.' De quibus Tertullianus de Anima; 'dum ultima die fata scribenda advocantur.' *Thomasinus.*

Dictasti fatis] Statius undecimo Thebaidos: 'Quisnam fuit ille Deorum, Qui stetit orantem juxta, præreptaque verba Dictavit fatis?' Matheseos ergo peritus fuit Æmilius Arborius, ejusque pater Cæcilius, ut ex insequenti Carmine cognosces: qui horoscopo, et cognita Ausonii genitura, quantus vir olim futurus esset, notaverant. Sed de istis Chaldæis et Genethliacis quid sentiret Favorinus philosophus, homo nostras, vide apud Gellium in principio quartidecimi Noctium Atticarum. *Vinetus.*

Dictasti fatis] Id est, prædixisti de me ea, quæ propter sui magnitudinem a fatis meis notari merebantur: ita solebant astrologi, seu Chaldæi. Gellius de Euripide l. XV. c. XX.: 'Patri autem ejus nato illo responsum est a Chaldæis, eum puerum, quum adolevisset, victorem in certaminibus fore: id ei puero fatum esse.' De hisce et consimilibus prædictionibus, quarum sexcenta reperias exempla, loquitur Noster: nec est hic locus Votis, quæ septimo die concipiebantur. Sic canit Paridi 'fera fata' Nereus apud Horatium, l. I. Od. XV. et Romanis Juno, l. III. Od. III. Id

est, prædicit ea, quæ deinceps eventura sunt. Quidquid autem cuique homini eventurum erat, fata Jovi cum tabulis assistentes notare credebantur. Latinus Pacatus in Panegyr. ‘Utrum te tamen ipse admones? an ut illi majestatis tuæ participi Deo feruntur assistere Fata cum tabulis, sic tibi aliqua vis divina subservit, quæ quod dixeris, scribat et suggerat?’ quod autem Jovi vulgo tribuitur, adsignat Osiridi suo. Apuleius lib. XI. ‘et de ejus ore, quo singulorum fata dictat, audisse,’ &c. quem tamen Jovem esse sapientes volunt, ut Isin Junonem. Eadem ferme, quæ hic Scaliger de fatis advocandis attulit, apud Casaubonum reperias in comment. in Persii Sat. 2. p. 198.

23 *Ergo vale*] Virgil. l. XI. Æn. ‘Salve æternum mihi maxime Palla, Æternumque vale.’ Varro in libris Logistoricis dicit, ideo mortuis ‘salve’ et ‘vale’ dici, non quod aut valere, aut salvi esse possint, sed quod ab his recedimus, eos nusquam visuri. *Servius*. Hinc Artemidorus lib. I. cap. ult. *Ἔῤῥωσο δὲ καὶ ὑγίαινε, οὔτε λέγειν, οὔτε ἀκούειν ἀγαθόν. οὐ γὰρ προσιόντες ἀλλήλοις, οὔτε μέλλοντές τι πράττειν, ταῦτα λέγουσιν ἄνθρωποι, ἀλλὰ ἀπαλλαττόμενοι ἀλλήλων, καὶ πρὸς ὕπνον τρεπόμενοι.* Imitatus est Virgilium Statius in lacr. Hetrusci, l. III. Sylv. ‘Salve supremum genitor, mitissime patrum, Supremumque vale.’ Noster infra aliquoties. Sed antequam manum, quod aiunt, de tabula, non incommode mihi versus hujus Carminis quintus suppleri videtur, si legas: *Temperies adhibenda igitur: memorabere primus Ante alios: quamquam patre secundus eris.*

No. 163 *Cæcilius Argicius Arborius*] Duos in his Carminibus observasse Arborios jam supra dixi, patrem et filium. In iisdem similiter Argicios duos invenio, hunc Ausonii avum, et illum Ausonii proavum, qui memoratur in Carmine sexto decimo de Professoribus. Quanquam ibi *Arsicius* ille scribitur, *s* pro *g*, ut ambigi possit utro modo illi vocarentur, *Argicii*ne, an *Arsicii*. Vinetus.

9 *Regnum quum Victorinus haberet*] Gallienus Mediolani occisus fuit anno Imperii quinctodecimo, at Christi, ut putatur, ducentesimo et septuagesimo. Sub eo rem Romanam male administrante, Victorinus Galliarum invasit imperium, ‘vir strenuissimus,’ inquit Eutropius, sed qui ‘quum nimiæ libidinis esset, et matrimonia aliena corrumperet,’ Agrippinæ Coloniæ, imperii sui anno secundo, interfectus fuit. Huic successit Tetricus, Senator Romanus: ‘qui Aquitaniam honore Præsidis administrans,’ Eutropii verba sunt, ‘absens a militibus Imperator electus est: et apud Burdigalam purpuram sumpsit.’ Hujus quoque filius, Tetricus minor cognominatus, Cæsar appellatus fuit. Plura de istis Tyrannis Trebellius Pollio. Sed aliud nihil usquam de Arboriis nostris, et eorum proscriptione. *Idem*.

10 *Recidit imperium*] Ita ex vetusto libro. Primam enim more Antiquorum produxit, ut Lucretius ‘reducere,’ et alia plurima. Sic idem eodem ἀρχαϊσμῷ dixit: ‘Missum, ac remissum rursus ad me referunt.’ *Scaliger*.

17 *Tu cœli numeros*] Chaldæus erat, seu genethliacus. *Vinetus*.

Et conscia sidera fati] Virgilius quarto Æneidos: ‘Testatur moritura Deos, et conscia fati Sidera.’ Manlius vero sic Astronomica sua exorsus est post Virgilium: ‘Carmine divinas artes et conscia fati Sidera, diversos hominum variantia casus.’ *Idem*.

Conscia sidera fati] Vir maximi nominis et meriti Nic. Heinsius *l. fatis*.

19 *Formula vitæ*] Sidonius lib. V. Ep. XI. ‘In quo docendo instituendoque plurimum lætor, maximam me formulam vitæ de moribus tuis mutuatu-

[redacted]

rum.'

24 *Fortis Deæ*] Fortunæ, de qua satis multa Lilius Gregorius syntagmate sextodecimo. *Vinetus.*

Expertus fortis tela] Lege: *Expertus Fortis tela cavenda Deæ.* Fors est Fortuna: pro hoc paulo ante dixit: 'Grassantis dudum Fortunæ tela paventem.' *Græcius.*

25 *Amissum flesti*] In sequenti versu monstrum scripturæ habebat vetus liber: *Saucius oclerno lumine cassus eras.* Pro quo substituit corrector Lugdunensis, *extincto lumine.* Suspicarer legendum *ocle tuo.* Ocle, ocule, hoc est, saucius oculus tuo lumine cassus eras. Vocandi casu pro nominativo Ausonium uti sæpe ostendemus. Tanquam filius esset lumen oculi: hoc est, patris. Et parentes orbi, ut oculi orbi dicuntur. *Scaliger.*

Amissum fletu] Lege *flesti*, Scaliger. *Vinetus.*

26 *Saucius oclerno*] Bini liberi huic Cæcilio Arborio, Æmilius Magnus Arborius, et Æmilia Æonia Ausonii mater. Æmilium quia amisit, dicit eum Poëta cassum lumine lævo, id est, alterum e duobus eum amisisse lumen. Honesta sane locutio, similiter usurpata Quinctiliano lib. VI. 'Mihi filius minor quintum egressus annum, ut in malis agerem, prior alterum e duobus eruit lumen.' Nam liberi parentum quasi oculi et lumen. Festus: 'Orba est, quæ patrem, aut matrem, aut filios, quasi lumen amisit.' *Lipsius.*

Saucius oclerno] Lipsius: *ac lævo.* Sed cur non, *dextro*, potius? Ita debebat scribere, amisso filio, cum non haberet nisi in Nepote ex filia solatium. Scaliger, *ocle tuo*, sed sine exemplo contractionis. Luminibus æquari sobolem, alibi notavi. Sic Venantius lib. I. de Vita Martini: 'Cum magis hæc reputem præsentis damna salutis Me spectante rapi natam, mea lumina luci.' *Barthius.* Nec aliter Cel. Grævius, et Geographicis Astronomicisque monumentis celeberrimus Joannes Blaeu, magni patris major filius.

Saucius oclerno] E primo Scaligerianæ editionis intuitu suspicabar, *Saucius ac*, vel *atque uno*, i. e. *e.* Sed valde est speciosa Lipsii conjectura; verisimilior Barthii. Liberi enim duo, duo nostri oculi. Lævus autem oculus filius vix dici potest, ubi altera est filia, cum dextera omnia lævis præstantiora sint, ut et masculi puellis. Notaverat deinceps in margine Scaliger, *Saucius os, lævo*, &c. de qua lectione quid dicam? Ut plurimum Suffeni sumus, ac nostra miramur. Quinctiliani certe locus pro me facit; et hic D. Hieronymi, Epist. ad Ruffinum: 'Syria mihi velut fidissimus naufrago portus occurrit. Ubi ego quidquid morborum esse poterat expertus, ex duobus oculis unum perdidi. Innocentium enim partem animæ meæ repentinus febrium ardor abstraxit. Nunc uno et toto mihi lumine Evagrio nostro fruor.' E quo loco et aliis compluribus facile animadverti, quam diligens Quinctiliani lector fuerit D. Hieronymus. Ergo non liberos tantum, sed et quosvis dilectos 'oculos' appellarunt, uti et eos, quos amamus, 'tamquam oculos nostros' nos amare, et 'in oculis ferre' dicimus. Catull. in Carmine ad Manliam de fratre: 'Hei misero fratri jucundum lumen ademtum: Tecum una tota est nostra sepulta domus.' Apuleius de Critia et Carino: 'Hoc mihi vos eritis, quod duo sunt oculi.' Adrastus apud Pindar. Olymp. Od. VI. de Amphiarao ad Thebas dehiscente terra absorpto: ποθέω στρατιᾶς ὀφθαλμὸν ἐμᾶς. Latinus Pacatus in Panegyr. 'qui quum essent domi filii, geminæ illæ spes, oculique reipublicæ,' &c. Elegantissimus item de oculis locus est apud Heliodorum l. II. ad quem quoque Bourdelotius aliqua congessit huc facientia. Nec

[redacted]

in hominibus tantum, sed et in anima carentibus frequentata hæc translatio. Libanius Sophista in Lamentatione Nicomediæ:' *Ὦ δαίμονος, οἷον τῆς οἰκουμένης ἀπήνεγκε βόστρυχον. ὡς ἐξετύφλωσέ γε τὴν ἑτέραν ἤπειρον, γενναῖον ἐκκόψας ὀφθαλμόν.* Justinus lib. v. c. 8. 'Cum multi delendum Atheniensium nomen, urbemque incendio consumendam censerent; negarunt Spartani ex duobus Græciæ oculis alterum eruturos.' Ita et Julianus Damascum *τῆς ἑῴας ἁπάσης ὀφθαλμὸν* appellavit: nec non Pindarus Olymp. Od. II. Theronis majores *ὀφθαλμοὺς Σικελίας*. Themistius quoque Constantinopolin *ὅλης τῆς γῆς δεύτερον ὀφθαλμὸν*, orat. de fraterno Amore; et Aristides in oratione Monodica de Smyrna, illam *τῆς Ἀσίας ὀφθαλμὸν*, vocarunt. Velleius lib. II. de Pompeio: 'Effossumque alterum imperii R. lumen.' Artemidorus lib. I. cap. 28. *Τὸ δὲ ἀμβλυώττειν τῷ παῖδας ἔχοντι, σημαίνει τοὺς παῖδας νοσῆσαι. ἐοίκασι γὰρ οἱ ὀφθαλμοὶ παισὶν, ὅτι καὶ ποθεινοὶ, καὶ τοῦ σώματος ὁδηγοί εἰσι καὶ ἡγεμόνες, ὥσπερ οἱ παῖδες ἐν γήρᾳ γενομένων τῶν γονέων.* et paulo post: *ἔτι καὶ τοῦτο χρὴ σκοπεῖν, ὅτι ὁ μὲν δεξιὸς ὀφθαλμὸς σημαίνει τὸν υἱὸν, καὶ ἀδελφὸν, καὶ πατέρα· ὁ δὲ ἀριστερὸς θυγατέρα, καὶ ἀδελφὴν, καὶ μητέρα. δύο δὲ υἱῶν ὄντων, ἢ θυγατέρων δύο, ἢ δύο ἀδελφῶν, ὁ μὲν δεξιὸς τὸν πρεσβύτερον υἱὸν ἢ ἀδελφὸν,* &c. *σημαίνει.*

29 *Animarum mista priorum*] *Miste* pro *mista* legerem, ut sit, O ave Arbori, qui jam mistus es cœtui animorum priorum, et sic *piorum piarumve*, pro *priorum*. Vinetus.

Animarum mixta priorum Fata tui] Quæ sunt illa fata nepotis mixta priorum animarum conciliis? Mentem horum versuum nemo assequatur, nisi scribatur, ut scripsisse Ausonium persuasissimum habeo: *Et modo conciliis animarum mixte piorum Fata tui certe nota nepotis habes. Mixte* pro *mixtus*. Sæpe enim non Ausonius modo, quod magnus Scaliger notavit, sed et alii poëtæ casu quinto pro primo utuntur. Vide quæ doctus ille Sanctius in Minerva sua congessit exempla. Sensus est: Tu, qui nunc inter beatos agis in campis Elysiis, jam certus es te vera cecinisse de tui nepotis fatis. Honoribus enim, quos ex genesi ejus prædixeras, jam functus est. Superius ostendit eum fuisse Astrologiæ peritum, et fata Ausonio præsignificasse: 'Non ignota tibi nostræ quoque formula vitæ, Signatis quam tu condideris tabulis.' Pro *priorum*, scripsi *piorum*. Concilia animarum piorum, sc. hominum, sunt cœtus illi beatorum in campis Elysiis, de quibus Virgilius et alii. *Grævius.*

No. 164. 8 *Ad perpendiculum*] Ad amussim, ad normam, et regulam. *Vinetus.*

9 *Præreptum cunis*] Quem ex ipsis cunis, et adhuc infantulum, rapuit in suas ædes. *Idem.*

No. 165 *Virgo devota*] Devota virgo, intelligitur, quam Græci *ἀσκήτριαν* vocant. Extat libellus Ambrosii ad Virginem devotam. Devotarum virginum duo genera reperio, unum, quod vovebat se, ut hæc Ausoniana: alterum, quod devovebatur a parentibus ipsis, ut apud Ambrosium. Quæ sit Devota virgo mox ipse explicat: 'Crevit devotæ virginitatis amor.' Item in Cataphronia: 'Innuba, devotæ quæ virginitatis amorem Parcaque anus coluit.' In Notis Probi hodie legitur: D. V. *Devotus vir*; posset legi: *Devota virgo*. Quanquam scio et viros devotæ virginitatis fuisse. Tertullianus in Valentianos: 'Proculus noster virginis senectæ.' Ita enim legendum in Tertulliano. Iique dicebantur *παρθενίαι*. *Scaliger.*

5 *Non dissimulanter*] Non arte aliqua, sed naturali facie. *Vinetus.*

8 *Devotæ virginitatis amor*] Quas Ausonius Virgines Devotas hoc loco, et in Carmine vicesimo sexto appel-

[redacted]

lat, ac Ambrosius in libro ad Virginem Devotam, virgines erant Deo dicatæ, consecratæ, devotæ, quas nos Galloromani *Nonnas* hodie vocitamus: quod vocabulum invenies apud Hieronymum in eo, quod scripsit ad Eustochium de Custodia virginitatis. *Idem.*

No. 166. 1 *Elegea*] Sic fuit in exemplari, quæ vulgo *elegia* dicitur. Græcum enim est ἐλεγεῖα, ut et ἐλεγεῖον, in Epigrammate nonagesimo quarto: et diphthongus ista ει tam in *e*, quam in *i*, a Latinis verti solet: de qua re Priscianus libro primo. Sed totus versus sic illic habebat: *Et parvos elegea meos reminiscere cantus.* Vinetus.

Elegea] Adde ad ea, quæ Vinetus, locum Servii ad Eclogam VI. Virgilii: 'Thalia. Musa scilicet: et Græce ait Θαλεῖα. Nam Latine *Thalea* dicitur, sicut Cytheria *Cytherea:* sed propter euphoniam contempsit jus regulæ, et in Græcitate permansit.'

2 *Tellus Rutupina*] Terra Britannia. *Vinetus.*

4 *Hæredis nullo nomine tuta periit*] Pro periit contracte.

Hæredis nullo nomine tuta] Claudius Contentus, quum trans mare, et in Britannia insula negotiaretur, in morbum incidit: eoque ibi periit pecuniosus, ubi nec fratrum, nec aliorum suorum quisquam fuit, qui se pro hærede gereret. *Vinetus.*

9 *Mensa uncta*] Pingui, Catullus in Carmine nuptiali, et lauta. *Idem.*

11 *Joca seria misti*] Qui seria jocis miscerent, et temperarent. *Idem.*

14 *Commune munus*] Ut uterque hoc verbum 'Vale' sibi dictum accipiat. Quo utimur non solum viventes inter nos, verum etiam viventes ad mortuos, et mortui ad viventes. Ut in his Parentalibus ad multos vita functos Ausonius: ac Æneas ad interfectum in prœlio Pallantem undecimo Æneidos: 'Salve æternum mihi, maxime Palla, Æternumque vale.' At contra Creusa in extremo secundo mortua, ad suum Æneam viventem: 'Jamque vale: et nati serva communis amorem.' Sed de hoc verbo hæc in commentariis Servii scripta legimus, quum dixisset Æneas libro tertio Æneidos de Polydori funere: 'Animamque sepulchro Condimus, et magna supremum voce ciemus.' 'Hoc loco dicimus more solemni, hoc est, tertio, Vale. Nos te ordine, quo natura miserit, cuncti sequemur.' In iisdemque in quinctum et undecimum: 'Quando mortuis Salve et Vale dicimus, non considerandam etymologiam, quasi iis bonam valetudinem salutemque optemus, in quibus nulla esse possit: sed notandam consuetudinem, quod iis Vale dicere soleamus, a quibus recedimus.' *Idem.* Sed de hoc monuimus supra. *Idem.*

No. 167. 1 *Segregus*] Segregatus, sejunctus ab aliis. Idem 'segrex' apud Sidonium Apollinarem. *Vinetus.*

Segregus arbitrio] Τὸ *Segregus* defendi potest illo Martiani lib. IX. 'Hæ igitur modo dispares numero, nec disgregæ venustate eruditionis.'

13 *Vota probant superi*] Pulchre explicat Catulli versum in Carmine nuptiali: 'Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes.' Quod ideo dico, quia versum hunc Doctissimus Muretus suspectum habet. *G. Canterus.*

No. 168. 5 *Origine clara senatus*] Ita recte Lugdunenses, quamvis vix prima in scripto syllaba compareat. Sic præcedenti carmine: 'Qui proceres, veteremque volet celebrare senatum, Claraque ab exortu stemmata Burdigalæ.'

7 *Primis luxu deceptus*] *Luxi* est legendum. Est autem Virgilii imitatio: apud quem Dido de amisso marito dicit libro quarto Æneidos: 'Postquam primus amor deceptam morte fefellit.' *Vinetus.*

11 *Solatia temporis ægri*] Cavesis

[redacted]

cum viro κριτικωτάτῳ *ægre* legas: dolore ac ægritudine animi laborantes *ægri*, solent tamen et temporis solatia admittere: at mihi misero cum ipso temporis incremento luctus accrescit. Seneca Agamemnone vers. 129. 'Proin quidquid est, da tempus ac spatium tibi, Quod ratio nequit, sæpe sanabit mora.' Diphilus: Λύπης δὲ πάσης γίγνετ' ἰατρὸς χρόνος, &c. Vide et quæ Cicero ad Torquatum, aliique in Epistolis Consolatoriis ea de re ad Ciceronem.

12 *Hæc graviora facit*] Ita et Ovidius lib. IV. Trist. El. VI. de Tempore: 'Hoc minuit luctus, mœstaque corda levat. Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas, Præterquam curas attenuare meas.' Admetus ad Alcestin, apud Euripidem vers. 334. Σοῦ γὰρ οὐκ ὠνήμεθα. Οἴσω δὲ πένθος οὐκ ἐτήσιον τόδε, Ἀλλ' ἔστ' ἂν αἰὼν, οὑμὸς ἀντέχῃ, γύναι. Sophocles Electra: Ἄνετέ μ', ἄνετε παράγοροι· Ταῦτα γὰρ ἄλυτα κεκλήσεται. Horatius l. II. Od. IX. 'Tu semper urges flebilibus modis Mysten ademtum: nec tibi vespero Surgente decedunt amores, Nec rapidum fugiente solem.' Lucretius lib. III. 'At nos horrifico cinefactum te prope busto Insatiabiliter deflebimus, æternumque Nulla dies nobis mœrorem e pectore demet.'

16 *Quod mala*] Non est mihi domi post amissam te, o uxor, quicum communicem consilia: siquid boni, siquid mali, mihi acciderit, quem participem habeam. *Vinetus.*

24 *Et dolor, atque decus conjugis*] Sic fuit in exemplari. Virgilius decimo Æneidos de Pallante in pugna occiso: 'O dolor atque decus magnum rediture parenti.' *Idem.*

26 *Natos . . . duos*] Mares ambos, an marem et feminam? Primus Ausonii filius fuit Ausonius: qui obiit infantulus, et, ut arbitror, ante matrem. De hoc est proximum Carmen. Filium etiam habuit Hesperium: quem nominat pater in Carmine undecimo, quum nepotis sui ejus filii Pastoris acerbum fatum mœret: et in cujus Hesperii gratiam se Fastos scripsisse dixit, in Epigrammate de iisdem Fastis: et ad quem misit Carmen de Cæsaribus, et Protrepticon ad nepotem, Epistolamque, 'Qualis Picenæ,' et cujus meminit in Epistola ad Paulinum, 'Quanta me aff.' Habuit et filiam, quam nusquam quidem nominat: sed ejus meminit in Protreptico illo ad suum ex ea nepotem Ausonium, et in litteris ad Hesperium filium tunc scriptis, quum idem ipsum Carmen ei misit. Gregorium vero, cui mittitur Cupido cruci affixus, hunc appellat filium; sed miror, quod hujus alibi nullam mentionem fecerit, qui soleat filios etiam vocare alios, quam quos genuerit: veluti Symmachum et Pontium Paulinum in Epistolis. *Idem.*

No. 169. 6 *Invidiam tumuli*] In eodem cum proavo sepultus es tumulo, ut ne quis invideret, si tibi separatim tantillo puerulo monumentum esset exstructum. *Vinetus.*

2 *Invidiam tumuli*] Vide Kirchmannum de funeribus, pag. 24. Plutarchus ad Uxorem: Τοῖς δὲ πατρίοις καὶ παλαιοῖς ἔθεσι καὶ νόμοις ἐμφαίνεται μᾶλλον ἡ περὶ τούτων ἀλήθεια. Τοῖς γὰρ αὐτῶν νηπίοις ἀποθανοῦσιν οὔτε χοὰς ἐπιφέρουσιν, οὔτ' ἄλλα δρῶσι περὶ αὐτὰ, οἷα εἰκὸς ὑπὲρ θανόντων ποιεῖν τοὺς ἄλλους.

No. 170. 8 *Spes cujus certa fuit res*] Ita explicanda hæc sunt; de quo concepta spes adeo certa fuit, ut nullo pacto liceret in dubium revocare; tanta jam elucescebant in eo indicia indolis exoptatissimæ. In protreptico ad Nepotem, 'vel re, vel spe mihi porge fruendum.' Et in Prof. Burd. c. XI. 'spem magis, quam rem, fruendam præbuisti avunculo,' de Herculano sororis fil. ad quem versum exempla alia paucula congessimus. Aliqua etiam Casaubonus ad Persium p. 202.

[redacted]

11 *Non fuit artificis*] Pythen Ænius apud Plutarchum De non invidiosa sui laudatione, ad invidiam declinandam, quam se incurrere ex ingestis laudibus ob interfectionem Cotyos animadvertebat, Ταῦτα, inquit, Ἄνδρες Ἀθηναῖοι, Θεῶν τις ἔπραξεν, ἡμεῖς δὲ χεῖρας ἐχρήσαμεν. Quin et scelus voluntarium apud Sophoclem in Electra consolandi gratia ad Deos refertur. Sic enim ad Electram Chorus de cæde Agamemnonis: Δόλος ἦν ὁ φράσας, ἔρος ὁ κτείνας, Δεινὰν δεινῶς προφυτεύσαντες Μορφὰν, εἴτ' οὖν Θεὸς, εἴτε βροτῶν Ἦν ὁ ταῦτα πράσσων.

Manus certa] Ut 'certos ictus' dixit in Epigrammate septuagesimo secundo: et 'certam hastam' Virgilius undecimo Æneidos, inevitabilem, ut vetus commentator exponit. *Vinetus.*

12 *Suppositura reum*] Fatum sive Parca, cujus hoc fuit facinus, miserum artificem in locum suum supposuit. *Idem.*

No. 171. 1 *Siqua fuit*] Lego ex vestigiis ejusdem libri: *Siqua fuit virtus, cuperet quam femina prudens Esse suam, soror hac non Dryadia fuit?* Ecqua fuit, inquit,' virtus, quam casta et prudens matrona optare posset, qua Dryadia prædita non fuerit? An non omnibus illis virtutibus fuit Dryadia, quascunque cuperet prudens femina? Nam Latinum est: ego sum hac virtute, hac doctrina. *Scal.*

5 *Vitamque colo*] Calathisque Minervæ, lana et tela. Virgilius octavo Æneidos: 'Quum femina primum, Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva, Impositum cinerem, et sopitos suscitat ignes, Noctem addens operi; famulasque ad lumina longo Exercet penso; castum ut servare cubile Conjugis, et parvos possit educere natos.' *Vinetus.*

9 *Conjuge adhuc juvenis caruit*] Ea, quum adhuc esset ipsa juvenis, maritum amisit, Pomponium Maximum, ut suspicor, qui Carmine quinctodecimo celebratur. *Idem.*

Sed seria vitam] Rutilius Itinerar. I. 'Vitæ flore puer, sed gravitate senex.' Hilarius Arelatensis in Vita S. Honorati: 'Et vere erat in illis senectus, non annis cana, sed gratiis; non cariosa artubus, sed moribus vetusta.'

No. 172. 9 *Quem cultum spei*] Hoc si sic edidit Ausonius, secundum iambici metri pedem, Spondeum fecerit aut Trochæum. Non autem recipit Trochæum hoc metrum. Spondeum igitur posuerit pro iambo in secundo loco iambici: quod ipsum interdum facere ostendimus. *Vinetus.*

Quem dolorem sauciis] *Sociis* hic per metrum legere non licet, sed *sauciis* pro sauciatis, læsis, exulceratis morte immatura talis adolescentuli. *Idem.* Supra Carm. IV. 'Saucius, ac uno lumine cassus eras.'

Quem cultum spei, quem dolorem sauciis] Sic enim veteres: non, *Quem sæpe luctum*, quæ conjectura Scaligeri est. Nihil autem mutandum in verbis, sed versus sunt turbati, quos minimo negotio sic in integrum restituimus: *Verum juventæ flore læto perfrui Ævique supra puberis Exire metas, vetuit infesta Atropos. Heu quem dolorem sauciis! Heu quanta vitæ decora, quem cultum spei, Germane pubes deseris!* Gronov.

No. 173. *Vallatinus*] Non sic legerim, sed *Val. Latinus.* Et vetus liber non *Euromium*, sed *Euronium* habet. Igitur vocabatur, *Val. Latinus Euronius Thalassius.* Symmachus: 'Quæro igitur incertus animi, quæ mihi nunc potissimum super viro honorabili Thalassio genero tuo verba sumenda sint.' *Scaliger.*

9 *Hoc Præfecturæ*] Quæ Præfectura hæc fuerit, nescio. Pater Ausonii se Præfectum Illyrici nuncupat in versu quinquagesimo secundo Epicedii, si forte eidem præfuit Illyridi post eum Euromius. Quod si Ausonii nepotis, ad quem Protrepticon lusit Ausonius, pater fuit hic

[redacted]

Vallatinus, eum, suum generum, in versu illius Edyllii quadragesimo quarto, Proconsulem fuisse scribit Ausonius. *Vinetus.*

10 *Fiscus et ipse cluens*] Quæstura illustris, ut quam se gessisse prædicat socer Ausonius in extremo protreptico ad Nepotem. 'Fiscum' pro 'ærario' locis aliquot Entropius accipit, sed Budæus scripsit in annotationibus 'Ærarium' proprie pecuniam publicam et Imperii. 'Fiscum' vero pecuniam Imperatoris et principis. Quod autem Lugdunenses *cliens* hic scripserant, *cluens* fuit in exemplari. *Idem.*

Fiscus et ipse cliens] Ita Lugdunenses: vetus autem liber, *cluens:* quod merito improbarunt. Sic enim in Paulino c. XXIV. legimus: 'Nam Correcturæ tibi Tarraco Hibera tribunal Præbuit, adfectans esse clienta tibi.'

12 *Indole maturus*] Maturus quidem indole, in quo scilicet juvene nullum non virtutis genus spectatum sit: acerbus vero funere, cujus mors fuit immatura, et ante justam ætatem. *Vinetus.*

Indole maturus] Vide quæ ad Epitaph. Carm. XXXII. notavimus.

No. 174. 9 *Heu quare nato*] Pomponio Maximo Herculano. *Vinet.*

Qui a fruge, et flore] Id est, qui morte nimis festinata atque immatura e numero meorum nepotum (erat enim Pomp. Herculanus nepos Ausonii e sorore Dryadia) mihi raptus est. Sed melior mihi semper visa hæc lectio: *quur fruge et flore nepotum*, ut referatur non ad Herculanum, sed ad ipsum Pomponium Maximum: qui in ipso vitæ flore mortem oppetens ex uxore Dryadia tres liberos reliquit, natos Herculanum, in ipsa item juventa vita functum, et Arborium, de quo Carm. seq. et filiam Megentiram, quæ quatuor Pomponio nepotes peperit, quorum duo pubescentibus annis occubuere, Paulinus et Dryadia: reliqui duo nobis incogniti fuere vitæ longioris. His igitur nepotibus, et hoc nato, Arborio non licuit patri frui, qui ævi sui fruge viduam destituerat.

10 *Non frueris*] Cur ille non vivit adhuc, diuque vixit tibi superstes? *Vinetus.*

11 *Sed frueris*] Correctio. Eo jam frueris, quando mortuus est: siquidem divina ejus portio, id est, anima, nunc tecum est apud Manes. *Idem.*

Divina habitat si portio Manes] Id est, 'sensus si manibus ullus,' ut Prof. Burdig. cap. 24. aut, si futurorum præscientia defunctis adest. Respicit Ausonius absque dubio ad honores aliquos nepotum, quorum ad nos nulla notitia pervenit; seu ad insignem indolem, quæ magnam et sinceram parentibus avisque adferre voluptatem solet. Hanc voluptatem, hæc gaudia, hæc læta, quoniam diu ante prævidit Pomp. Maximus, ideo etiam frui illis a Poëta dicitur. Non intellexit Vinetus, nec percepit Poëtæ mentem, falsa veterum librorum lectione a vero sensu deductus.

14 *Anticipasse diu*] Quandoquidem tu diu ante prævideris honores, quibus nunc nepotes tui eminent et effulgent.

No. 175 1 *Tu quoque vel nurus*] Non fuit revera nurus, sed non secus, ac si nurus aut nata foret, dilecta.

6 *Accersenda est uxor proavi*] In exemplari *Accersenda uxor est proavi.* Verum quid hic sibi voluerit verbum 'uxor?' Ego *vox* pro isto *uxor*, omnino reponendum censeo, et sic legendum versum: *Accersenda esset vox proavi Eusebii.* Eusebius namque iste, Veriæ Liceriæ proavus, homo aliunde nobis incognitus, orator quispiam fuerat egregius, aut poëta. Cujus se vice functurum proximo disticho dixit Ausonius. *Vinetus.*

No. 176. 8 *Decus hoc matrisque*] Ita vetus liber: ex hisce quartus ha-

[redacted]

bet idem πάθος, quod et ille Virgilianus: 'En quis consevimus agros.' Nam *Ehe* est consternatæ mentis. Ennius: 'Ehe ipse clipeus cecidit.' Vide, inquam, quantum sibi permiserit corrector Lugdunensis. *Scaliger.*

11 *Eheu quem, Maxime, fructum*] Conjeci olim: *Eheu quam, Maxime, frustra Facunde, et musice, et acer.* Quam frustra prædite tanta vi ingenii! Quam parum tibi profuit facundum et musicum et acrem fuisse, ut Profess. Carm. xxv. 'Eheu quam multis perdite nominibus!' *Gronovius.*

Hehe] Varro lib. vi. de Ling. Lat. 'Evax verbum nihil significat, sed effutitum naturaliter est, ut apud Ennium, Hehe, ipse clypeus cecidit.'

No. 177. 4 *Sed justam, et clemens vitam agis, et sapiens*] Hujus correctionis nostræ quædam vestigia observavimus postea in eodem libro. Sequenti versu idem liber habebat: *supremaque mittia sancti.* Lege, *mitia.* Illud 'suprema' erit substantive. *Scaliger.*

8 *Rutupinus ager*] Britannia insula. *Vinetus.*

No. 178. 14 *Fantis honore colit*] Ita vetus liber. Recte. Nam dicit se illam colere fantis honore. Hoc est, funerea commemoratione, ut ipse alibi loquitur. Nam affari Manes, inquit ipse, 'funeris instar habet.' Sic enim ait: 'Hoc satis et tumulis, satis et telluris egenis. Voce ciere animas funeris instar habet.' *Scaliger.*

No. 179. *Lucanus Talisius*] Lemma ita conceptum fuit in veteri libro: *Lucanus Talisius* CVRA *filii.* Suspicarer legendum: *Lucanus Talisius levir, Att. filius.* hoc est, Attusii. Nam Attusius Lucanus Talisius, fuit socer Ausonii. Quare, si iste ejus filius, erit levir Ausonii. Consobrinum tamen ipse vocat: quod miror. *Scaliger.*

Curam filii] Credo fuisse, *Lucanus Talisius, Attusii Lucani filius.* Non minus tamen probabilis Scaligeri conjectura est: nec obstat, quod Consobrinum vocet. Confirmat opinionem istam magnopere, quod soror ejusdem Attusia sequenti Carmine commemoratur, uti præcedente soror altera Pudentilla.

1 *Nec tantum matris spes unica*] Qui non fuisti solius matris, verum etiam aliorum spes. *Vinetus.*

Nec tantum matris] Obscura hæc, et nisi me fallit conjectura, corrupta sunt: vitium videtur delitescere in 'tantum:' nam 'nec' cum 'immemoratus' cohæret. Forte: *Nec jam tu, matris spes unica ephebe Talisi, &c.* Quod, quoniam coactum nimis est, et perdurum, vix placere potest. Quod tamen præstantius sit, non invenio. Immo lege: *Nec jam tu metris, spes unica, ephebe Talisi, Consobrine, meis immemoratus eris.* Liquidus sensus est, et locus commemorandi inter duas sorores convenientissimus. Nec sane video, quomodo *matris spes unica* dici potuerit, de qua an vixerit, non liquet. Crediderim ego hanc jamdudum diem suum obiisse, et Ausonio non fuisse cognitam. Sed et filia tunc adhuc vivebat, uxor Ausonii, et ipse adhuc pater. Quo pacto igitur 'unica spes matris,' cui filia supererat, (et amant sui sexus subolem fœminæ,) aut cur non et patris potius? si vero vixit mater, cur nulla alicubi ejus mentio in quatuor liberorum et mariti commemoratione? Cl. Grævius in pentametro aliquid subintelligendum putat. Sed si 'Nec tantum matris spes' conjungenda sunt in constructione, aperte falsum est quod in pentam. sequitur, 'immemoratus eris meis.' Memoratur enim. Nihil vero potest subintelligi, nisi *næniis* vel *modulis,* aut tale quid, quod sibi quisque subjiciet.

4 *Jam properate*] Propere factus pater. Vocativus pro nominativo. Qua Antiptosi plurimis locis usus est

[redacted]

Ausonius, ut alibi monitum. Sic 'millesime' pro 'millesimus,' et 'trabeate' pro 'trabeatus' dixit Persius in Satyra tertia, et 'macte' pro 'mactus' Horatius in Sermone secundo libri prioris, auctore Prisciano in extremo septimodecimo libro: ac ita Virgilius secundo Æneidos 'expectate' pro 'expectatus.' 'Quibus Hector ab oris Expectate venis?' *Vinetus.*

No. 181. 1 *Calpurnia nomina, Frugi*] L. Calpurnius Piso, quem marmora Romana Consulem faciunt, collega Mucio Scævola, anno ab Roma condita sexcentesimo et vicesimo primo, quum vir eximia virtute esset, ac integritate, Frugi vulgo nominari primus cœpit: ab eoque cognominata Frugi fuit Calpurnia familia. Vult ergo Ausonius consocerum suum Severum Julianum, etiam Frugi, præterea que Censorii, ac Justi cognomentis dignum videri. *Vinetus.*

3 *Censor Cato*] Censor fuit anno ab Urbe condita quingentesimo et septuagesimo nono, ut est notatum in marmoribus Romæ nuper effossis. In qua Censura quomodo se gesserit, et qui hominis mores fuerint, unus tibi satis declaraverit Titus Livius libro tricesimo nono. *Idem.*

8 *Austeris doctus*] Atqui hoc difficillimum est, teste Cicerone eadem hæc in Bruto suo deprædicante. 'Quid enim,' inquit in Oratore, 'tam distans, quam a severitate comitas? quis tamen umquam te aut sanctior est habitus, aut dulcior?' Auctor Panegyrici ad Pisonem: 'Mira subest gravitas inter fora: mirus omissa Paullisper gravitate lepos.' Cornel. Nepos de Attico, cap. xv. 'Itaque ejus comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate.'

10 *Nostras consociare domos*] Per liberorum nostrorum matrimonia: ut sic consoceri essemus, ego tuorum, tu meorum socer. *Vinetus.*

No. 182. 1 *Paulinus et Dryadia*] Intelligendum, de Paulino et Driadia Carmen esse, qui parentes habuissent Paulinum, de quo est insequens Carmen, et Megentiram sorore Ausonii genitam. *Vinetus.*

2 *Specimen*] Species et imago patris. Sic usurpatum 'specimen' in extremo Carmine de Dominica resurrectione. *Idem.*

3 *Miseræ decedere matris*] Fortean *matri* melius.

4 *Efferret*] *Offerret*, *o* pro *e* prima verbi littera in exemplari. Exhiberet, redderet, referret. *Vinetus.*

8 *Crudaque*] Quasi cruenta, et recenti adhuc vulnere accepto de patre tuo mortuo mœrentia. *Idem.*

13 *Illa manus inter*] Quod magni solatii instar. Theagenes apud Heliodorum lib. II. *Οὐδὲ τῷ κοινῷ τῆς φύσεως νόμῳ, τὸ χαλεπώτατον, οὐδὲ ἐν χερσὶν ἀπολιπούσης τὸν βίον, ὡς ἠβουλήθης.* Pleni sunt harum querelarum poëtarum libri.

14 *Hispana tum regione procul*] Quum esset in Hispania procul a patria cum patre Correctore Hispaniæ, ut in sequenti proximo Carmine dicetur. *Vinetus.*

19 *Sit satis hoc, Pauline pater*] Tractarunt hoc argumentum plures poëtæ, ut Antipater: *Δειλαίον ὠδίνασα φίλον τέκος, ἄλλο μὲν ἀνδρὶ Εὔφρονι καλλιπόμαν, ἄλλο δ' ἄγω φθιμένοις.* Et Heraclides: *Δισσὰ δ' ὁμοῦ τίκτουσα, τὸ μὲν λίπον ἀνδρὶ ποδηγὸν Γήρως, τὸν δ' ἀπάγω μνημόσυνον πόσιος.* Item illa poëtæ, qui in matronam Burdigalensem confecit Epigramma: *Λείψανα Λουκίλλης διδυματόκου ἐνθάδε κεῖται. Ἧς μεμέριστο βρέφη. ζωὸν πατρὶ, θάτερον αὐτῇ.* *Scaliger.*

No. 183. 7 *Stirpis Aquitanæ*] Quemadmodum duplex est Asia, et Africa duplex, altera nimirum alterius pars, ita duplices Aquitani. Plinius libro quarto Naturalis Historiæ: 'Galliæ Aquitanicæ sunt,' inquit, 'Ambilatri, Anagnutes, Pictones, Santones liberi, Bituriges liberi cognomento Vibisci, Aquitani, unde nomen pro-

[redacted]

vinciæ: Sediboniates,' et reliqu. Istos autem proprie nomen Aquitanorum usurpantes, et minores Aquitanos, alios esse non video, quam quos vulgo Aquenses appellamus. Tarbellorum est oppidum, cujus meminimus in Carmen secundum, Ὕδατα Αὔγουστα, libro secundo Geographicorum Ptolemæi, id est, 'Aquæ Augustæ,' in Aturi situm ripa, ab Oceano extremum Pyrenæum alluente non plus diei itinere unius distans, parvum quidem illud, sed munitissimum, vetustatem in mœnibus non parvam ostentans. In eo medio fons est calidus, perpetuo fervens, aquam multam in propinquum Aturum emittens. Ex quibus aquis calidis Latini homines, qui eas frequentabant, non dubito, quin locum illum jam tum Aquas appellare cœperint, ex quo Galliam Narbonensem, quæ ab illis non plus quatridui itinere abest, tenuerunt, non minus septuaginta annis ante quam Julius Cæsar Consul Alpes transisset. Habet hic quidem tractus propius Pyrenæum multos alios fontes calidos, magis celebres hoc tempore, quod valetudini magis saniores sentiantur: verum Aquensem olim celeberrimum fuisse, argumento sunt vetusta solia marmorea: quæ in ejus margine adhuc extare meminimus in Epigramma centesimum et octavum. Ab hac igitur civitate Aquis, a quocunque Augusto ante Ptolemæum cognomen invenerit, qui Gregorio Turonensi, aliisque Aquenses sunt appellati, Episcopus, Diœcesis, et Cives, eos Aquitanos fuisse dictos arbitror, qua forma Græca Auscitani, Emporitani, Calaguritani, Neapolitani, aliique, a suis urbibus dicti fuerunt. Atque sic 'stirpis Aquitanæ' Ausonio dictam esse Paulini matrem, quæ Aquensis fuisset, id est, ex Aquis Augustis. Alioqui pater illius etiam Aquitanus, qui Vasatensis erat. Quæ vero sunt Aquæ parvum oppidulum, et hinc Aquenses, in agro Fuxensi, supra Tolosam, prope Pyrenæum, ac trans Garumnam, Narbonensis provinciæ erant, non Aquitaniæ. *Vinetus.*

8 *Cossio Vasatum*] 'Vasatum' primam syllabam Ausonius producit, etiam in Epicedio, et denominativi 'Vasatica' in Epistola septima: corripit Pontius Paulinus ad ipsum rescribens: 'Consul harenosas non dedignare Vasatas.' Quare sunt qui, natura brevem esse putantes, quum eam inveniunt longam, consonantem *s* geminant. Sed barbarici vocabuli syllabam fortassis ancipitem esse jusserunt sui poëtæ: quam ego in antiquis codicibus simplici semper consonante, etiam quum producitur, scriptam reperio. Prisco nomine Cossio appellabatur. Sic enim eam vocavit non solum Ausonius, verum etiam Claudius Ptolemæus: apud quem 'Vasates,' sunt Οὐασάριοι, id est, 'Vasarii:' et Κόσσιον, id est, 'Cossium' mendose scriptum, pro Κοσσίον, hoc est, 'Cossio.' Quod nomen abolitum prorsus fuit, sicut Vesunæ apud Petrocorios, Mediolani apud Santones et Ebroicos, Avarici apud Bituriges, Lutetiæ apud Parisios, aliorumque multorum, receptis in eorum locum populi provinciæque vocabulis, mutata solum declinatione tertia in primam vel secundam. *Vazas* nunc vulgo dicitur, parvum oppidum viginti fere jugerum, unius diei itinere a Burdigala, duorum ab Aquis Augustis in harenoso solo. *Idem.*

9 *Scrinia præfecti*] Præfecturam scriniorum. Ut 'tramam figuræ' pro 'figura tramæ' dixit in extremo Satyrarum libro Persius. Quo munere qui fungebantur, et magistri, et Comites Scriniorum dicebantur: et unico verbo Scriniarii: quod Suidas, quid esset, Græcis suis expositum voluit. De his Budæi annotationes plura, commentariique Andreæ Alciati, et aliorum Jurisprudentum in libros posteriores Codicis

Justiniani. *Idem.*

Rationibus inde Præpositus Libycis] Lybia, Africa est, et Africæ pars. Ab rationibus autem rei pecuniariæ, Rationales sub Cæsaribus dicti sunt. Ælius Lampridius de Alexandro Augusto: 'Ubi aliquos voluisset vel rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, id est rationales, ordinare, nomina eorum proponebat.' Julius Capitolinus in Maximino seniore: 'Erat fisci procurator in Lybia, qui omnes, Maximini studio, spoliaverat. Hic per rusticanam plebem, deinde et quosdam milites interemptus est. Sed quum per eos, qui rationalem in honorem Maximini defendebant, viderent auctores cædis ejus,' &c. Fabius Vopiscus: 'Fuit sub Aureliano etiam monetariorum bellum, Felicissimo rationali auctore.' Et paulo post ex Epistola ejusdem principis ad Ulpium: 'Monetarii, auctore Felicissimo, ultimo servorum, cui procurationem fisci mandaveram, rebelles spiritus extulerunt.' Est libro primo Digestorum Justiniani caput, 'de officio Procuratoris Cæsaris vel Rationalis.' Ex quibus locis eundem esse dicas, rationalem, procuratorem fisci, et procuratorem Cæsaris. Sed de his plura Budæus, Alciatus, Cu- [redacted]

hominem eleganti joco, Sublimius habendum, regere aliquam Italiæ partem, quam trans Alpes regnare.' Trebellius Pollio de eodem: 'Pudore tamen victus vir nimium severus, eum, quem triumphaverat, Correctorem totius Italiæ fecit, id est, Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Bruttiorum, Apuliæ, Calabriæ, Etruriæ atque Umbriæ, Piceni et Flaminiæ, omnisque annonariæ regionis.' Cassiodorus, libro tertio variarum, litteras ponit Theodorici ad Venantium Correctorem Lucaniæ et Bruttiorum: istorum autem Correctorum quodcunque munus quondam fuerit, habent hodieque Hispanienses provinciæ hujus nominis magistratus. *Idem.*

12 *Esse clienta tibi*] Parere tibi. Regi abs te, et corrigi. *Idem.*

Esse clienta tibi] Festus: *Clientam* pro *cliente* Plautus dixit.

No. 185. 7 *Commemorata, Ave*] Sine synalœpha hoc. *Vinetus.*

No. 186. 1 *Properiter*] De morte præproperantes, et citos, brevibus natura cunctis prope syllabis, factos versus, si librarii non corrupissent, proceleusmatica metra agnosceres, sic metiens: 'Et amita, Veneris, properiter, obiit.' Vel Pyrrhichiaca, ad hunc modum: 'Et a, mita, Vene, ria, pro pe, riter, obi, it.' *Vinetus.*

[redacted]

[redacted]

urbe, est dicta, ubi colebatur. *Vinetus.*

No. 188. 1 *Æmilia hos, vix nota*] Ita concinnius puto fore. In sequenti versu recte, meo judicio, vetus liber habebat, *Debent*, non *Debet*. Ut sint τὰ ἐλεγεῖα. Ita in Epigrammatis: 'Hermiones zonæ textum elegion erat.' *Scaliger.*

Æmilia hos, vix nota] Sic Lugdunenses, quod erat, *Emiliamixnota*. Si legas, *Æmilia vix nota*, 'Æmilia' brevem producet, ut supra 'Driadia.' *Debent* autem habebat exemplar, non *debet*. 'Elegea' namque plurale esse potest: quum etiam τὸ ἐλεγεῖον dicant Græci, ut in Epigrammate nonagesimo quarto. *Vinetus.*

6 *Properata peregit Tempora*] Hæc prima liberorum Julii Ausonii, infans, et adhuc lactens, et sic Ausonio vix nota, mortem obiit: ut est in Patris epicedio. *Idem.*

8 *Quique minore venis*] Tertia persona *venit*, in exemplari, hoc sensu: Qui ex parentibus nostris venit tardius, ad te, et qui celerius. *Idem.*

No. 189. 2 *Censoris*] Severi Censoris Juliani, Carmine vicesimo secundo defleti. *Vinetus.*

5 *Tanaquil*] Prisci Tarquinii Romanorum regis uxor Tanaquil perspicaci fuit, sollertique ingenio, ut Plutarchus de fortuna Romanorum, Livius libro primo, aliique scripserunt. Quo tamen nomine quum Pontii Paulini uxorem appellasset Ausonius, rescripsit Paulinus: 'Nec Tanaquil mihi, sed Lucretia conjux.' *Idem.*

Pythagorea Theano] Hæc sive uxor Pythagoræ fuit, sive discipula tantum, ut Diogenes Laërtius incertum tradit, multa scripserat, auctore Suida, ex quibus pauculas Epistolas una cum ipsius Diogenis scriptis, edidit Henricus Stephanus. Hanc Theano inter illos Censorinus enumerat, qui mulierem septimo mense parere posse affirmarunt. *Idem.*

6 *Quæque sine exemplo est in nece functa viri*] Nullum erat verbum in exemplari. Arriam, puto, significat: de qua Martialis tetrastichon lib. I. 'Casta suo gladium quum traderet Arria Pæto, Quem de visceribus traxerat ipsa suis, Siqua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit, Sed tu quod facies, hoc mihi, Pæte, dolet.' Dio libro quinquagesimo octavo, et Plinius libri tertii Epistola sextadecima. *Idem.*

Quæque sine exemplo] Errat Vinetus, quum Arriam significari putat. Alcestis ea est. Liquet, quia mox, 'Et tibi si fatum,' &c. Id est, si ea item Pomponiæ conditio fuisset lata, quæ Alcestidi, ut sua morte mariti vitam redimere potuisset, viveret etiam nunc Censor ejus maritus.

12 *Cum genero*] Gener meus est, meæ filiæ maritus: et filii mei uxor, Nurus mea: Socer vero ego tam mei generi, quam meæ nurus: uxorque mea, Socrus amborum. Hinc Consocer, et Consocrus apud Suetonium, Ausonium, et Theophilum: Consocerique dicti, quorum alterius filiam filius alterius duxit: ac similiter Consocrus. *Vinetus.*

PROFESSORES.

No. 190. *Commemoratio Professorum Burdigalensium*] Hunc indicem Ausonium huic libello præfixisse mihi persuadere non possum. Sumtus est ex Præfatione Epitaphiorum Heroum. Quoniam Parentalia continet ut liber prior, existimo hunc fuisse Parentalium librum II. subnectitur

enim priori, ut ipsum docet initium: 'Vos etiam, quos nulla mihi cognatio junxit, Sed fama et caræ relligio patriæ:' et quæ sequuntur. Tertium Parentalium librum faciunt Epitaphia Heroum. Ostendit Præfatio: 'Ad rem pertinere existimavi, ut vel vanum opusculum materiæ congruentis absolverem: et libello, qui commemorationem habet eorum, qui vel peregrini Burdigalæ, vel qui Burdigalenses peregre docuerunt, epitaphia subnecterem, scilicet titulos sepulchrales Heroum, qui bello Trojano interfuerunt.' *Grævius.*

1 *Vos etiam*] Ausonius quum universæ suæ genti parentasset, simili pietate vir doctissimus studiosissimusque litterarum, ac Professor olim, Professoribus Burdigalensibus sibi duxit parentandum, hoc est, illos sibi commemorandum, celebrandumque Carminibus mortuos, quos Burdigalæ litteras profitentes vidisset, sive cives illi essent, sive peregrini, et eos etiam ex civibus, qui non in patria sed peregre docuissent, quemadmodum ipse meminit in Præfatione in Heroum Epitaphia. *Vinetus.*

4 *Morte obita*] Ita in Coronide ac alibi, et sic Gellius libro quinctodecimo, Ciceroque pro Sestio: 'Quos morte obita positos in illo loco videtis.' Et Virgilius decimo Æneidos: 'Morte obita quales fama est volitare figuras.' *Idem.*

No.191. *Tiberius Victor*] Tiberius hic Victor Minervius, Ausonii præceptor, filium habet Alethium Minervium sexto Carmine. Ceterum quum Eusebius in Chronicis, aut Hieronymus potius Eusebii interpres, Minervium tantum nominat apud annum a Christo nato, ut putatur, trecentesimum et quadragesimum nonum, his verbis, 'Minervius Burdigalensis, Rhetor, Romæ florentissime docet,' patrem Minervium accipito ex sexto Carmine. *Vinetus.*

7 *Fabium Calagurris*] De Calagurri in Epistolam Ausonii vicesimam quinctam. *Idem.*

11 *Multa est prætexta*] Dupliciter hoc explicare possis: nam et ita capias, ut dicat multum esse prætextatorum numerum, quos docuerit Minervius, unde laudari potius debeat: vel potius, complures se gessisse magistratus, qui toga prætexta insignes erant. Hoc est, quod ait: 'Teque canam de te, non ab honore meo.' Quod et ipsum ambigue dictum est. Prætextatos autem Grammaticorum Rhetorumque Scholas frequentavisse adeo obvium est, ut Suetonius in Q. Cæcilio Grammatico notet, ipsum Scholam aperuisse, 'sed ita, ut paucis, et tantum adolescentibus præciperet, prætextato nemini: nisi si cujus parenti hoc officium negare non posset.'

13 *Panegyricos libros*] Ut 'Panathenaicum' Isocratis librum dixit Cicero in Catone majore. Quum nihil alioqui intersit inter 'Panegyricum,' et 'Panathenaicum,' nisi quantum inter genus et formam. Laudationes erant in concione, vel suasiones. *Vinetus.*

14 *In Panathenaicis*] Nullam quippe dedit Isocrates orationem, in qua tam aperte, ac tanto cum studio, omnes ingenii sui vires exseruerit, ac omnem artis Oratoriæ ornatum adhibuerit. Cicero, ubi pleraque ornamenta, quæ genus demonstrativum admittit, in Oratore exposuit, addit: 'In Panathenaico autem Isocrates ea studiose consectatum fatetur: non enim ad judiciorum certamen, sed ad voluptatem aurium scripserat.' Quo loco *studio se* divisim legendum existimo.

15 *Fictas lites*] 'Falsas lites' in Epistola ad Axium Paulum Rhetorem. Declamationes, quales extant, quæ feruntur Quinctiliani. *Vinetus.*

Seu libeat fictas] Auctor Paneg. ad Pisonem: 'Si quando judice fesso Turbida prolatis tacuerunt jurgia rebus: Tunc etenim levibus veluti pro-

[redacted]

ludit in armis, Compositisque suas exercet litibus artes.' Ubi 'compositæ lites,' quæ Nostro 'fictæ.' Suetonius de claris Rhetor. 'Veteres controversiæ aut ex Historiis trahebantur, sicut sane nonnullæ usque adhuc: aut ex veritate ac re, siqua forte recens accidisset;' et mox: 'Olim autem eas appellationes Græci συντάξεις vocabant; mox Controversias quidam, sed aut fictas aut judiciales.' Adeantur porro Commentatores ad Petronium.

17 *Torrens*] Acris et vehemens, ut 'sermonem promptum,' et 'Isæo torrentiorem' dixit Juvenalis libro primo. Cicero libro secundo de Finibus: 'Quum enim fertur quasi torrens oratio, quamvis multa cujusque modi rapiat, nihil tamen teneas, nihil apprehendas, nusquam orationem rapidam coërceas.' *Vinetus.* Vid. quæ Horat. de Lucilio.

19 *Quod ter primum*] Cicero tertio de Oratore, et in Bruto, ac Quinctilianus libro undecimo scribunt Demosthenem interrogatum, quid primum esset in toto dicendi opere, 'Actionem' respondisse. Quid secundum? 'Actionem.' Quid tertium? 'Actionem' eandem. *Vinetus.*

22 *Memori quam fueris animo*] Quam excellenti memoria fueris. Notandum autem 'fueris,' ultima longa: qualia observarunt nonnulla apud alios poëtas Grammatici. *Idem.*

23 *Audita ut, vel lecta*] Ea fuisti memoria, ut etiam semel audita vel lecta, facillime perciperes, contineresque. Sed vide memoriarum miracula multa apud Quinctilianum libro undecimo, Solinum, Plinium, Senecam in Prœmio controversiarum, et Ciceronem. *Idem.*

25 *Vidimus et quondam*] Diceres Ausonium hoc confinxisse de suo Minervio, ex eo, quod de Publio Mucio Scævola jurisconsulto refert Quinctilianus libro undecimo, de memoria agens. *Idem.*

Vidimus et quondam tabulæ] Interesse non crediderim inter turriculam et fritillum, quibus Veteres utebantur in tesseris, lusoriisque tabulis, nec nostri Grammatici inter ista distinguunt, neque internoscendi ullam afferunt notam. Mihi autem videtur fritillus, vasculum buxeum longum et teres fuisse, e quo mitterentur tesseræ vel tali in tabulam. Id ex eo apparet, quod apud Senecam condemnatur Claudius 'alea ludere pertuso fritillo:' Sic enim frustra talos colligebat, cum semper caderent nullo retenti fundo. Verba sunt Senecæ de morte Claudii: 'Tum Æacus jubet eum alea ludere pertuso fritillo: et jam cœperat fugientes tesseras quærere et nihil proficere: Nam quoties missurus erat, resonante fritillo, Utraque subducto fugiebat tessera fundo.' Idem et pyrgus sive turricula erat, ut e Martiale constat lib. XIV. Epigr. XVI. 'Quærit compositos manus improba mittere talos. Si spes me misit, nil nisi vota facit.' Nam vasculum illud oblongum et teres imaginem et effigiem rotundæ turriculæ præbebat. Ne igitur improba fallacique manu bolos quos vellent aleatores veterani jactarent, aliosque fallerent, excogitatum fuerat ad fraudem tollendam, ut per pyrgum mitterentur tali: intus autem pyrgus excavatus erat gradatim, exsculptusque, ut agitati concussique tali, in graduum offendentes supercilia, volutarentur, incertiorque jactus esset. Bolos porro in eo ludo vel dabant, vel reducebant: unde et hodie tesserarum ludus, 'datorum ludus' vocari solet: quod idem in duodecim scriptorum ludo, vel calculorum fiebat. Cicero in Hortensio: 'Itaque tibi concedam, quod in XII. scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet.' Qui enim calculum movit, et in aliqua sede lineave collocavit, dedit: qui si se male collocasse putat, reducit calculum. *Turn.*

[redacted]

28 *Fundunt excisi*] Hinc de gradillis illis, qui intus exscalpti erant, in Epigrammata Agathiæ Scholastici scriptum, *Πύργου δουρατέου κλίμακι κευθομένην*. Et apud Sidonium: 'Tessera frequens eboratis resultatura pyrgorum gradibus.' In lemmate Epigrammatis Agathiæ jam a nobis citati, perperam excusum est, *εἰς τὰ λυτὰ Ζήνωνος τοῦ βασιλέως*. Legendum enim, *εἰς ταῦλαν Ζήνωνος*. *ταῦλα*, seu *τάβλα*, Latinum est, hoc est, Tabula lusoria. *Scaliger*. Hæc Scaliger a Xylandro mutuatus est, qui in Notis ad Cedrenum vocem *ταῦλα* explicat. Sic et de *μιτατωρίῳ* eadem idem Xylander monuerat. Nec hanc fraudem Scaligeri, sed memoriæ lapsum puto, non recordantis alibi se legisse. Sic et Fruterius aliquoties Ausonium in Verisimilibus suis emendavit: quas tamen emendationes sibi Scaliger vendicat.

35 *Nonnunquam pollens*] Interdum mensa tua exquisitioribus cibis exstructa, natali scilicet tuo die, festoque aliquo. *Vinetus*.

37 *Tanquam hæredis egens*] Scripsit Noster: *Quanquam hæredis egens*. Licet non habueris liberos, et sexagesimo ætatis anno vita abieris, tamen a nobis defletus es, ac si pater ac juvenis fuisses. Frequens autem hæc primæ in versu litteræ in scriptis Codicibus depravatio, quod sæpe majusculis characteribus scriberentur, in queis error perfacilis. Nec desunt exempla. Sic apud Virgil. in Ceiri vs. 130. legendum est: *Nec fuerat: nisi Scylla novo correpta furore, Scylla patris miseri patriæque inventa sepulchrum, Minoëm cupidis si non inhiasset ocellis*. Pro *o nimium cupidis*, uti in vulgatis. Doctis illam repetitionem *nisi si non* facile approbem. Et in Laureæ Tulli Epigrammate in Varronem, scribendum et distinguendum: *Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda. Si tamen exciderit, qua cava funda patet, Extractam puteo situlam cum ponit in horto, Ulterius standi non habet ille locum*. In editis male, *Ni tamen excid*. Unde et Varronis de fundo etymologia, hactenus manca, supplenda videtur: *Fundus dictus, aut quod funda possis mittere, aut quod fundat quotannis multa*.

Quamquam hæredis egens] Ita et de Antonino Pio Capitolinus: 'Periit anno septuagesimo: sed quasi adolescens desideratus est.'

40 *Quod superest, meminens*] Ita vetus liber: antiquitus enim dictum. Quod et a veteribus Grammaticis annotatur. Eo utitur aliquando Sidonius, ut Epistol. XII. lib. III. *Scaliger*.

Ævi quod periit meminens] Memor vitæ hic anteactæ. *Memorans*, pro *meminens*, qui hic ediderunt, ii fortasse non meminerant hoc a *memini* participium legisse apud Sergium et Priscianum libro undecimo: quo et Sidonius non semel usus est post Ausonium. *Vinetus*.

41 *Longa otia*] Mors, quam somnum, et soporem perpetuum Horatius aliique vocant. *Idem*.

No. 192. *Latinus Alcimus*] Hujus meminit Sidonius Epistola X. lib. V. Ex quo cognoscimus istum Alcimum ex Sonnicis fuisse, qui Nitiobrigibus vicini fuerunt. *Scaliger*.

Lat. Alcim.] 'Alcimus et Delphidius rhetores in Aquitania florentissime docent.' Hæc ita in Hieronymi Chronicis ad annum Christi trecentesimum et sexagesimum de duobus Burdigalensibus Rhetoribus, quorum etiam amborum meminit Sidonius Apollinaris in Epistola decima libri quincti: sed solius Alcimi in Epistola undecima libri octavi. Ubi patriam fuisse illi scribit Nitiobriges, vel Sonnicos. Qui sunt Nitiobriges quidem non alii apud Cæsarem, Strabonem, Ptolemæum, quam qui hodie a sua metropoli Aginno, Ptolemæo cognita, Aginnenses vulgo vocitantur. Sonnici vero mihi incogniti, quicunque

[redacted]

fuerunt Sidonio, non magno intervallo disjuncti ab Aginno, ut arbitror. *Vinetus.*

3 *Munusque*] *Minusque i* pro *u* reperi in exemplari, hoc sensu et ordine. Nepotes et posteri nostri, o Alcime, poterunt illi quidem dicere me non satis dignum, qui laudes tanti viri, et memoriam pro merito celebrem, sed hoc dicere non poterunt, me tui esse oblitum in commemoratione Burdigalensium Professorum. *Idem.*

Munusque dignum] Unde, quæso, pendet *Munusque dignum*, aut quis ei hic locus? Scribendum: *Minusque dignum, non et oblitum ferent Tuæ ministrum memoriæ.* Posteri, inquit, dicent me præconem esse laudum tuarum, sed minus dignum, qui meliorem merebaris, testabunturque me officii tibi debiti non esse oblitum. Inferius id ipsum repetit: 'Ignosce, nostri læsus obsequio styli: Amoris hoc crimen tui est; Quod digna nequiens promere, officium colo, Injuriose sedulus.' Nemo, puto, dubitabit de hac emendatione. *Grævius.*

22 *Quæ tenuit brevi*] Julianus patrueli suo Imperatori Constantio menses non supervixit plenos novem Augustus: ut subtilius computavimus in breviarium Eutropii: occisusque fuit a Persis anno Christi trecentesimo sexagesimo sexto, ætatis tricesimo secundo: ut est apud Eusebium et Eutropium. *Vinetus.*

23 *Sallustio plus conferent*] Ita recte vetus: Historiam, ut hinc conjicimus, suorum temporum, hoc est, Claudii Juliani Imper. conscripserat Latinus Alcimus. Julianus vero Consulatu suo quarto collegam habuit Sallustium, ad quem extant ipsius Juliani Epistolæ. Cum igitur gesta Juliani in commentarios referret, non est credibile Sallustium Consulem eum præteriisse. Id quod aperte innuit Ausonius. *Scaliger.*

Sallustio plus conferent] Sic fuit in exemplari. Fuit quidam Secundus Sallustius, cujus meminit Ammianus Marcellinus in principio libri vicesimi secundi: ac in principio vicesimi tertii dicit Præfectum Galliarum fuisse, et Consulatum gessisse cum Juliano Cæsare quartum Consule. Potest igitur Alcimus, quum rerum ab Juliano gestarum historiam scripsit, ea simul de Secundo Sallustio viro consulari scripsisse, quæ Sallustio plus gloriæ afferrent, quam Consulatus cum maximo principe gestus. 'Plus conferent libri tui.' Ita credebat Ausonius, doctissimi viri scripta nunquam interitura: quæ omnia interciderunt. Aliorum enim sunt Alcimorum, quæ scripta extant. *Vinet.*

No. 193. 1 *Rhetora Luciolum cum discipulo*] Quid hic istud 'cum discipulo?' Pro eo *condiscipulum* lego: ut dicat Ausonius Luciolum se habuisse condiscipulum primum, quum ambo eundem audirent professorem: deinde magistrum et præceptorem, quum grandior doctiorque Luciolus jam docere cœpisset: ac postremo collegam, quum et Ausonius ipse non multo post Luciolum profiteri cœpisset, eruditus et jam grandis, in eadem Burdigalensi Schola. *Vinetus.*

3 *Seu lege metrorum Condita, seu prosis solveret orsa modis*] Quid sit 'solvere condita orsa prosis modis,' fateor me non capere. Corrupta enim sunt, sed quæ facile mecum restitues, si correxeris: *Seu lege metrorum Condita, seu prosis solveret ora modis.* 'Seu lege metrorum condita,' hoc est, seu Carmina recitaret. Condere enim Carmen tritissimum loquendi genus est: seu uteretur oratione prosa. 'Solvere' et 'resolvere ora,' pro 'loqui,' poëtis et ipsum valde frequens est. *Grævius.*

4 *Prosis modis*] Utrumque recte dici, et *prosis* et *prorsis*, docet alibi Scaliger, et magnus ille Vossius pater in Etymologico suo, ad quod te remitto.

Solveret orsa] Notaverat Scaliger in

[redacted]

margine, *ora*. Sed quid tunc fiet præcedenti 'Condita?' quid quod Carmine XXI. 'Et tibi Latiis posthabite orsis Urbice Grailis celebris, Carmen Sic ἐλελίσω.' Et 'ordiri' verbum poëtarum est. Silius: 'Ordior arma, quibus cælo se gloria tollit Æneadum.' Virgilius in Culice: 'Atque ut araneoli tenuem formavimus orsum.' Noster in Protreptico ad Nepotem: 'et amabilis orsa Menandri.' 'Ora' vero 'condita' hic non dicuntur, sed 'Carmina:' ut Carm. XIII. Professor. 'Carminibus, quæ prima tuis sunt condita in annis.' Præterea τὸ 'solveret' opponitur hic τῷ 'ligare.' Statius Papinius erit, qui dubitationem omnem tollet. Hic enim lib. I. Sylv. ita canit: 'Seu plana solutis Cum struis orsa modis: seu cum tibi dulcis in artem Frangitur, et nostras curat facundia leges.' Quo loco non advertens, atque adeo nolente fere animo properans lingua legebat, *et nostra currit facundia lege*. Ausonius mox certe 'Cursus fandi' celerem facundiam appellat.

6 *Sexui utroque duos*] Pulmannus: *sexu in utroque duos*, vel *sexui utrique duos*. Id est, filium et filiam, ut Vinetus existimabat; sed posset quoque intelligi duos filios duasque filias reliquisse. Sed 'sexui' ablativus antiquus est pro 'sexu,' ut 'sexuis' genit. pro 'sexus:' et sunt exempla apud Nonium, sed ab ipso vitiose proposita. Sisenna Hist. lib. IV. 'Alii saltui ac velocitate certare.' Varro de Re Rust. lib. I. 'A quo, quod indigent potui, poma dicta esse possunt.'

10 *Nate pius*] Infinitis ferme locis Ausonium pro nominandi casu vocativum usurpasse attentus lector deprehendet, nec tamen sine exemplo Veterum, uti notat Servius in Virgil. lib. IX. vs. 641.

No. 194. *Attius Patera*] Patera hic, 'Pather' est Hieronymi Chronicis, ubi notatur annus Christi trecentesimus et tricesimus nonus: 'Pather Rhetor Romæ gloriosissime docet.' At Patherius in Epistola ad Hedibiam: 'Majores tui Patherius atque Delphidius.' Fortasse purum fuit hominis Galli vocabulum hoc, PATER. Quod autem 'pater' in titulo dicitur hic Patera, ATTIVS PATERA PATER RHETOR, quia in toto libro alium non agnosco Pateram, vocem 'pater' ex Patera ab indocto librario repetitam esse suspicor. Hujus quidem Pateræ filius fuit Delphidius insequenti Carmine celebrandus: sed illi alia nomina, quam Patera. *Vinetus*.

1 *Viceris*] Antecesseris Tiberium Minervium, Alcimum, Luciolum, prius dictos. *Vinetus*.

Doctos prius] Qui sunt 'docti prius?' Legendum, *dictos prius:* pro quo supra in Parent. Ep. VI. 'prædictus' dixit: 'Conjux prædicto quæ fuit Arborio.' Istam notionem hujus vocis melior ætas linguæ Latinæ ignorat. Nec ulli sim auctor, ut hic Ausonium sequatur, quamvis in ore vulgi nihil sit tritius. *Grævius*.

7 *Tu Bajocassis*] Ita lege ex veteri libro. Nam utrovis modo dicas, *Bagocassis*, an *Bajocassis*, nihil refert. De Beleno autem mentio est, præter alios, apud Herodianum in Maximinis: quem vocat Βελὶν. Estque Apollo. Unde et Galli herbam, qua innungebant sagittas, Belenium vocabant. Sed et alios Deos Galli præter Hesum, et Taranem Lucani habebant, nempe Abellionem et Onuavam. Abellionis hæc monimenta extant in Convenis Novempopulaniæ: DEO. ABELLIONI. MINICIA. IVSTA. V.S.L.M. Item: ABELLIONI. DEO. TAVRINVS BONE. CONI. SEVSIM. Item: ABELLIONI. CISONTEM. CISSONBONNIS. FIL. V.S.L.M. *Scaliger*.

Tu Bajocassi] Sic Petrus Pithœus restituit illud, *Tuba Gocassi*. Gallicarum provinciarum nomenclator, non pœnitendæ antiquitatis monumentum, quum Lugdunensem Galliam in

[redacted]

quattuor provincias dividit, secundam numerat Lugdunensem, cujus metropolis esset Rotomagus: ejusque provinciæ has recenset hoc ordine civitates, Bajocassium, Abrincantum, Ebroicorum, Sajorum, Lexoviorum, Constantiensium, *Bajeux*, *Avranches*, *Evreux*, *Sees*, *Lizieux*, *Coutance*: ut nunc vulgo vocitantur. Sidonius Apollinaris in Epistola duodevicesima libri quarti, 'Prædia Bajocassina,' ab ipsis Bajocassibus, ac pro Bajocassibus iisdem dixit: eaque etiam in secunda esse Lugdunensi commeminit. Antiquiores equidem citare non possum scriptores, apud quos Bajocassium nomen legerim. Eosdem esse, qui 'Bellocasses' eadem tertia declinatione apud Plinium, secunda apud Cæsarem, 'Bellocassi,' 'Vellocassi,' 'Veliocassi' leguntur, nec aio, nec nego: sed Ptolemæus in eodem Galliæ tractu 'Veneliocasios' collocat: eorumque urbem nominat Rotomagum.* Cujus quidem interpres istos Veneliocasios, et Cæsaris Vellocassos, pro Bajocassibus accepit: Rotomagumque *Bajeux* esse scripsit: verum huic homini videndum, ut ne omnia temere credamus. Nam ut illi concedamus Bajocasses, et quos diximus legi apud Cæsarem, Plinium, et Ptolemæum, eandem gentem esse, modo nobis hoc det, eam quondam latius patuisse, quam hodie; certe Rotomagus, quæ a priscis illis temporibus semper celebris locum et priscum nomen semper retinuit, et illa *Bajeux*, semper diversæ fuerint urbes, bidui fere itinere dissitæ: hæc in Gallia Celtica, procul a Sequana Celticam a Belgica disterminante: Rotomagus vero in ipsa Sequanæ ripa, Belgicæ initium faciente, sita. Ista autem Bajocassium urbs, quod nomen prius habuerit, quærimus. Bajocasses enim gens et provincia est. Quorum princeps urbs, quæ, uti diximus, vulgo *Bajeux* a Bajocassium vocabulo vocitatur, non dubito, quin proprium quondam nomen habuerit, quod nunc non extet: facileque crediderim, quemadmodum Parisiorum, Biturigum, Santonum, Vasatium, aliorumque multorum principes urbes priora sua nomina amiserunt, et a suis populis nova induerunt, ita quam dicimus *Bajeux* *Bajocassium*, *Bajocasses*, *Bajocassosve*, ac *Bajocassas* potius prima inflexione, aliquando vetustiore abolito nomine, appellatam fuisse: ab rectoque isto *Bajocassa*, *Bajocassis* Ausonium hic scripsisse, *Tu Bajocassis, stirpe Druidarum satus*: sed cujus obliqui ultimam litteram *s*, ab insequentis vocis prima *s*, fuisse absumptam. *Vinetus.*

Stirpe Druidarum satus] Erant Druidæ in Gallia, qui in Græcia Philosophi, apud Persas Magi, apud Indos Gymnosophistæ, ac Chaldæi apud Assyrios, ut scribit Diogenes. De quibus nusquam plura, quam in sexto commentario Julii Cæsaris de Bello Gallico. Druidicæ magiæ multis locis historiæ Naturalis meminit Plinius, sed in extremo libro sextodecimo ad hunc modum, ubi de visco disputat. 'Non est omittenda,' inquit, 'in ea re et Galliarum admiratio. Nihil habent Druidæ (ita suos appellant magos) visco, et arbore, in qua gignatur, si modo sit robur, sacratius. Jam per se roborum eligunt lucos, nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione Græca possint Druidæ videri. Enimvero quicquid adnascatur illis, e cælo missum putant, signumque esse electæ ab ipso Deo arboris. Est autem id rarum admodum inventu: et repertum magna religione petitur, et ante omnia sexta luna: quæ principia mensium, annorumque his facit, et sæculi post tricesimum annum: quia jam virium abunde habeat, nec sit sui dimidia. Omnia sanantem appellantes suo vocabulo, sacrificiis epulisque rite sub arbore præparatis, duos admovent

[redacted]

candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum [vinciantur. Sacerdos, candida veste cultus, arborem scandit. Falce aurea demetit. Candido id excipitur sago. Tum deinde victimas immolant, precantes, ut suum donum Deus prosperum faciat his, quibus dederit. Fœcunditatem, eo poto, dari cuique animali sterili, arbitrantur, contraque venena omnia esse remedio. Tanta gentium in rebus frivolis plerumque religio.' Hæc Plinius: ex quo loco quidam ex nostris quid aliquando collegerint, referre non pigebit. Mos est in nostra Gallia, ceterum qui jam fere exolevit, ut quotannis pridie kalendas Januarias nonnulli ex singularum curiarum adolescentibus, quini, seni, septeni, octoni, noveni, denive, cunctos suæ curiæ vicos, villasque, et qui in circumjectis curiis sunt proximi, cum tibicine obeant, Carmine stipem petant, aliquid laridi, aut panis, quod verubus infixum asportant, aut pecuniæ quippiam, accipiant. Postridie quicquid collectum fuit, in ædem convenientes, Numini offerant. Id statim auctione vendatur: ea pecuniola, ut Deo consecrata, in sacros usus recondatur. Quod autem canunt Carmen inconditum, quam accipiunt stipem, quo die id faciunt, τὴν *Aguilanneuf* vocitant. Quod verbum, fuerunt inter doctos, qui quærerent, quid sibi vellet. Merlinusque Sanctogelasianus Engulismensis, ad quem extant Christophori Longolii litteræ, *Aguilanneuf*, *A gui l' an neuf*, id est, ad viscum τὸν annum novum esse dicebat: moremque istum ex vetere Druidarum religione ad nos manasse: qui per suos adolescentes ita cunctis viscum suum anni principio mitterent. Quod qui ferrent, iis aliquod quasi laboris præmium daretur. Clamarentque omnes eo viso, annum esse novum. Sic de hoc Merlinum conjicientem audivimus, amœno, elegantique virum ingenio: et de hac re quod composuerat vernaculo sermone, decastichon nobis recitavit. *Vinetus.*

9 *Beleni*] Idem vocabulum, duabus similiter correptis in Carmine decimo hujus libri: quare unico *l* scribendum. Galli ergo, qui, uti scripsit Cæsar, Deos Mercurium, Apollinem, Martem, Jovem, et Minervam habebant, Apollinem suum Belenum vocitabant: sed id non soli Galli. Urbs est inter claras urbes Ausonio celebratas Aquileia: de qua hæc sunt apud Julium Capitolinum de Maximinis. ' Quum igitur frustra obsideret Aquileiam Maximinus, legatos in eandem urbem misit. Quibus populus pæne consenserat, nisi Menophilus cum collega restitisset, dicens etiam Deum Belenum per aruspices spopondisse, Maximinum esse vincendum. Unde etiam postea Maximini milites jactasse dicuntur, Apollinem contra se pugnasse: nec illam Maximi, aut Senatus, sed Deorum fuisse victoriam.' *Idem.*

12 *Apollinaris mystici*] Apollinaris hic secundum veterem scribendi rationem pro *Apollinares:* ut ' omnis,' ' tris,' et infinita alia tam apud Poëtas, quam Historicos, Tacitum præsertim. *Grævius.*

13 *Fratri patrique*] Pater et frater Attii Pateræ, Phœbicii fuerunt dicti a Phœbo Apolline. Filius vero, Delphidius, ut insequenti Carmine quincto, a Delphis civitate Græciæ Apollini sacra, inde Delphico cognominato. *Vinetus.*

16 *Et rotæ*] Sic et Sidonius Apollinaris, lib. IX. Epist. XV. ' Homericæque par et ipse gloriæ Rotas Maronis arte sectans compari.' Quamvis et de curru, cui Maronem tamquam triumphantem videtur imponere, possit intelligi. Sed indubium est illud Sulpicii Severi lib. III. Dialog. ' Sicut plerumque per clericos rotatur turbo verborum.' Item: ' trementibus labiis, incertoque vultu, decolor præ furore rotabat verba.'

[redacted]

12 *Canore, cultu præditus*] Ita Scaliger: quæ lectio confirmatur illis in Herculanum: 'Facunde, musice, et acer, Mente bonus, ingenio ingens, Volucer pede, corpore pulcher, Lingua catus, ore canorus.' Sed potest prior lectio, *Carere cultu præditus*, defendi hisce D. Augustini lib. IV. Confess. 'Erant enim ejus sermones sine verborum cultu, vivacitate sententiarum jocundi et graves.' Phrasin usurpat Noster Carm. I. Parental. 'Præditus et vitas hominum ratione medendi Porrigere, et fatis amplificare moras.' Græcismus notus. Sic Persius in Prologo: 'Negatas artifex sequi voces:' et Satyr. I. 'Callidus excusso populum suspendere naso:' qui præter ceteros in hisce multus. 'Præditus porrigere,' &c. quod Græci οἷός τε ὢν τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον τῇ ἰατρικῇ παρεκτείνειν. Latini quoque eo sensu 'paratus' dixere; ut apud Juvenalem, 'Laudare paratus:' et apud Horatium: 'Sollers ponere nunc hominem, nunc Deum.' Ita et Carm. I. Professor. 'Nullo felle tibi mens livida, tum sale multo Lingua dicax, blandis et sine lite jocis.'

14 *Felle nullo perlitus*] Lego, *perlitis*. Heinsius. et ita vetus liber. Sed mutare quid opus? quum Noster in Carm. XV. 'Cui felle nullo, melle multo mens madens Ævum per omne nil amarum miscuit.' Homo 'perlitus nullo felle,' et mens hominis 'nullo felle madens' æquipollentia sunt.

22 *Ut Aquilæ senectus, aut equi*] 'Aquilæ senecta, Corydi juventa,' proverbium est apud Erasmum, de vivida viridique senecta, quæ præstantior sit aliquorum juventa. Equi vero canescunt illi quidem senio, ut homines, vel auctore Plinio: ceterum canities illa deformes non reddit. *Vinetus*.

No. 195. *Atticus Tiro Delphidius*] Attii Pateræ filius, fuit celeberrimus et acerrimus sui temporis orator. Ejus nomen corruptum est in Epistola Sidonii x. lib. v. Nam ibi perperam 'Adelphidius.' Cum enim majores ejus ducerent genus a templo Apollinis, seu Beleni, congrua Apollini nomina semper assumebant. Nam in ea gente alii Pateræ dicti, quod lingua prisca Gallorum ita sacerdotes Apollinares vocarentur: alii Phœbitii, a Phœbo: alii Delphidii, a Delphis. *Scaliger*.

Atticus Tyro Delphidius] Est hic Delphidius, quem scribit Hieronymus Rhetoricam in Aquitania florentissime docuisse ad annum Christi trecentesimum sexagesimumque, et, se adolescentulo, omnes Gallos, prosa versuque, suo illustravisse ingenio, in Epistola ad Hedibiam. Cujus abundantiam laudat Sidonius Apollinaris Epistola decima libri quincti, et quem Ammianus Marcellinus oratorem acerrimum vocat in principio libri octavidecimi. Quod autem *Atticus* appellatur, quum Patera pater *Attius*, nominibus unica litterula discrepantibus, mendi aliquid subesse suspicio est. *Vinetus*.

3 *Subtextus*] Subjunctus. *Idem*.

6 *Dei*] Beleni, ut monuit Pithœus. De quo Gallico Apolline, in priori Carmine. *Idem*.

7 *Sertum coronæ*] Ausonius celebrat hunc nostrum Delphidium, quod vix dum pubes Capitolinam quercum meruerit. Hoc est, poëta coronatus fuerit. 'Olympiam coronam' vocat 'quercum Capitolinam,' quam merebant poëtæ, qui in agonibus Capitolinis poëmate vicerant. Ii agones Capitolini primum a Domitiano instituti sunt duodecimo ejus, et Sergii Cornelii Dolabellæ Consulatu, exemplo ludorum Olympicorum. In iis agonibus omne genus artifices certabant. Nam et citharœdi. Juvenalis: 'An Capitolinam speraret Pollio quercum.' Item et poëtæ. Martialis: 'O cui Tarpeias licuit contingere quercus.' Et histriones, ut patet ex

[redacted]

hac inscriptione: L. SVRREDIL. F. CLV. FELICIS. PROCVRATORI. AB. SCÆN. THEAT. IMP. CÆSAR. DOMITIAN. PRINCIPI. CORONATO. CONTRA. OMNES SCÆNICOS. Vides eodem principe, qui hos ludos instituerat, histrionem coronatum. Illud CONTRA OMNES SCÆNICOS manifesto significat certamen et contentionem. In eo agone Statius post incredibilem totius urbis expectationem tandem Thebaidem suam recitavit. Sed non placuit, et contra eum alii coronati fuerunt. Id quod ipse non uno loco in Silvis conqueritur, sed imprimis in Epicedio patris. Unde locus Juvenalis Grammaticis non bene perpensus explicatur: 'Sed cum fregit subsellia versu, Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.' Nam satyrice dicit eum 'fregisse subsellia versu,' quod, ut Comici loquuntur, 'recitans non stetit,' sed excidit: hoc est, non placuit. Cujus rei vel ipsum Statium testem producere possumus, qui in Silvis hæc innuit, non uno loco, ut jam dixi. Cave sis confundas agonem Albanum cum hoc Capitolino. Uterque enim institutus a Domitiano. Sed nobilior Capitolinus, adeo ut Romæ non per lustra, ut antea, magnum annum, ut vocabant, sed per Capitolinos agonas supputarent. Quod a Domitiani institutione usque ad tempora sua obtinuisse Censorinus scribit. Cæterum semper agon ipse mansit Romæ: ut in eo poëtæ, rhetores, aliarumque professionum homines coronarentur ab ipso Imperatore. Neque puto aliunde poëtarum laureatorum morem manasse. Nam et ipsi antiquitus ab ipsis Cæsaribus Germanis coronabantur. Magnoque in precio habiti semper apud Italos, et Germanos, qui id honoris virtute ingenii consecuti essent. Sed in veteribus agonibus Capitolinis qui vicerant, corona et ramo lemniscatis, aut torque involutis donabantur. Nam qui secundi erant, eorum coronæ et palmæ sine lemniscis erant. Id vel ex ipso Ausonio cognoscas licet: 'Et quæ jamdudum tibi palma poëtica pollet, Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.' Sed melius Sidonius, quanquam non de agone Capitolino loquitur: 'Hic mox præcipit æquos Imperator Palmis serica, torquibus coronas Conjungi, et meritum remunerari.' Nam 'coronis torques,' et 'palmis serica,' hoc est, sericatos lemniscos conjungi vides. Quanquam, ut dixi, de aliis ludis, aliaque re loquitur. Vides tamen amplificata præmia pro ratione meritorum. Quare, ut ad rem redeamus, per 'sertum coronæ Olympiæ' nihil aliud intelligit, quam quercum agonis Capitolini, quam meruerat adhuc impubes celebrans Jovem. *Scaliger.*

12 *Orationem nexeret*] Ita lege, ex fide priscæ scripturæ. Quin et illa me auctore ita, si libet, legito: *Seu tu cohortis præsulem prætoriæ, Provinciarum aut judices Coleres, tuendis additus clientibus Famæ, et salutis sauciis.* Ex istis, et ex sequentibus colligitur hominem acerrimum fuisse, et privati literarum otii fines migrantem provinciarum tribunalia, mox et ipsa palatia frequentasse. Quod confirmatur ex lib. XVIII. Ammiani his verbis: loquitur autem de severitate Juliani in criminibus cognoscendis. 'Numerium,' inquit, 'Narbonensis paulo ante rectorem, accusatum ut furem, inusitato censorio rigore pro tribunali palam admissis volentibus audiebat: qui cum inficiatione defenderet objecta, nec posset in quoquam confutari, Delphidius orator acerrimus vehementer impugnans, documentorum inopia percitus exclamavit: 'Ecquis, florentissime Cæsar, nocens esse poterit usque, si negare suffecerit?' Circa quem Julianus: 'Ecquis,' ait, 'innocens esse poterit, si accusasse sufficiet?'' Ex istis potes et acerrimum hominis ingenium et desultorium vivendi genus cognos-

[redacted]

cere. Tempora autem tyrannica semper apud Ausonium intelliguntur de Imperio Maximi tyranni, qui Gratianum interfecit. *Scaliger.*

Orationem texeret] Lege: *texeret*, quamvis Scaliger *nexeret* maluerit. Diserte enim liber optimus, *orationem texeret;* et quid protritius, quam 'texere Carmen?' 'æqua lege,' id est, eodem metri genere. Sed et in fine hujus opusculi: 'Accipite mœstum Carminis cultum mei, Textum querela flebili.'

13 *Celebrata variis*] Sidonius Apollin. lib. v. Ep. x. 'Tua vero tam clara, tam spectabilis dictio est, ut illi divisio Palæmonis, gravitas Gallionis, abundantia Delphidii, Agræcii disciplina, &c. non modo non superiora sed vix æquiparabilia scribantur.'

15 *Cohortis Præsulem Prætoriæ*] Præfectum Prætorio. De cujus officio, caput est undecimum libri primi Digestorum Justiniani. *Vinetus.*

17 *Tuendis addictus clientis*] *Coleris* erat in exemplari. Quod verbum in *coleres* mutare placuit. At ultimum quoque versus verbum mendosum est, cum neque *clientis*, neque, ut in exemplari fuit, *cluentis*, *u* pro *i*, legi possit. *Clientiis*, aut *clientibus*, sed *clientiis* potius. Solus est Sidonius Apollinaris, apud quem hoc nomen legere meminimus: 'Clientiarum sive nutricum loquacissimus chorus,' inquit in libri secundi Epistola secunda, pro clientis et ancillis, cum Ausonius pro clientelis et clientum multitudine hic usurpasse videatur. *Idem.*

18 *Famæ et salutis sauciis*] De quorum fama, existimatione, fortunis, capite, vita, agebatur. 'Famæ' autem 'et salutis saucius' hoc loco, sicut 'fatigationis hesternæ, et animi,' apud Apuleium: sed 'amore et cura' apud Ciceronem, et Virgilium. *Idem.*

21 *Nec odia*] Dum Narbonensem causam contra rectorem Numerium, aliasque ejusmodi suscipit Delphidius, multorum potentiorum odia in se concitavit: qui ulti sunt. *Idem.*

23 *Nec inquieto*] Si nec te attolleres, et eveheres in aula Imperatoria turbata per eos, qui regnum affectabant. Quibus Consulibus obiit Delphidius, non legi: sed ejus conjugem post ipsum esse mortuam, anno Christi trecentesimo et octogesimo octavo, mox audies, paucis post mensibus, quam Maximus, interfecto Gratiano, tyrannidem arripuisset. Hieronymus ipsum tradit sub Constantini Magni filiis floruisse: qui dum de Imperio inter se contenderent, Magnentius, Vetranio, Decentius, Nepotianus, Silvanus aliique tyrannidem occuparunt. *Idem.*

25 *Dum spem remotam*] Lucretius lib. III. 'Sed dum abest, quod avemus, id exsuperare videtur Cætera: post aliud, cum contigit illud, avemus.' Ovidius lib. II. Eleg. IX. Amor. 'Venator sequitur fugientia, capta relinquit, Semper et inventis ulteriora petit.' Horatius serm. lib. I. Sat. II. 'Leporem venator ut alta In nive sectetur: positum sic tangere nolit: Cantat, et apponit: Meus est amor huic similis: nam Transvolat in medio posita, et fugientia captat.' Manilius lib. IV. 'Nec quod habet, numerat: tantum quod non habet, optat.' Curtius de Amicis Alex. M. 'Sed difficile erat eo contentos esse, quod obtulerat occasio: quippe sordent prima, cum majora quæque sperantur.' Plura Pindarus Pyth. Od. III. et Plutarchus περὶ εὐθυμίας.

32 *Donatus ærumnis patris*] Condonatum filio, quidquid id criminis fuit, precibus et lacrymis patris Pateræ, optimi, doctissimique senis. *Vinetus.*

33 *Nec docendi pertinax*] Minime assiduus. *Idem.*

34 *Curam patrum*] Qui tibi liberos suos in disciplinam tradiderant: quos ita negligenter instituebas. *Idem.*

[redacted]

35 *Minus malorum*] Ita ex correctione nostra. Caussam addit: 'Errore quod non deviantis filiæ, Pœnaque læsus conjugis.' Non enim cuivis nota est historia. Nam Euchrotia Delphidii uxor cum aliis in Synodo Burdigalensi damnata est Treveris a Maximo Tyranno, quod Priscilliani hæresi nomen dedissent. Sed quia nihil ἀνέγγυον, neque ἀμάρτυρον producere debemus, proferam verba ex vetustiss. scheda, ubi hujus rei mentio fit, ita: 'Priscillianus in Synodo Burdigalensi damnandum se intelligens, ad Imp. Maximum provocavit. Auditusque Treveris, ab Enodio Præfecto Prætorio Maximi, gladio addictus est cum Euchrotia Delphidii Rhetoris conjuge, et Latroniano, aliisque erroris consortibus.' Attigerunt alii quidem hanc historiam, et Euchrotiæ meminerunt, sed Delphidii uxorem fuisse non addunt. Hieronymus autem præter Priscillianum, et Euchrotiam, addit præterea Julianum, Felicissimum, addit et Severus Armenium, eo nomine damnatos fuisse. Lego autem *filiæ* non *filii.* Sulpicius Severus loquens de hac re: 'Inde iter cœptum ingressi, turpi sane, pudibundoque comitatu, cum uxoribus atque alienis etiam feminis, in quis erat Euchrotia, ac filia ejus Procula: de qua fuit in sermone hominum, Priscilliani stupro gravidam, partum sibi graminibus abegisse.' *Scaliger.*

37 *Deviantis filii*] 'Devius' legitur apud Ciceronem, et alios veteres Latinos, sed non inde verbum 'deviare,' pro deflectere a recta via, quod sciam. De filio autem Delphidii nihil mihi legere memini, sed de filia nomine Procula, quæ cum matre Priscillianum sit sectata. *Vinetus.*

38 *Pœnaque*] Sic legendum pro *pœnæque.* Quod non sis læsus, nec doluisti errore filii, nec pœna tuæ uxoris. De filio tamen Delphidii nihil ego comperi, quod jam dixi, sed de filia et uxore hæc accipe. Erat in Hispania Priscillianus, cujus sectatores Augustinus, et alii, Priscillianistas appellarunt, qui diceret inter alia, Animas ejusdem naturæ, substantiæque esse, cujus est Deus. Eas ad agonem quendam spontaneum in terris exercendum, per septem cælos, et principatus quosdam gradatim descendere. In malignum principem incidere: a quo hic Mundus esset factus: atque ab hoc principe per diversa carnis corpora seminari. Fatalibus stellis homines colligari: ipsumque corpus humanum secundum duodecim signa Zodiaci esse compositum. Carnes tanquam immundas escas, devitandas esse. Conjuges, viros a volentibus feminis, feminas a volentibus viris disjungebat. Quippe qui carnis omnis opificium non Deo bono et vero, sed malignis angelis tribuebat. Hæc et ejusmodi alia sua deliramenta quum plerisque Hispanis, ac inter alios, Episcopis Instantio, et Salviano jam persuasisset Priscillianus: elicuissentque tandem alii Episcopi a Gratiano Augusto Ausonii discipulo rescriptum, quo Priscillianus, et ejus sectatores non solum Ecclesiis et urbibus, verum etiam extra omnes terras propelli jubebantur; Priscillianus, Instantius, et Salvianus, Romam sui apud Damasum, Urbis ea tempestate Episcopum, purgandi causa, proficisci decreverunt. Iter per Aquitaniam fecerunt. Multis locis magnifice ab imperitis suscepti, perfidiæ suæ semina sparserunt. Burdigala tamen Episcopus Delphinus, ad quem extant Paulini Episcopi Nolani litteræ, exclusit. Ceterum Euchrotia Burdigalensis matrona, Delphidii poëtæ et Rhetoris clarissimi uxor, vidua, Hispanos in agro suo excepit. Ubi aliquantisper commorati, nonnullos suis erroribus infecere. Cœptum iter inde ingrediuntur, cum uxoribus et feminis alienis: in quibus erat ipsa Euchrotia, ejusque filia Procula: quam Priscilliani

[redacted]

stupro gravidam, partum sibi graminibus abegisse, rumor fuit. In Italiam perveniunt: sed nec Romæ Damasus, nec Mediolani Ambrosius ille, in conspectum suum venire sustinuerunt. Hac quia non successisset, alia via aggrediendum fuit. Qui gratia et auctoritate plurimum poterant apud Imperatorem, pecunia corrumpuntur: et sic in pristinum statum isti restituuntur. Invadit interea Maximus imperium. Gratianum apud Parisios vincit. Lugduni capit, et interficit. Augustam Treverorum venit. Hinc litteris ad Præfectum Galliarum, Hispaniarumque Vicarium, datis, Priscillianum, Priscillianistasque omnes omnino Burdigalam ad Synodum deduci jubet. Primus causam dicit Instantius: et sacerdotio indignus judicatur. Ita Priscillianus timuit: et ad Imperatorem provocavit. Sicque omnes, quos ea causa involverat, Treveros deducti sunt. Ubi Priscillianus, et aliquot alii cum Euchrotia, gladio perempti fuerunt, ut Sulpicius Severus scribit libro posteriore Sacræ Historiæ, Hieronymusque in extremis viris illustribus, anno Christi trecentesimo et octogesimo octavo, quomodo putatur in Prosperi Aquitani Chronicis. Hoc ergo est uxoris supplicium, quod quia non vidit Delphidius, felicem prædicat Ausonius, et ob quod immanitatis Maximum accusat Drepanius Pacatus in panegyrico, quem non multo post Theodosio Augusto Romæ dixit. Cujus apponam verba. 'De virorum mortibus loquor. Quum descensum recorder ad sanguinem feminarum, et in sexum, cui bella parcunt, non parce sævitum. Sed nimium graves suberant, invidiosæque causæ, ut unco ad pœnam clari vatis matrona raperetur. Objiciebatur enim, atque etiam exprobrabatur mulieri viduæ nimia religio, et diligentius culta divinitas,' &c. *Vinetus.*

No. 196. *Alethio*] Parentalium Carminum tituli rectis omnes: Professorum vero partim rectis, partim obliquis casibus. At Epitaphiorum Heroum dativis cuncti positi, quisquis ita scripserit. Hic enim nihil non semper ausi sunt imperiti librarii. *Vinetus.*

1 *O flos juvenum*] Propter versuum brevitatem multa in Alethii Minervii Rhetoris Elogio transposita erant. quæ nescio plusne deformitatis eo ordine, quo antea legebantur, habuerint, quam nunc venustatis habeant pristino ordini, et in integrum restituta. In quo non mediocriter veteris libri scriptura adjuti sumus, non quod non pene eadem confusio in eo fuerit: sed quia quædam in illis aut addita, aut repetita erant, quæ multum nobis ad divinandum profuerunt. Non potest dici, quanta elegantia in illis versibus sit, quantaque studiosorum poëtices jactura illi præpostero ordine legebantur. In illis hoc præstitimus. Versiculum illum, *Postque Patera*, ex notis fugientibus veteris exemplaris reposuimus, quamvis ibi alieno loco legebatur. Sed ante eum versiculum deest sine dubio tale quid, *Post fata patris.* Nam prior fuit Latinus Alcimus Alethius pater hujus Alethii Minervii. Cui successit Patera. Non potest igitur alius ante Pateram poni præter patrem ipsum Minervii: ut taceam interea quam recte illa cohæreant. Ait primum impuberem docuisse: Prætextatum jam patris laudem æquasse: adultum, et post tirocinium togæ in ipso flore ætatis immatura morte præreptum, postquam sine venia patris uxorem ex nobilissima domo duxisset, nullis liberis, nullis suis heredibus decessisse. Vel potius ipsum mortuo patri heredem suum non extitisse. Nam malo legere, *herede suo*, non *tuo*. Propterea 'solstitialem herbam' vocavit, imitatus Plautum: quod proverbialiter dicitur de re fugaci, et non diuturna. 'Cla-

ra cohortis Vexilla' vocat, ni fallor, ducatum Scholæ, et cathedræ principatum. Pro *Consuleras tu:* reposuimus *Contuleras te.* 'Connubium,' affinitatem; quod et ab aliis usurpatum memini. Duos ultimos versus notissimum ex Horatio petitos. Propterea ita correximus, et posuimus nomen Horatii. Dictum autem, 'Dicte profatu,' pro, Dictus. Vocandi, pro nominandi casu, quod toties notamus in Ausonio. Sic dixit, 'Prætextate,' pro Prætextatus. Nam ita habebat vetus membrana. *Scaliger.*

O flos Juvenum] Perturbatissimus est in scriptis horum versuum ordo. Atque hinc accidit, ut quum Minervium hunc summis laudibus voluerit Ausonius efferre, culpare pæne videatur, saltem si Scaligero credimus, qui putat etiam patri suo non fuisse heredem. Ut igitur hic Alethius ea sit existimatione apud posteros, qua eum esse voluit Poëta, hoc mihi ordine totum Carmen legendum videtur: [ut nos in textu excudimus.] En quam diversa hæc a mente et interpretatione Scaligeri! 'Deseruisti' (scil. immatura morte raptus) omnia hæc naturæ et fortunæ dona, ne relictis quidem liberis, qui divitias utriusque domus hereditario jure possiderent. Sic Carm. XXIV. 'Tam decus omne tuis, quam mox dolor, omnia acerbo Funere destituis.' Id est, *deseris.* 'Rhetorica floris adulti fruge carens' est, quæ necdum ad illam provectioris ætatis pervenit maturitatem, ut 'pro spe rem fruendam' daret, ut alibi Noster. Versum qui deerat, ita supplevi, *Post Nazarium, Postque Pateram.* Quare *Pateram* quam *Pateræ* malim, vetus liber et præpositionis regimen faciunt: in illo namque, *Postque Petera:* ubi facile nota illa ˜, quæ *m* literam designat, negligi potuisse videtur: hæc autem accusativum poscit. Nec video, quare ellipsis sit adsumenda. 'Nazarium' unde acceperim quærentibus, qui in præcedentibus commemoratus non est, satisfaciam spero, si Carmen XIV. respicere dignentur, ubi hæc duo nomina eodem modo junguntur: 'Gloria Athenæi cognita sede loci, Nazario, et claro quondam delata Pateræ.'

2 *Patris*] Tiberii Victoris Minervii, quomodo puto: qui primus hoc in libro fuit defletus. *Vinetus.*

35 *Solstitialis Velut herba solet*] Pseudolus servus in principio Plautinæ Pseudoli: 'Quasi solstitialis herba paulisper fui. Repente exortus sum: repentino occidi.' *Vinetus.*

Solstitialis Velut herba] Usitatissima ab herbis et floribus utitur comparatione. Sic Statius lib. II. Sylv. 1. 'Ille, velut primos exspiraturus ad austros Mollibus in pratis alte flos improbus exstat, Sic tener ante diem vultu gressuque superbo Vicerat æquales, multumque reliquerat annos.' Idem lib. III. in lacr. Hetrusci: 'Sed media cecidere abrupta juventa Gaudia, florentesque manu scidit Atropos annos. Qualia pallentes declinant lilia culmos, Rubentesque rosæ primos moriuntur ad austros, Aut ubi verna novis exspirat purpura pratis.'

37 *Ostentatus Raptusque*] Qui cito fato rapiuntur, nec multum annorum numerum faciunt, Ostensi tantum humanæ vitæ dicuntur. Virgilius de Marcello: 'Ostendent terris hunc tantum fata.' Venantius lib. IV. Carm. XXVI. 'Omne bonum velox, fugitivaque gaudia mundi Monstrantur terris, et cito lapsa ruunt.' *Barthius.*

49 *Utriusque sine*] In Veteri libro erat *Utriusque domus Sine herede tuo.* Ubi primam videtur corripuisse Poëta, contra quam solent alii. Et cum *hæres* sæpe per diphthongum scribatur, Noster autem diphthongos elisa una vocali quandoque soleat corripere, more hic fortassis suo fecerit, et 'sine here' pro anapæsto

posuerit. Imo hæc certissima conjectura est. Sic et Prudentius primam in 'ænigmate' corripuit, in Apotheosi: 'Legis in effigie scriptum per enigmata Christum:' quem poëtam qui legerit, aut adverterit diphthongos seu Græcorum vocales longas, quæ duarum brevium instar sunt, omissa altera vocali corripientem, minus id in Nostro mirabitur. Fuit hæc illius ævi licentia, quam in Ausonio pluribus locis indicamus. *Eres* autem pro *Hæres* sæpissime in marmoribus occurrit: quod et notis in illa veteri inscriptione designari existimem, quæ ab Ursato inter Patavina monumenta recensetur pag. 249. nec ab illo explicari potuit:

L. M.
E. SEX. L. H.
IN. F. P. XIIX.
IN. A. P. XXXII.

Id est, Locus Monumenti. Eredes sequetur locus hic, in fronte pedes XIIX. in Agrum pedes XXXII. nam pro SEX, absque dubio SEQ. scribendum est.

51 *Quam fatiloquo profatu*] Profari, de vatibus et fatidicis plerumque usurpatur, ut prædicere futura, vaticinarique, significet. Quod et veteris Jurisconsulti auctoritate de altero probat Budæus in annotationibus. 'Si servus inter fanaticos non semper caput jactaret, et aliqua profatus esset.' Hinc 'profatus' dixit Ausonius pro voce fatidici, pro prædictione, vaticinio, oraculo. *Vinetus.* Petron. in Trojæ Halosi: 'Quum Delio profante cæsi vertices.' Catull. in Epith. Pelei et Thetidos: 'Talia profantes quondam felicia Peleo Carmina divino cecinerunt pectore Parcæ.' Ita enim illic legendum.

54 *Nil est ab omni*] Sic ibi fuit. Sed apud Horatium, in Ode scilicet sexta decima libri secundi Carminum: 'Nihil est ab omni Parte beatum.' Quomodo etiam Ausonium scripsisse crediderim. Primum enim, quum tanti putet vatis Lyrici oraculum, cur suis omnino verbis, alio etiam metri genere, non extulerit? Deinde Carminis hujus metra, quum pleraque sint anapæstica, quocunque genere suus poëta constituerit, cur hemistichium istud metri Sapphici hendecasyllabi, et qui ipsum sequitur, Adonius versus, anapæstica non videantur? Anapæsticum namque metrum pro suis, hoc est, pro Anapæstis pedibus, spondeos, et dactylos passim admittit. Quare, 'parte beatum,' tam Anapæsticum metrum erit, quam Dactylicum Adonium: qualia sunt multa in hoc Ausonii Carmine metra, ut 'Rhetor Alethi,' 'Major utroque,' 'Doctor in annis.' Hemistichium autem Sapphicum, 'Nihil est ab omni,' purum putum esse Anapæsticum potest, correpta penultima syllaba, quæ longa erat. In ea namque voce, *o*, natura brevem esse contendunt, qui eam ab veteribus poëtis correptam fuisse docent. Lucretius libro primo: 'Per gentes Italas omnium quæ clara clueret.' Et tertio: 'Quum semel ex omnibus membris ablata recessit.' Terentius in Andriæ actu secundo: 'Sine omni periclo, nam hocce haud dubium est quin Chremes,' Metro iambico senario, pedeque anapæsto in prima sede. Idem in Actu secundo Eunuchi, metro iambico octonario, et pede dactylo in quarta sede: 'Quum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.' Et in extrema Hecyra, dactylo anapæstove in principio metri etiam octonarii iambici: 'Omnia omnes ubi resciscunt: hi quos par fuerat resciscere.' *Vinetus.*

No. 197. *Leontius Grammaticus, cognomento Beatus*] Non *Beatus*, sed *Lascivus* fuit cognomen Leontio, docet Epigr. 'Iste Lascivus patiens vocari.' Lascivus dictus est, quia hilariter vitam transegit in ludis jocisque. Lascivus enim non est libi-

[redacted]

dinosus, sed petulans: sic 'lascivire milites' Tacito dicuntur, cum tempus transigunt ludendo, tempore feriarum. 'Lascivi pueri' Horat. 'Lasciva puella' Virg. 'Malo me Galatea petit lasciva puella.' *Grævius.*

5 *Iste Lascivus*] *Lascivus*, quo nomine vulgo appellabatur Leontius, nec moleste ferebat, in malam partem fere accipitur, et quæ hinc sunt lascivia, lascivire, pro petulante, procace, molli, libidinoso. *Vinetus.*

19 *Munus ingratum*] 'Tibi' ad 'debitum' referendum est: 'ingratum' enim Poëtæ erat munus, qui maluisset non dare: sic in Carm. XVII. de Arborio: 'Hinc renovat, &c. Annuus ingrata relligione dies.'

No. 198. 14 *Neque disciplinis*] Eadem de se testatur D. Augustinus l. I. Confess. 'Quid autem erat caussæ, cur Græcas literas oderam, quibus puerulus imbuebar, ne nunc quidem satis exploratum est. Adamaveram enim literas, non quas primi magistri, sed quas docent, qui Grammatici vocantur. Nam illas primas, ubi legere, et scribere, et numerare discitur, non minus onerosas pœnalesque habebam, quam omnes Græcas.' Qui locus et sequens Carmen illustrat.

17 *Vos levis cæspes*] Ovidius de Tibullo: 'Ossa quieta precor tuta requiescere in urna: Et sit humus cineri non onerosa tuo.' Sic autem in veteri illo codice *Cæspes* prima diphthongo. *Vinetus.*

Vos levis cæspes] Quamquam hæc notissima sunt, elegantem tamen Tertulliani locum quin adscribam, continere me non possum. Ille igitur de Anima cap. IV. 'Quid quod,' inquit, 'ut sentienti maledicis, cujus memoriam cum alicujus offensæ morsu facis? Terram gravem imprecaris, et cineri penes inferos tormentum. Æque ex bona parte, cui gratiam debes, ossibus et cineribus ejus refrigerium comprecaris, et ut bene requiescat apud inferos cupis.'

5 *Hoc ipso care magis studio*] Quem ob id pluris facio: quod ambiveris munus, cui gerendo tametsi minime idoneus eras propter exilem eruditionem, tamen quia sic locum inter doctissimos professores tenuisti, inter eos te, sodalis quondam et amicus, commemorandi occasionem nunc habeo. *Vinetus.*

6 *Es meritos inter*] Ita legendum. *Commemorande*, hoc est, commemorandus, ut supra, 'prætextate,' et similia: et in Mosella: 'Tempora longarum fers incorrupte morarum.' 'Incorrupte' dixit, pro incorruptus. *Scaliger.*

Es meritos inter] Pro *commemorandus*, ut aliis notatum: est autem hic sensus: quod tam eximium Grammatici nomen, quamvis impar ingenii viribus, appetieris, ideo commemorandus es inter eos, qui eruditione sua tueri illud poterant, atque adeo merebantur.

No. 200. *Grammaticis*] Quod superius acciderat propter versuum brevitatem, ut plurima suis sedibus quasi vi dejecta fuerint, id in Philologis Burdigalensibus videre etiam licet: in quibus multa perperam tranposita sunt a vetere librario: non pauca etiam a Correctore Lugdunensi depravata: quem tanta religio incesserat, ut cum Ausonio duos versus eripuisset, duos ultro munificus de suo dederit: tanquam hanc illi compensationem imputandam censeret. Nos contra illos versus Ausonio eripiemus, et suos ei reddemus. Sed prius lemma, seu titulus ita concipi debet: *Grammaticis Latinis Burdigalensibus Philologis, Macrino, Phœbitio, Concordio, Sucuroni, Ammonio Anastasio Grammatico Pictaviorum.* Totidem enim hic recenset Ausonius: ne putes Anastasium Ammonium ab his separandum esse, quod tamen commissum est in vulgatis editionibus, et in veteri exemplari. Igitur ita lege, et digere

hos versus, uti nos transposuimus. In quibus luce clariora sunt omnia, quæ ante obscura, distorta, depravata legebantur. *Scaliger.*

1 *Nunc ut quemque*] An ut elegiaci meri legendi sint hi versus, an vero, ut nunc, disjuncti, ad gratiam fortassis aliquid, ad rem nihil facere arbitror. Conatus tamen sum in ordinem redigere : sed cum jam in eo essem, ut industriæ successum adfuturum sperarem, alter, et item alter versus obstabat. Elegiacos meros reperias apud hunc Nostrum, Heliodorum, Ælium Lampridium, Martianum Capellam, Boëthium, ni fallor, &c.

11 *Permaneat*] Hoc vult: quia eorum nullum est meritum, neque alius alio præstat, se secuturum seriem, et successiones eorum, atque ætates. *Scaliger.*

13 *Sobrius in pueris Et puerorum*] Habebat codex ille Lugdunensis unico versu, *Sobrius et puerorum :* quomodo legendum esse ratio convincit. Nam quæ superest syllaba in hoc versu hypercatalectico, in sequentem rejicienda est, ut sit : *Sobrius et puero-Rum utilis ingeniis.* Habet Noster auctores suos, quos sequutus est.

16 *Credita pueritiei*] Secundus metri hujus pes *pueriti*, proceleusmaticus pro dactylo, a dactylo differens syllabarum numero, non tempore. *Vinetus.*

17 *Nomine Phœbitium*] Lege : *Phœbadium.* Hoc nomine et alii Galli fuerunt, ut ille Aginnensis episcopus, qui contra Arrianos Epistolam scripsit. 'Phœbitii' vero nomen nusquam recurrit, sed in inscriptionibus 'Phœbi' et 'Phœbiani.' *Grævius.*

21 *Sed tamen, ut placitum*] Non sine caussa addidit, quia non omnibus credibile videbatur. Quare superius idem est, quod de eadem re dixit : 'Si famà non fallit fidem,' in Elogio Attii Pateræ. *Scaliger.*

23 *Gentis Aremoricæ*] Scribit Plinius Aremoricam olim fuisse dictam eam Aquitaniæ partem, quæ Garumnam fluvium, et Pyrenæum montem interjacet : sed Cæsar commentario septimo civitates Galliæ Oceanum attingentes, Gallorum consuetudine Armoricas esse appellatas scribit : in quibus Curiosolites, Redones, Osissinos, Leonices, et alios nominat : qui tractus et Bajocasses habet, oppidumque, quod a Druidis nomen adhuc retinuisse creditur, *Dreux.* Vinetus.

25 *Nati opera obtinuit*] Filius ergo Patera, et pater Phœbicius, peregrini homines, litteras sunt Burdigalæ professi, sed pater posterior, et jam senex, filii opera studioque accitus. *Idem.*

31 *Sucuro*] Quod in vetere codice invenimus, bona fide reddidimus : nisi quod ibi, non *progenies*, sed *progeniem*, perperam legebatur. Manifesto videmus Sucuronem nomen peregrinum et servile, quod convenit huic Grammatico, quem ait libertinæ conditionis fuisse. *Scaliger.*

34 *Pange*] Correximus secuti vestigia ejusdem veteris libri, in quo *Pance* scriptum erat. Quam sæpe, *C*, pro *G*, veteres librarii posuerint, fidem fecerint illa 'subicitare,' 'inicere,' pro subigitare, et inigere, et infinita talia. *Idem.*

36 *Et memora tenuem*] Carmen hoc habebat proprium titulum, AMMONIO ANASTASIO GRAMMATICO PICTAVIORUM. et mirum ni pars ejus sit. *Vinetus.*

38 *Burdigalæ genitum*] Reposui particulam, quam vetus liber inserebat, *Burdigalæ hunc genitum.* Erat idem duobus versibus auctior, *Et memora tenuem Nænia Grammaticum.* Quos cur Scaliger correctoris Lugdunensis subdititios esse dixerit, nullam justam caussam habuit : quum enim diserte in vetusto illo codice, et ante hunc versum legantur, suo quidem, ut res ipsa docet, loco ; quare, quæso,

tamquam spurii ejicientur?

40 *Pictonicæ*] Subintellige urbi. Eodem modo 'Pictavicæ.' Sic enim in Epigrammatis: 'Imago Rufi Rhetoris Pictavicæ.' Hoc est, civitatis; ex veteri libro. Ambitio, inquit, abstulit eum suæ Burdigalæ origini, et dedit Pictonicæ civitati. Subdititii erant Correctoris Lugdunensis illi versus: *Et memora tenuem Nænia Grammaticum.* Item ille, *Quamque habuit etiam.* Quid commiserit, tibi indicavi: tu de ejus fide, et religione cogitato. Nos merito eos malæ fidei possessores dejecimus. *Scaliger.*

Pictoniceque] Hoc quomodocunque emendes, a Pictonibus 'Pictonicum litus' dixit idem Ausonius in Epistola ad Paulum de nobilibus ostreis: et 'Pictonica arva' Paulinus in Epistola ad Ausonium, 'Defore.' Sunt autem Pictones, gens, nunc *Poitevins:* ager et provincia, *Poitou*, in Galliæ Celticæ parte, quam Augustus Cæsar Aquitaniæ annexuit, ad fluvium Ligerim, et Oceanum Britannicum. Noti Cæsari, Straboni, Plinio, et aliis Veterum multis, inter quos Ptolemæus duo Pictonum oppida memorat, Augustoritum et Limonum: quorum ego neutrum nec ex situ, nec e vestigio prisci nominis agnoscere possum: quanquam non dubito, quin alterum sit, quod vulgo *Poitiers*, ab vetere gentis vocabulo vocitatur, omnium Aquitanicæ Celticæque Galliæ oppidorum maximum. Cujus civitatis, vel solius sui ante annos mille et ducentos episcopi Hilarii nomine clarissimæ, vetustatem testantur tum amphitheatri ad forum Vetus intra ipsa nunc mœnia, olim extra; tum aquædnctus, quo ad amphitheatrum et urbem ex agro meridiem spectante, aqua perducebatur, insignes reliquiæ. Dicam alias, si vita et otium suppetet, quam parum sapere illi Pictonum mihi videantur, qui se a Scythis et Pictis Agathyrsis profectos jactitant: et suis Pictavis a picta vi nomen inditum somniant. Ceterum quod quidam Grammatici non ita dudum tradiderunt, syllabam secundam in Pictones semper produci; eam in Græcis exemplaribus ego ancipitem reperio: quam corripiunt tantum Ausonius et Paulinus, nec producit Claudianus in quarto Carmine de Consulatu Honorii, ubi legendum non *Pictonum*, sed *Pictorum:* 'Incaluit Pictorum sanguine Thule.' *Vinetus.*

Pictonicæ] Sic in Mss. libris Canonum Eccles. Africanæ legas: 'Et non solum ad ipsum sanctum fratrem nostrum Constantinopolitanum Episcopum, sed etiam Alexandrinæ et Antiochenæ venerabiles sacerdotes:' pro quo in Edit. Justelli *Alexandrinum et Antiochenum* legitur, ut ego arbitror, non recte.

47 *Moribus implacidis*] Scripserat forsan Auctor *implacidus*, ut supra: 'Salibus modestus nullo felle perlitis.'

53 *Commemorare*] Trochæum versiculus amiserat, quem pronomine *mea* suppleverunt Lugdunenses. *Vinetus.*

No. 201 *Herculano*] Hic est Pomponius Maximus Herculanus: quem septimodecimo Carmine Parentalium celebravit Ausonius. *Vinetus.*

2 *Spem magis, quam fruendam*] Hic desideratur una syllaba: quæ fortasse *rem* fuerat. *Spem magis quam rem fruendam.* Optimam spem conceperat Ausonius de Herculano puero: qua se frustratum significat. *Idem.*

Spem magis] Inde juvencula pingitur Spes in antiquis numismatibus, quia cum tenera ætate incipit; in eaque 'spes, non res,' ut Cicero ait, 'laudari solet.' Anton. Augustinus. Ludere autem in hisce nominibus auctores amant: sic Noster Carm. XI. Parental. 'Pastor chare nepos, spes cujus certa fuit res.' Cicero in Verr. III. c. XIX. 'Cum in provincia tam locuplete ac referta non modo rem, sed ne spem quidem ullam reli-

[redacted]

quam cuiquam feceris.' D. Augustinus lib. IV. de Civ. Dei, c. XXIV. 'Tales Christianos imperatores dicimus esse felices interim spe, postea re ipsa futuros, cum id, quod exspectamus, advenerit.' Idem lib. X. Confess. 'Et sunt, qui spe beati sunt. Inferiore modo isti habent eam, quam illi, qui jam re ipsa beati sunt. Sed tamen meliores quam illi, qui nec re, nec spe beati sunt.'

5 *Pythagorei....tramitis rectam viam*] Vide Carmen Virgilio inscriptum de littera Pythagoræ. *Vinetus.*

6 *Sedem fove*] Id est, sepulcrum. Nam sepulcrum sedes vocatur, teste Servio ad lib. VI. Æneid. vs. 152. 'Sedibus hunc refer ante suis, et conde sepulcro.' Bene vero Servius, quod sedes, ut hic, ita et ad vers. 328. de naturalibus sedibus capit. Terræ namque debetur corpus nostrum; et est id quoque antiquissimum sepulturæ genus, quum cadavera non igne concremantur, sed injecta humo conteguntur, et 'quasi operimento matris,' ut ait Cicero, 'obducuntur.' Recte Pacuvius: 'Mater est Terra, ea parit corpus, animam æther adjugat.' Et, unde Pacuvius transtulisse videtur, Euripides: Ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμα ἀφίκετο, Ἐνταῦθ' ἀπῆλθε· πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα, Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν. Hujus opinionis assertor Thales fuit, qui quod aquam rerum omnium principem esse diceret, obruenda corpora censebat, ut possent humore resolvi. 'Sedis' porro vocabulo præter Horatium et Virgilium usus est Noster eadem significatione, Carm. hic ult. Commemor. Professor. Burdig. 'Sedem sepulcris servet immotus cinis.' Quod ait, 'quietis Manibus,' e veteri formula est, quietem securitatemque compositis cineribus comprecantium. Sic in Inscriptione veteri, quæ inter Comaram et Javarinum in Hungaria inter antiqua rudera reperta est, 'Æternæ quieti et perpetuæ securitati' reperias. Sed adscribam totam; imo potius Epistolam integram inseram, quæ ab adolescente tunc temporis annorum circiter viginti scripta, nec ingrata, ut spero, lectori, nec inutilis erit. Defungar simul officio, munificentiam erga me Illustrissimi ac fortissimi Herois NICOLAI SERINII grate commemorans. Obiit hoc Croatiæ Hungariæque lucidum sidus ante annos pauculos: cujus virtutes et animi decora, prudentiam, fortitudinem, clementiam, liberalitatem, eruditionem si tenuiter tantum delibare voluero, complures paginas implevero. Linguarum quidem complurium ita callens fuit, ut qui illum ignorantes loquentem audirent, sive ille sensus suos Hungarica, Croatica, Slavonica lingua exprimeret, (quæ dialecto potissimum variant,) sive Germanica, Latina, Italica, Turcica proloqueretur, quænam ipsi vernacula foret, ambigerent. De rebus præclare gestis nihil dicam. Tam enim earum, quas ab ineunte adolescentia ad vitæ usque terminum patravit, quam nuperi cum Turcis in Hungaria belli suo cum maxime ductu profligati memoriam nulla temporum delebit injuria. Vos autem SERINII Manes Avete: et si sentire datur post fata quietis, hanc Illustriss. Vestri nominis pertenuem commemorationem, ab animo grato, Vestræque gloriæ deditissimo profectam volentes accipite, ac æternum Valete.

SPLENDIDISSIMO AC ORNATISSIMO JUVENI

NICOLAO WITSEN,

AMICO SINGULARI,

JACOBUS TOLLIUS

χαίρειν καὶ εὐπράττειν.

Promiseram in prioribus, satisfacturum me petitioni tuæ et amicorum, qui accuratam itineris Græcensis enarrationem desiderabant. Maluissem supersedere hoc labore, ne, cum domum reversus fuero, fabularum materies circumcisa sit. Eo namque ingenio plerique homines sunt, ut e longinquis terris recens reduces non de situ terrarum urbiumve tantum, verum de eventis quoque singulis compellare aveant, et quidquid notatu miratuque dignum acciderit, curiose exquirere: quorum desideria si absens expleveris, neque novi quidquam præsens adferas, evilescit continuo illa, quam conceperant, de tanto itinere opinio: vixque satisfecisse illis officio videris, qui non in eruendis cujusque loci memorabilibus fueris attentior. Dabo tamen meritis erga me tuis hunc paucarum horarum laborem, servatoque temporis et rerum ordine singula, quæ vestris auribus digna sunt, recensebo.

Quatridui iter erat Vienna Græcium, quod propter fœdissimas tempestates, aliaque ex equorum vehiculorumque penuria incommoda, longe gravissimum fuit. Aspera sylvosorum montium juga negabant quandoque equorum operam: et quo altiora eorum culmina, eo major corpora nostra lassitudo occupabat. Mensis erat Junius, qui cum maxime serenum cœlum spondere debuisset, continuam tunc temporis hyemem effundebat. Hinc concurrentes per præcipitia aquarum rivi viarum aditus inundabant: inde humidi undique patularum arborum rami transeuntium ora et oculos conspurcabant. Quin, quod recreare animum debuerat, consortium hominum, commiserationis partim, partim indignationis materiam suppeditabat. 'Quis tumidum guttur miratur in Alpibus?' ait Satyricus: at nos et mirati sumus, et vix a lacrymis nobis temperare potuimus, ubi plerosque horum montium incolas ita deformatos vidimus. Sed quota pars hæc justi doloris erat? miseri homines, quorum guttura tumor ille altius obsederat, vix mentis compotes erant. Vidi, quibus strumæ capitis æquarent magnitudinem, in dextrum vel sinistrum humerum prolapsæ: in aliis ovi, in quibusdam pomi grandiusculi speciem referrent. Eadem fere et æqualis erat stultitiæ exuberantia; quæ quam molesta peregrinantibus esse possit, ego exemplo fuerim, cui maximum aliquando ruendi in præcipitia periculum ex illo hominum genere obtigit, dum obviis in angustissimo tramite asinariis cedere volentem ex improviso a tergo retinent. Aderat bonis hisce viris, præter ea quæ dixi, procax quædam et illiberalis irridendi peregrinos lubido: videbamurque *iis* parte quadam corporis debiles. *Sic* Lybicis mulieribus, queis in tantam mag-

[redacted]

nitudinem mammæ excreverant, ut post humeros abditis infantibus ubera admoverent, vix dejerantes fidem fecisse maritos Synesius refert, non ceterarum quoque gentium feminas eadem pectoris sarcina dehonestari. Sed æquiores illæ tamen peregrinis: quarum namque castigatiores forte mammas essent contuitæ, confluentes ad inusitatum spectaculum collatis ubertim muneribus alienigenum decus prosequebantur. Nostri vero illi inhospitales nimium; ad quos cum subito respiceremus, aut ciconiarum colla curvari, aut auriculas asini agitari manu, aut æstuantem canis linguam protendi deprehendebamus. Ceterum cibi potusque ubique affatim erat. Hasce angustias vix eluctati, pervenimus tandem Sole jam occaso Græcium. Caput ea Styriæ Muræ fluvio rapidissimo adjacet, qui in suprema Styria scaturiens, perque montium anfractus delapsus, complures undique rivulos recipit, quibus auctior mœnia Græcii mordet, atque inde per distincta amœnissimis campis juga profluens Dravo fluvio miscetur. Oppidum ipsum modicum est, et elegans, rotunde oblongum, leniterque arcem versus acclive, quæ arduæ et excelsæ rupi imposita tutissimum accolis contra Turcarum incursiones receptaculum est. Ædificia privata satis magnifica et ampla sunt; quæ, ut verum fatear, nitorem mediocri civitati haud modicum conciliant. Templa ædesque sacræ et publicæ, quemadmodum ubique, ita et hic privatarum domuum elegantiam longe superant. Celebre est oppidum anniversariis nundinis, quas Hungari, Itali, Croati, Austrii, ceterique vicini frequentant. Quare quidquid mercium quæque regio fert, illic distrahitur: inde in Moraviam, Boiohemiam, et loca vicina deportatur. Ultra Muram suburbium habet late diffusum, multisque domibus frequens: ad utramque vero ripam aut feracia camporum æquora, aut frugiferos colles; quorum læta viridi germine facies non minus omnium oculos ad sese trahit, atque sonori decurrentis fluvii susurri accolarum aures demulcent. Erat, ut jam ante indicavi, illuc mihi adeundi caussa iter Cæsaris, cui postridie quam ego adveneram, ut Duci Styriæ, sacramentum ab oppidanis præstitum est. Occurrebant ei adventanti proceres ad primum ab urbe lapidem, ubi defixa aliquot tentoria nobilium turbam vix capiebant. His cinctus Imperator, turmis aliquot equitum comitatum prosequentibus, inter æneorum tormentorum strepitus, clangoremque tubarum urbem versus equo vehebatur, usquedum non longe a porta descendens, ex obviorum Consulum manibus claves reciperet, iisque deducentibus per tergeminos arcus triumphales, digestorumque civium manipulos, Feliciter, Feliciter acclamantium, in aulam properaret.

Dum hic aliquamdiu commoror, cognitus est mihi Decus illud Hungaricæ gentis, Heros NICOLAVS SERINIVS, cujus crebræ et felices in Turcicam ditionem eruptiones id commeruere, ut et illarum fama omnem Christianum orbem impleret, et ipsum SERINIVM nomen Turcis terrori esset. Itaque quod de Hunniade factitatum legimus, quodque veteres apud Batavos Drusus Tiberii frater evicit, infantium ploratus solo adventantis Serinii nomine comprimuntur. Plurimum eapropter debeo Illustrissimo Comiti POTTINGIO, cujus insignis erga me favor ad interiorem familiaremque tanti viri notitiam mihi aditum dedit. Discedente namque Imperatore in Carniam et Carinthiam, cum affinem suum invisere in animum induxisset, me quoque perquam comiter et benevole invitavit, uti secum proficiscerer. Arripui utraque, quod aiunt, manu tam exoptatam occasionem: tertioque ex eo die

[redacted]

Czackothurnum, quæ Comitis Serinii arx et sedes belli est, pervenimus. Omnis hæc regio cumprimis fœcunda, et omnis frumenti optimique vini feracissima est: videnturque Ceres et Iacchus certavisse, uter hanc oram in tutelam suam reciperet. Excellit inter vina Lutenbergense, cujus cum sapor quovis melle dulcior sit, qua in re Hispanicis vinis cedere debeat, nescire me profiteor. Celebre et in Croatia, et in Austria, alibique, Hungaricum vinum est, quod ab adjacente *Tokairo* cognomen accipit: verum mea quidem sententia hoc fortius, et ad inebriandos, illud suavius et ad recreandos homines provenire dicendum est. In itinere vix quidquam nisi *Rackelsburgum*, quod oppidulum potius quam oppidum dicendum est, oculos nostros advertit. Monstrata est mihi e longinquo ab Illustrissimo Comite *Stridonium* patria S. Hieronymi, ad manum dextram Carinthiam versus. Ubi *Czackothurnum* appropinquare cœpimus, obvii fuere admissis equis complures speculatores, qui Comitem Serinium de adpropinquationis nostræ momentis certiorem facerent. Itaque cum mille circiter passus abessemus, occurrit Affini suo Comiti Pottingio, equo vectus, omni circum familia itidem in equis prosequente: mox dimisso equo inter mutuos amplexus in currum adscendens, per digestas militum stationes in palatium deducit. Erat id valde splendidum et amplum, egregieque contra Turcarum vim munitum, circumdatum ferme ex omni parte palude, quæ cuniculos arceret. Unum latus tantum, quod pagum prospectat, solido solo innititur, eo firmiori opere præcinctum. Mirabamur in tanta circumjectarum nationum barbarie cultissimas ædes, lectam familiam, ditissimam supellectilem, et summum ubique nitorem. Suspensæ erant in porticibus exuviæ Turcarum, arcus, pharetræ, mallei, clypei, reliquaque id genus arma: quorum tamen splendorem fulgor acinacum Damascenorum superabat. Erant in iis, quorum capula auro argentoque erant ornata; quorundam vaginæ insertis gemmis illustres oculorum aciem præstringebant. Videre erat in atriis suspensa vexilla, quæ ex Turcis capta, multoque sanguine fœdata, non incruentam neque imbellem victoriam denotabant. Monstrabantur ibidem tabulæ, in quis res fortiter a Comite gestæ depictæ erant. Unius memini, in qua respiciens caput Turcæ præcidit, qui prehenso a tergo sagulo elata dextra mortem minabatur. Fuerat hoc primum juveni militiæ rudimentum: ex uno disce cetera. Tertio, quartove, ex quo veneramus, die deducti sumus in bibliothecam, quam insignem et omni librorum copia refertam habebat: inde in armamentarium, quod, ultra quam credi potest, æneis tormentis, bombardis, hastis, acinacibus, aliisque armorum generibus instruxerat. Accessit huic humanitati amplissimum anctarium, κειμηλιοθήκη aperta, in qua præter alia haud spernenda numismatum antiquorum copia. Erat in iis Alexander Magnus ex auro et ære, erant Othones argentei, Vitellius, Ovidius, Horatius, Pescennius Niger, multique alii (quorum nummi rariores) ex ære. Erant effigies Regum, Principum, clarorumque virorum, minuta et orbiculari forma, torno, ut suspicor, elaboratæ. Monstrabantur mihi præ ceteris effigies Martini Lutheri et uxoris Catharinæ perquam elegantes. Inde digressi in hortos Comitis perreximus, quorum nitorem elegantiamque verbis exprimere non possum. Assequeris tu fortassis cogitatione, dum veteres Alcinoi hortos tibi ob oculos proponis. Sequentem diem venando consumsimus; multoque cum gaudio trepidantes capreas in casses egimus. Leporum, perdicum, et co-

turnicum captura huic venationi accessio erat. Eodem die, si recte memini, omnes Comitis equi sub oculos nostros traducti jucundissimum spectaculum præbuere. Laudabat ex iis maxime Heros Serinius equum ætate fessum, viribusque defectum, cujus fideli quondam opera diu usus fuerat. Præfabor veniam, et fidem Comitis implorabo (de qua usurpasse Pythagoræorum verbum sufficit, Αὐτὸς ἔφα) antequam ea, quæ de hujus equi virtutibus prædicabat, referam. Pernicitas ei tanta fuerat, ut lacessere posse ventos videretur, neque apud Turcas Croatasve ullus inveniretur, qui pari pedum velocitate esset. Verum quod unum maxime admirandum videri necesse est, Turcas intra milliaris quartam partem odore præsentiscebat, eorumque adventum crebro hinnitu pulsuque pedum Domino indicabat: quo indicio fretum sese multa egregia facinora patravisse Comes fatebatur. Nec derogabis huic narrationi fidem, si vel quæ de Diomedeis avibus referuntur, vel de cane Lipsius in Epistolis stilo consignavit, in memoriam revocaveris. Interea temporis, dum hic omni deliciarum genere me recreo, obtulit sese spectaculum hactenus non visum, sed illorum oculis familiare et pæne quotidianum. Inter captivos Turcas, quorum apud Comitem magnus numerus, senex erat, ætatis ultra sexagesimum annum provectæ; qui cum pretium, quod pro libertate exigebatur, aut solvere nequiret, aut spondere nollet, resupinus in terram dejiciebatur, pedibus ita in altum protensis, ut plantæ pedum conjunctæ verberibus paterent. Aderant duo itidem captivi, qui revinctos ad prælongum baculum pedes, ne retrahi vel protendi possent, continebant. Ubi ille ita colligatus, tres Comitis famuli ex triquetro consistentes duratos fumo crassiores baculos vi quanta poterant maxima in captivi illius plantas impingebant, idque eo ordine, quo apud nos triticum e stramine excutitur. Alterum me Pythagoram putabam, et hinc musicam posse discere: ita numerose non verba, sed verbera cadebant. Non proderant misero homini flexæ in misericordiam voces, quominus centum sexaginta octo ictibus laceraretur. Quin benevole cum eo agi ex adstantibus non sine quodam horrore audiebam, quum in aliis aliquando numerus ultra sexcentesimum extendatur, sic ut disruptarum quandoque plantarum vulnera digitum recipere possint, imo toti digiti decutiantur; sæpe quoque mors consequatur. Ita tractatum captivum iidem illi famuli fustibus in cavum quoddam propellebant, ut in eo detineretur, usque dum convalescentibus pedibus diurno penso sufficeret. Ceteri captivi in compedibus opus faciebant, ille lapides, hic arenam, alius calcem, vel aquam aggerendo, quidam ex imis fundamentis cocto lapide munimenta exstruendo: quorum si quis minus strenuam operam navaret, aderat mastigophorus, qui corio bubulo terga eorum variegabat. Plautinum gymnasium dixisses, 'ubi vivos homines mortui incursarent boves.' Potus illis aqua, cibus panis erat; isque vix sufficienter recreandis viribus, quæ continuo labore exhauriebantur, præbebatur. Erant in remota ædium parte sub custodia octo centuriones, quos *Agá* vernacula lingua Turci vocant: dabantur hisce cibaria satis lauta, quæ tamen postea auro contra cara forent. Verum ne quid sequius de Illustrissimi Comitis humanitate existimes, aliter cum Turcis vivi non potest. Viget inter hasce nationes lex talionis, nihilque ab alterutra parte in captivos statuitur, quin mox vindicetur. Itaque cum Turcæ eo modo Hungaros Croatasque accipiant, insolentiam illorum et crudelitatem pari pœna coërceri necesse

[redacted]

est. Coguntur omnes captivi sub noctem in ergastula subterranea, quæ Turcæ Algeriani *Mazmorras* vocant. Illic inclusis nervo pedibus non nisi summum corpus manusque movere possunt, ad istius credo prædæ capturam, quæ sub ænigmatis velo abstrusa Homero mortis fuisse causa fertur. Hisce in diebus lubido me visendi *Waradinum* cepit, quod oppidum trans Dravum fluvium jacet. Est illud quidem magni momenti ad reprimendam vim Turcarum; ceterum si ad magnitudinem ædiumque splendorem spectes, Græcio longe inferius. *Dravus* fluvius latitudine Vahali nostro par est, qui in Rhæticis Alpibus oriundus non longe infra Quinque Ecclesias in Danubium influit. Cum decem præterpropter dies Czackothurni contrivissemus, cœpit sese Ill. Comes Pottingius itineri accingere. Verum interea dum vasa colligimus, Inscriptione te beabo, quam inter antiqua rudera repertam in area arcis suæ Heros Serinius muro inseri curaverat. Ejus exemplum hoc est:

P. CORNELIVS
CLAVA. FORIS
T. F. ANN. XXV.
CLAVDIA. P. F.
DACVMENA
ANN. XXXXV.
FAVENTINA. ERES.
FACI. CVRA.

Effigies utriusque lapidi incisæ erant: et in supremo margine visebantur duo capricorni, et totidem delphines, singuli in singulos angulos disjuncti: unde primo suspicabar Augustæo ævo vixisse. Adjungam itidem duas alias, quarum exemplum amicus quidam subministravit, qui eas viderat et descripserat. Inventæ fuerant inter Comaram et Arrabonem in Hungaria, cum ann. CIƆ IƆC LIV. Illustrissimus Comes a Buchaim Comaræ præfectus ad resarciendos oppidi muros aliquot fossores eruendis dirutæ quondam in vicinia civitatis ruderibus immitteret. Earum prior hæc est:



f. M. AVREL. VALENTINO V. LEG. TR. id est, Tribuno; nisi τὸ TA. cognominis legionis initium sit.

[redacted]

ÆTERNÆ. QVIETI. ET. PERPETVÆ.
SECVRITATI. M. AVR. Q. VALENTI. V. LEG. TA.
QVI. VIX. ANN. LIII. STIP. XXXII. M. AVR. ALEXANDER.
PRIMIPILARIS. FRATRI. ET. IVLIA. THEODORA.
CONIVGI. ET. AVRELIAS. SOSICRATIA. ET. VALENTINA.
PATRI. PIENTISSIMO.
FAC. CVR.

Reperta in hoc sepulchro lucerna ardens, quæ ad primum aëris sensum exstincta est. Cadaver quoque, ut apparebat integrum, mox ubi contigere, in pulverem dilapsum est. Lapides sepulchrum constituentes erant quatuor quadrati, in se invicem compacti, viridique bitumine ad defendendum aërem commissi, adeo duro, ut malleorum ictibus resisteret. Supra inscriptionem ad manum dextram caput viri, ad sinistram fœminæ, infra duo infantes, et in medio hominis figura cubantis et inflexo cubito libro innitentis conspiciebantur. Alteri lapidi, qui capiti objectus, eques cum armigero insculpti erant. Sed eccam alteram:

D. M.
M. VAL. VALERIANO ... LEG. IIII. F. L. VIXIT. AN. XLII. ET. M. VAL. VLPIO. EQ. PV. BLE. FIL. VIXIT. AN. VIII. SIMVL. CONDITIS. VLPIA. PARATIANA. MARITO. ET. FILIO. ET. VLPIA VALERIA. FILIA. HÆREDES. F. C. Narrabat mihi amicus ille, multos in hoc sepulchro fuisse inventos aureos torques, armillas, anulos, aliaque κειμήλια, quæ fures illi vere fossores Rascianis mercatoribus vendiderant. Sed, quod pæne dixisse oblitus fueram, sita est Arx *Czackothurnum* duo milliaria cis confluentem Muræ et Dravi, distatque Græcio viginti sex mill. *Canischa* vero, quod proximum Turcarum munimentum, quatuor. Non contentus Comes Serinius Affinem omni honore atque benevolentia demeruisse, valedicentem sibi insigni equo Turcico donàvit: nec non famulis quoque ejus luculenta munera dilargitus est. Eidem Comitis liberalitati acceptos fero tres libros Turcicos, tria sudaria (quorum unum floribus acu pictis variegatum, alterum auro et argento distinctum est), duo cochlearia cum theca coriacea argenteis floribus ornata, vas potorium coriaceum, ut et magni precii acinacem Damascenum. Sic hilare pariter atque liberaliter accepti Græcium reversi sumus. Proxima occasione de moribus Hungarorum, aliisque, quæ huc faciunt, plura: nunc lassa manus geminatam operam denegat. Vale, et me ama. Dabam Græcii, Anno CIↃ IↃC LX. a. d. XIV. Kalend. August.

Αὐτὸς ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος. Dum hanc, quam dudum ad Amicum scripseram Epistolam relego, continere me non potui, quin ineditas aliquot inscriptiones auctarii vice subjungerem. Descriptæ mihi eæ sunt præterita æstate in oppido Vangionum Wormatia ex antiquis saxis, quæ inter alia rudera, dum exstruendo munimento fossam repurgant, opifices eruerant. Atque id eo lubentius facio, quod complures aliæ in eodem oppido puerorum nequitia ac petulantia ita fuerant corruptæ, ut nullo pacto describere potuerim. Sed bene Opitius, qui in Var. lectionibus inscriptiónum istarum nobis exemplum reliquit. Idem accidisse quoque ad Coloniam Agrippinam duabus aliis adverti, quas ex Austria redux ante hos decem annos descripseram. Ne igitur qualiacumque hæc antiquitatis monumenta depereant, malui non suo loco ac tempore ab oblivione illa vindicare, quam dubiæ et ancipiti fortunæ committere.

In fossa ipsa: Eques armatus, sequentibus duobus peditibus.

[redacted]

PAETVS MV. - - - - - - - - -
EQVES ALÆ AGRIPPIN.
- - - - - NATIONE. TREVIR.
- - ANNOR. XXXV. STIP.
- - XXIIII - - - SIT. P. F.
- - FRATRES. POSVERVNT.

M. SEMPRONI
VS. L. F. DOMO
TERMECTINVS
ANNO. XX. . . . . .*
DEC. EQVES ALÆ
SEBOSIANÆ
H. S. E.

* STIP. forte

'Termestinorum' meminit Sallustius lib. II. Hist. apud Nonium in Satias. Populus citerioris Hispaniæ Tacito l. IV. Ann. c. 45. oppidum Termes Floro l. III. c. 22.

Ad portam Martis: Eques dextra lanceam, sinistra signum militare ferens; armis et gladio ornatus, calcans duos captivos sub clypeis.

O. CARMINIO P. F.
CL. - - - - - - - - - - - -
HISPANORVM ALÆ . .
STIP. XXV. SIGNIFERO
SACER IVLIVS H. E. F.

Consimilis alia sine signo.

LICINIVS. CLOSS. L.
F. HELVETIVS ANN.
LXVII. EQVES ALÆ.
HISP. STIP. XXVI. H.
TIB. IVL. CAPITO. H.

Ibidem: Eques armatus.

ARGIOTALVS.
SMERTVLITANI.
F. NAMNIS. EQVES.
ALÆ. INDIANÆ.
STIP. X. ANNO.
XXX. H. S. E.
EREDES. POSVE-
RVNT.

'Alæ Indianæ' meminit alius vetus lapis in agro Coloniensi inventus. vide Gruter. p. 541. n. 7.

ALBANO. VITALI.
EQ. ALÆ. INDIANÆ.
TVR. BARBI. CIVI.
TREVERO. ANN.
XXX. STP. X.
H. EX. T. F. C.

Ibidem.

VEIAGENVS
SISGI. F. MIL
ES EX COH
ORTE RAETO
AN. XLVI. STIP.
XXIV. NATVS MI
ONTE - - - - -
H. E.

Ibidem.

- - - - - S.
- - - NI. F.
MILES. EX.
COHORTE.
PRÆTOR. ET.
VINDOL. F.
ANN. XL. - -
STIP. XXIV.
H. S. E.
FRATER. P.

In aula Civium, vulgo im *Burgerhoff*, monumentum integrum, in cujus anteriori lapide:

SPECTATIÆ SPECTATÆ CONIVGI
CARISSIME LVTTONIVS LVPVLVS
CONIVNX INFELICISSIMVS CVM
FILIABVS POSVIT. F. C.

Coloniæ Agrippinæ: Tubicen cum tuba.

C. VETIENI C. - - -
PVPINIA VFRIQVE
TVBICEN EX - - - -
LEGIONE XX - - - -
- - - - - - ENTQV -
- - - E - - - - - -

[redacted]

No. 202 *Thalasso*] Maluerim *Thalassio*, et mox *Thalassi*, legere: ne et hic Grammaticus simile quid patiatur, quod ille Auxilius, de quo Epig. CXXXVIII. Est et hoc nomen multo usitatius. Ne enim ad notum illud Thalassio, Thalassio, canticum recurram, Ausonii quoque gener 'Thalassius' appellatus fuit, Parental. XIV.

No. 203 *Citario*] Citarius Siculus est is, cujus nobile Epigramma de pastoribus hodie extat. *Scaliger*.

4 *Gravior antiquus*] Probo Goropii emendationem, *Graiorum* reponentis. Potest tamen defendi vulgata, si sic explicetur: Adeptus esses gloriam graviorem ac majorem gloria Aristarchi et Zenodoti, si antiquus honos sequeretur merita, id est, si eodem honore essent, quo olim, Grammatici. Sed *Graiorum* absque dubio probum. Scriptum fuit in veteri libro: *Graior antiquos*, per ecthlipsin sibi frequentissimam.

6 *Concedit Cei*] Jamdudum admodum adolescentes errorem illum agnoveramus rescribentes *Concedat Cei* pro *ceu*. In quo possis agnoscere Correctoris Lugdunensis acumen: qui puerile mendum animadvertere non potuit. Hoc admonet me, ut emendem Ovidii locum in Ibim: quia de Simonide mentio est. Is ista est: 'Stella Lycoridæ cum fuit apta viro.' Hic quærunt docti viri, quare Simonides dictus sit Lycorides. Inter quos Turnebus non nodum dissolvit, sed nodum in sirpo quærit. Quod tamen ei vitio vertendum non est. Non enim bonum exemplar nactus erat. Nos incidimus in miras schedas, in quibus exaratum erat: *Stella Leoporidæ cum fuit æqua viro*. Putamus igitur ex eo mendo veritatem elici posse, si pro *Leoporidæ*, legamus *Leoprepidæ*. Neque dubito, quin ea vera sit lectio. Ipsemet Simonides se παῖδα Λεωπρεπέος nominat. Stella autem est Castor, et Pollux, in quos hymnum conscripserat Simonides, ut disertius scriptum est in historia illa. Horat. 'Alba nautis Stella refulsit.' Intelligit Castorem et Pollucem. *Scaliger*.

No. 204 *Censorio*] Legendum: *Censorio Attico Agricio*. Item: *Agrici positus posteriore loco*. Ita enim vetus codex. Sed tamen in Epistola Sidonii x. lib. v. *Agræcius* excusum vulgo est. *Scaliger*.

Agricio] Et in hujus Carminis titulo, *Agricio*, et in ejus secundo versu, *Agrici*, habuit exemplar. pro quibus *Agrico*, et *Agrice* scripserunt Lugdunenses. Tetrasyllabum ergo Rhetoris hujus nomen esto: simulque illi sua restituatur diphthongus *æ*. Ab eo enim, quod est ἀγρὸς, id est, ager, ut ne putes barbarum esse hoc nomen, fit ἄγροικος, quod significat agrestem, rusticanum, inurbanum, morosum, ferum, et hinc Ἀγροίκιος, hoc Agrœcius, ut Græcam diphthongum οι, Latini in suam *œ* convertere soient. Extat Agrœcii libellus de orthographia, et proprietate sermonis inscriptus, quem ab ipso suo nomine auctor ordiens, 'AGRŒCIUS,' inquit, 'et cum Latine scribis, per diphthongum scribendum: non, ut quidam putant, per *i*, Agricius.' Hæc ille: quem eundem esse Rhetorem Agrœcium, nec aio, nec nego: sed de Rhetore mentionem facit Sidonius Apollinaris libri quincti Epistola decima, ejus disciplinam laudibus efferens: ubi vetusti codices scribunt alii *Agrocio*, alii fere *Agrecio*. Vinetus.

6 *Unus honos tumuli*] Parum refert, utrum priore an posteriore loco commemoreris: nulla enim differentia honoris est.

9 *Nazario*] Cujus extat Panegyricus de laudibus Constantini Magni: et quem in Eusebii Latinis, Hieronymique chronicis leges, insignem habitum ad annum Christi trecentesimum et vicesimum octavum: annisque post undecim ejus filiam EUNONIAM virginem Christianam, in

[redacted]

eloquentia patri parem. *Vinetus.*

No. 205. 1 *Juvenali*] Juvenili. Pierius in quinctum et octavum Æneidos. *Vinetus.*

4 *Medela nostri Nepotiane pectoris*] Qui metui, tristitiæ, aliisque mei animi affectionibus, et morbis pulchre mederetis. *Nepos* o producit: unde si *Nepotianus* sit derivatus, sic metrum stare poterit, *Nostri medela Nepo.* Vinetus.

8 *Melodas virgines*] Sirenes, quarum suavissimum cantum Ulixes quomodo vitarit, lege libro duodecimo Odysseæ Homeri. *Idem.*

11 *Et disputator ad Cleanthen*] Significat *ad* hoc loco comparationem, similitudinemque, ut apud Terentium, 'Nihil ad nostram hanc:' et Ciceronem secundo de Oratore, 'nihil ad Persium:' et in Carmine hujus libri vicesimo primo, 'ad Scaurum atque Probum.' Stoici namque omnes, uti hic Cleanthes, Zeno ejus magister, et Chrysippus discipulus, Dialectices in primis studiosi fuerunt, ut ex Ciceronis Academicis, et aliis ejus scriptis cognosces: scripsitque de illa librum Cleanthes, auctore Diogene Laërtio. *Idem.*

12 *Scaurum Probumque*] Nobilissimos Grammaticos. *Idem.*

13 *Et Epirote*] Ita plane ex eodem libro reponendum: ubi in ἠπειρώτη, ε ψιλὸν expunctum, ut in χειράγρα, et apud eundem Ausonium in 'Phidia,' et apud eundem in 'Solicismo' ο μικρὸν extritum: ut sit, χιράγρα, φιδίας, σολικισμὸς, ἠπιρώτης. *Scaliger.*

14 *Et Epirote Cinea memor magis*] Plinius et Solinus auctores sunt, Cineam, Pyrrhi regis Epirotarum legatum, ea fuisse memoria, ut postero die, quam ingressus Romam fuerat, et Equestrem ordinem, et Senatum propriis nominibus salutaverit. *Vinetus.*

15 *Parum quod hospes*] Leve hoc: plus fuisti, nempe monitor in rebus meis, hortator, consultor. *Idem.*

17 *Vel altiore conditu texit*] Condidit, occultavit, abscondit pectore penitiore. 'Conditus' substantivum etiam apud Censorinum de ævo, sed alia significatione, 'a conditu urbis Romæ.' *Idem.*

18 *Præsidatus*] Hoc a præside, sicut a Consule Consulatus. Trebellius Pollio in Tetrico seniore: 'Victorina Tetricum Senatorem populi Romani, præsidatum in Gallia regentem, ad Imperium hortata.' Et, 'eundemque Consularem, qui jure præsidali omnes Gallias rexerat, per triumph.' *Idem.*

No. 206. 5 *Bis meritum*] Quod et propinquus, et professor litterarum Burdigalæ. *Vinetus.*

7 *Stemma tibi*] Ita lege: ut supra: 'Arborium Æduico ductum de stemmate nomen.' Lego etiam: *Arborium Arborio patre, et avo Argicio.* Scaliger.

11 *Dum Constantini fratres*] Anaballianus, cujus filius Dalmatius in sequenti Carmine, Constantius, et Constans, tres Constantini Magni fratres apud Aurelium Victorem: sed cur Tolosam sint relegati, quomodo, et quando, alibi non legi. *Vinetus.*

15 *Doctoque ibi Cæsare*] Sub Constantini Augusti Imperio Cæsares multi fuerunt, quattuor ejus filii, Crispus, Constantinus, Constantius, Constans, Licinius sororis, Dalmatius fratris Anaballiani filius. *Idem.*

17 *In patriam*] Servius ad XI. Æn. vs. 186. 'Quia apud varias gentes diversa fuerunt genera sepulturæ, inde est, quod alii obruuntur, alii exuruntur, alii proprias remittuntur ad patrias.'

No. 207. 1 *Facunde sine arte*] Natura facunde. *Vinetus.*

4 *Copia cui fandi*] Hisce versibus suspicione mutatæ genuinæ scriptæ non vacat τὸ 'deflata' medio loco. Contrarium enim potius dicendum videbatur, nimirum turgidam illam

[redacted]

orationem instar bullæ placuisse, dummodo non inflaretur: nam penitius inspectam inanem bonarum rerum apparituram. *Barthius.*

5 *Deflata*] Id est, recitata.

6 *Discussam*] Ita omnino legendum. Sed, quod pene oblitus sum monere, duos Exuperios Tolosæ celebres fuisse invenio. Istum Rhetorem, de quo hic Ausonius: alterum Episcopum, etiam hodie Tolosatibus decantatissimum. Et circa idem fere tempus Rhetoricam docuit Tolosæ Saturninus, ut docet Sidonius: qui non tantum ejus cathedræ meminit, sed et sævissimorum cruciatuum, quos propter fidem Christi a væcordi plebe passus est: versus ejus adscripsi: 'Qui Tolosanam tenuit cathedram De gradu summo Capitoliorum Præcipitatus: Quem negatorem Jovis ac Minervæ, Et crucis Christi bona confitentem, Vinxit ad Tauri latus injugati Plebs furibunda.' *Scaliger.*

9 *Dalmatio genitos*] Filios Dalmatii Cæsaris Anaballiano geniti, fratre Constantini Magni Imperatoris: sed de iis aliud non legi. Dalmatius autem hic, quem patruus Constantinus imperii hæredem una cum filiis esse jusserat, factione Constantii patruelis, et tumultu militari, anno imperii tertio, interemptus fuit, anno post Christum natum trecentesimo et quadragesimo primo. Hieronymus in chronicis. *Vinetus.*

15 *Sede Cadurca*] Καδοῦρκοι, gens et provincia Aquitanicæ primæ, *Querci.* Cujus metropolis apud Ptolemæum Δουήωνα, quæ nunc *Cahours*, a gentis vocabulo. *Idem.*

17 *Burdigalæ ut rursum*] Id est, ut inter Rhetoras Burdigalenses recenrearis. Non enim hæc, ut voluit Scaliger, ita accipienda sunt, ac si reliquiæ hujus Rhetoris e Cadurcis Burdigalam translatæ forent. Vide quæ mox ad Carm. XIX.

No. 208 *Marcello*] Marcelli viri illustris, et ex magno officio Theodosii senioris, ad filios liber de Empiricis extat: in cujus Præfatione quia Ausonii medici meminit, eumque unum ex civibus majoribusque suis esse ait, qui Ausonium ibi putant accipiendum Ausonii Poëtæ patrem medicum, Marcellum istum Empiricum Burdigalensem fuisse arbitrantur. Qui, si non falluntur, Marcellus hic memoratus, Marcellus Marcelli filius inscriptus, Burdigalensis civis, Narbone Grammaticam professus, Marcelli illius Empirici filius esse potuit. *Vinetus.*

11 *Verum oneranda*] Ita lege, non ut hodie: *honoranda:* quia scribebant 'honus,' 'honeris,' et 'honerare.' *Scaliger.*

No. 209 *Sedati*] Rhetoris Tolosani tumulus duplici genere Epigrammatis scriptus est. Et non propterea distinguenda sunt Epigrammata duo, non magis sane, quam duo illa item Epigrammata, quibus conscriptus est tumulus Crispi, et Urbici Grammaticorum. In primo Epigrammate lego, *munus indepte es foris:* pro indeptus, more illo solenni Ausonii, cujus toties jam meminimus. In eodem lege: *Et fama, magno qualis est par Rhetori.* Scaliger.

2 *Quamvis docendi*] Iambicus trimeter versus hic, ubi *indeptus* scripsi pro *indepte:* et quartus, ac sextus. Octavus pentameter, sed in *repetit* si *p* gemines, Iambicus et hic quoque erit, primo pede spondeo, *Te pa.* Decimus tam pentameter quam iambicus: quod *Arbitrum* secundam syllabam habeat ancipitem, ut *patria* primam. Duodecimus pentameter solum, siquidem sine mendo sit, reliquo disticho nimium manco et mutilo. *Vinet.*

9 *Vagantem*] Legendum non *vacantem operam,* sed *vagantem.* Ita enim vocat, quia desultorium per multa oppida docendi munus, non fixum, ac stabile obivit. Propterea

[redacted]

dixit 'divisam urbem' per hypallagen, cum hoc sentiat, ipsum vagantem operam per urbes divisisse. *Scaliger.*

10 *Arbitrium de te*] Significat, ejus λείψανα a suis municipibus Burdigalensibus fuisse Burdigalam translata: hoc enim est plane, quod ait: 'Et civem morte obita repetit.' 'Arbitrium' addidit, quia arbitri capiendi fuerunt: ut ex permissu collegii pontificum Burdigalam transferrentur. Propterea in veteribus monimentis legimus: RELIQVIÆ. TRAJECTÆ. EX PERMISSV. COLLEGII. PONTIFICVM PIACVLO. FACTO. Item: CORPORA TRANSLATA. PERMISSV. TRIB. PLEB. Vide l. III. §. Non perpetuæ. D. de sepul. viol. Sic et de Exuperio ait: 'Sed patriæ te jura vocant, et origo parentum, Burdigalæ ut rursum nomen de Rhetore reddas.' Et de Æmilio Magno Arborio: 'In patriam sed te sedem, ac monimenta tuorum Principis Augusti restituit pietas.' Et sane huic Sedato magnum honorem habuerunt Burdigalenses, qui non solum ossa ejus in municipium suum transtulerint, sed et imagine hominem honorarint. Nam in eo loco, qui hodie *Podium Paulini* dicitur, saxea imago locata fuit barbata, librum manu tenens: quo significatur eum cathedram docendi obtinuisse: et infra hæc inscriptio legitur: D. M. SEDATVS. *Scaliger.*

Arbitrium de te] Origo tua, patriæ jura, et origo parentum, ut supra dictum de Exuperio, ac propinqui tui, ut arbitrati sunt, censueruntque faciendum, te repetiverunt mortuum: corpusque tuum Tolosa Burdigalam transtulerunt. *Vinetus.*

Arbitrium de te] Scaligeri, Vinetique explicatio probari mihi non potest: quin potius Ausonius hisce innuit, quod proxime sequenti Carmine apertissime declarat, se non eos tantum commemorare, qui Burdigalæ docuerint, sed etiam Burdigalenses cæteros, qui alibi. Hoc igitur est illud 'Arbitrium,' et illa 'jura patriæ,' et 'origo parentum' in hoc, et Exuperio, ut quamvis alienæ urbi operam impenderint, inter Burdigalenses tamen Professores referantur.

11 *Est tua nunc soboles*] Hæc ita concipienda sunt. Morem patris sui liberos exsequi ait, qui cum nati essent Tolosæ, tamen nunc Narbone, nunc Romæ docerent. Postremo disticho hoc volebat Ausonius: Tolosam, cujus cathedram obtinuit Sedatus, sibi vindicare eum tanquam civem, non etiam tanquam ascititium. Sed velit nolit, semper fama Sedatum asseret origini suæ, hoc est, Burdigalæ. *Scaliger.*

Morem secuta] Ut metri vitium corrigeretur, syllabam *re* hic addidisse profiteor: quod idem Ausonius dixisset in Epigrammate de Echo, 'gemitum resecuta querelis:' et in extrema Epistola vicesima quincta, 'Echo resecuta querelas.' Quod si non placet, scribe *sectata* pro *secuta.* Vinetus.

14 *Sed velit nolit famæ Burdigalam referet*] Hoc, uno versu a Lugdunensibus editum, nos in vetere libro non invenimus. Intercidit enim post illorum editionem charta, in qua erant hæc de Sedato, illaque de Marcello, Æmilio, Staphylo, Crispo, Victorio. *Idem.*

No. 210. 7 *Grammatice*] Legendum: *Grammatice ad Scaurum*, non *Grammaticæ*. Significat, juxta Scaurum. Sic alibi: 'Et disputator ad Cleanthen Stoicon.' *Scaliger.*

10 *Sexcentis*] 'Ut apud Græcos μυρία, ita apud nos sexcenta dicere pro multis, usitatum est.' Cicero: 'Sexcenta possum decreta proferre.' Hæc antiqui Terentianæ Phormionis interpretis verba in Actum quartum. Marcus autem Terentius Varro, quo nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Lati-

[redacted]

...uid Lactantio Firmiano ...ixerat in Hebdomadibus, ...ulo Gellio libro tertio, sep... Hebdomades librorum con...se se, hoc est, quadringentos ...uaginta libros, sed cum jam an...n ætatis septuagesimum septimum ...gressus esset. *Vinetus.*

14 *Et placide finis congrua meta fuit*] Pulmanniana et aliæ editiones: *Et placidæ finis.* Meta cui rei fuit congrua. 'Meta' est mors, et 'finis' est mors. Absurda hæc sunt, et nullius sensus. Optimus vero emerget, si rescribatur: *Et placidæ vitæ congrua meta fuit.* Qui Epitaphium hoc attente leget, non poterit diffiteri sic Ausonium scripsisse. Ovid. 'Conveniens vitæ mors fuit ista tuæ.' Valer. Maxim. lib. VII. cap. 1. De Metello Romanorum felicissimo: 'Hunc vitæ actum ejus consentaneus finis excepit.' Just. lib. VII. 'Neque ab hoc vitæ proposito mortis ratio dissensit.' Vere antiquus Poëta: βίου δικαίου γίγνεται καλὸν τέλος. *Grævius.*

No. 211. 1 *Tu quoque in ævum*] Crispi et Urbici Grammaticorum Elogia, quæ quia ne ipsa quidem ordine suo leguntur, ego ita, uti legenda censeo, et distinguenda, proposui. *Scaliger.*

8 *Ut Virgilii*] Virgilius temulentiam Bitiæ memorat in extremo libro primo Æneidos: 'Ille impiger hausit Spumantem pateram: et pleno se proluit auro: Post alii proceres.' Ebrietatem vero Horatius Flaccus laudat in Epistola quarta: multisque Carminibus ad potandum invitat in lyricis: quæ vinosum fuisse significant. *Vinetus.*

Ut Virgilii Flaccique] Non videtur Ausonii mentem Vinetus assequutus. Vult enim Noster, Crispum indulsisse quandoque vino, et largius potum ad poësin accessisse, ut Carmina exprimeret, quæ cum Virgilii Horatiique Carminibus possent conferri: vel ea saltem æmularentur. Notum illud Horatii de Ennio libro I. Ep. XIX. 'Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma Prosiluit dicenda.' Item lib. I. Ep. V. 'Fœcundi calices quem non fecere disertum?' Seneca de Tranquill. an. cap. ultimo, de Ebrietate: 'Aliquando tamen in exsultationem libertatemque extrahendus animus, tristisque sobrietas removenda paulisper. Nam sive Græco poëtæ credimus, aliquando et insanire jucundum est: sive Platoni, frustra Poëticas fores compos sui pepulit.' Nec aliter Æschylus apud Plutarchum in Symposiacis. Propertius lib. IV. Eleg. VI. 'Ingenium potis irritet musa poëtis. Bacche, soles Phœbo fertilis esse tuo.' Tibullus, lib. III. Eleg. IV. 'Casto nam rite poëtæ Phœbusque, et Bacchus, Pierideque favent.' Et ea de causa poëtas quoque in tutela Bacchi esse quis nescit? Posset etiam legi, *fervere metro:* nam et in hoc calor est, animique ardens impetus. Hinc apud eundem Horatium lib. I. Satyr. X. 'Etrusci Quale fuit Cassi rapido ferventius amni.' In quam lectionem aliquando valde propendebam, nunc vulgatam præferens.

10 *Et tibi, Latiis*] Vocat Urbicum posthabitum literis Latinis, et Græcis celebrem, quod Grammaticus tantum Græcus esset. Propterea facete eum alloquens utitur verbo Græco ἐλελίζειν. Quod verbum in choris Tragicorum infrequens non est. Prosa et Versu loqui eleganter dixit pro ἐμμέτρως, καὶ καταλογάδην. Sunt autem quidam, qui non putant *prosa*, sed *prorsa* dicendum. Sed falluntur: utrumque enim probum et Latinum, sed antiquius *prosa.* Nam veteres illi Latini concursum R, cum S fugiebant. Itaque R exterebant. Quare 'rusum' potius quam 'rursum:' 'susum,' quam 'sursum:' 'assum,' quam 'arsum:' 'prosum,' quam 'prorsum' dicebant: ut nos olim in Con-

[redacted]

jectaneis annotavimus ex Afranio. *Scaliger.*

Latiis posthabite orsis] Græci sermonis magister, quem melius noveras, quam Latinum. *Vinetus.*

16 *Priscos ut her.*] Ait eundem tres Heroas ab Homero in eloquentiæ laude commendatos expressisse: Nam *βραχυλόγον*, ut Menelaum: torrentem, ut Ulyssem: suavem et ex utroque mistum, ut Nestorem fuisse: et ita tria genera dicendi in tribus illis: hoc est, *ἰσχνὸν* in Menelao: *ἁδρὸν* in Ulysse: *μέσον* in Nestore executum fuisse. *Scaliger.*

Priscos Heroas] Lucanus in Panegyrico: 'Nam tu, sive libet pariter cum grandine nimbos, Densaque vibrata jaculari fulmina lingua, Seu juvat adstrictas,' &c. Vide et Nostrum in Gratiarum Act. et Epist. ad Probum. Comparat et Messallam suum Ulyssi et Nestori Tibullus lib. IV. Eleg. I.

23 *Fatu*] A verbo fari, notanda vox inventu rara. *Vinetus.*

26 *Mythoplasmata*] Μῦθος, fabula: *πλάσμα*, figmentum, a verbo *πλάττειν*, fingere. *Idem.*

28 *Nancisci*] Non poterant, inquit, nancisci genus suum, nec probare se ingenuos, quamvis re vera essent. Quod illis ego accidisse puto, quia expositi fuissent, et parentes eos nollent asserere. Id quod accidit C. Melisso, et ipsi quoque Grammatico: qui cum Spoleti natus esset parentibus ingenuis, tamen ob eorum discordiam expositus, cura et industria educatoris sui liberalibus studiis institutus fuit, ac Mæcenati pro Grammatico muneri datus. Quem adeo amavit, ut asserente matre maluerit in statu servitutis permanere, et veræ origini præsentem conditionem anteferre. Atque is mihi videtur hujus loci sensus: et vera emendatio. *Scaliger.*

No. 212 *Victorio*] Perperam antea legebatur *Victorino*, pro *Victorio.* Quare et in Epigrammate legendum: *Victori studiose, memor, celer.* Fortasse is idem est, cujus meminit Sidonius in Epistola a nobis toties citata. Quanquam non videtur. Nam iste Grammaticus tantum fuit: ille apud Sidonium Rhetor. Lege etiam *sacrificis Curibus*; et *Libate tenuis.* Ut supra in Marcello: 'Inter Grammaticos prætenuis meriti.' Deinde: *Ad quas de Siculo.* Scaliger.

Victorine] Quia syllabæ, *ne*, versum vitiare videbatur, eam delendam censui: et in titulo *Victorio* scribendum sine *n*. In quo titulo, SVBDOCTOR et PROSCHOLVS dici videtur, qualis, quem nos vulgo Subprincipalem in nostris scholis vocitamus, qui secundus sit a Principali et Præfecto scholæ, ejusque vicem gerat. *Vinetus.*

3 *Opicasque*] Immundas ac sordidas situ ac pulvere. *Idem.*

6 *Sacrificis Curibus*] CURES perantiqua Sabinorum Italicæ gentis civitas, Numæ Pompilii patria. *Idem.*

7 *Quod Castor*] Castoris veteris Grammatici, cujus hic mentio fit, meminit et Stephanus in voce *Βοιωτία.* Videtur Ausonius innuere hunc scripsisse de Historiis ambiguis. Præterea ejusdem Castoris historiæ de regibus Barbaris meminit vetus auctor Christianus Africanus: qui et paulo post addit, *οἱ τὰ Σύρια συγγεγραφότες Κάστωρ καὶ Θαλλός.* Quod dicitur ab Ausonio scripsisse libros de regibus ambiguis, id referendum videtur ad ejus libros *χρονικῶν ἀγνοημάτων*, quorum meminit Suidas. In quibus scripserat de iis, quæ falso dicebantur sub tali aut tali rege facta fuisse. Et *ἀναχρονισμοὺς* veterum scriptorum arguebat: multaque præterea non antea cognita ex recondita vetustate eruebat. Quod patet ex Varrone in libris de Vita Pop. Rom. his verbis: 'In cælo mirabile extitit portentum. Nam in stella Veneris nobilissima, quam Plautus Vesperuginem, Home-

[redacted]

-νος Hesperon appellat, pulcherrimum dicens, Castor scribit tantum porteutum extitisse, ut mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum. Quod factum ita neque antea, neque postea constitit. Hoc factum Ogyge rege dicebant Adrastus Cyzicenus, et Dio Neapolites Mathematici insignes.' Hactenus Varro. Videtur enim hæc accepisse Varro ex libris *χρονικῶν ἀγνοημάτων* ipsius Castoris. Proscholus autem ab eodem Ausonio redditur subdoctor. Erat enim in schola ille, qui non docendis tam pueris quam eorum moribus præfectus erat. Ut scilicet concinne ad magistrum accederent, ut togam componerent, ut omni gestu, incessu, vestitu compositi essent. Nam ante scholæ auditorium erat locus Proscholii nomine ab auditorio ipso velo tanquam aliquo integerrimo pariete disseptus. Ibi pueri conveniebant, ejus loci præfectum, quem Proscholum vocabant, ut admonerentur officii sui ante, quam ad magistrum reducto velo accederent. Quod sane institutum non possum non valde commendare. Id ego didici ex veteribus puerorum colloquiis utraque lingua scriptis. In quibus ita loquitur puer: *'Ως δὴ ἦλθον, πρὸς τὴν κλίμακα ἀνέβην διὰ τῶν βαθμῶν ἀτρέμα, ὡς ἔδει, καὶ ἐν τῷ προσχωλίῳ ἀπέθηκα βίῤῥιον καὶ κατέψηξα τρίχας καὶ οὕτως ἠρμένῳ κέντρωνι εἰσῆλθον. καὶ πρῶτον ἠσπασάμην καθηγητὰς, συμμαθητάς.* Et hoc quidem in ludo puerorum. Nam in schola Grammaticorum, aut Rhetorum videtur Proscholus non omnino docendi munere caruisse. Propterea enim vocatur subdoctor. Denique Proscholus, morum *κοσμητὴς*, ut magister ingeniorum cultor videtur fuisse. Sed hic videtur Proscholus Græca origine, Latina allusione dictus, ut promagister, nam vocatur subdoctor, tanquam ordinarii doctoris vicarius. Et verum est. *Scaliger.*

9 *Quod jus Pontificum*] Non possum satis hujus hemistichii repetitionem mirari. Nec tamen quid reponendum sit, conjicere valeo. De Pontificum libris et antiquis fœderibus, Horat. lib. II. Epist. I. 'Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes, Quas bis quinque viri sanxerunt: fœdera regum Vel Gabiis, vel cum rigidis æquata Sabinis; Pontificum libros, annosa volumina vatum, Dictitet Albano Musas in monte locutas.' Quintilianus lib. VIII. cap. 11. Instit. 'Obscuritas fit etiam verbis ab usu remotis: ut si commentarios quis pontificum, et vetustissima fœdera, et exoletos scrutatus auctores, id ipsum petat ex his, ut quæ inde contraxerit non intelligat.'

12 *Quid Themis ante Jovem*] Fuit hæc Dea cæli et terræ filia, et sic Saturni soror, ceterum Saturno natu major, ut fabulatur Hesiodus in Theogonia. Quare Themin ante Jovem Saturni filium hominibus leges, et jura dedisse, dicit Ausonius. *Vinetus.*

20 *Atque*] *Ad quæ* legendum: ut sit, ad quæ loca: vel *Ad quas*, oras scilicet Romæ, et Italiæ, in quam ex Sicilia transierat. *Idem.*

No. 213. 10 *Mox residem rursus*] Non capio, forte *domo*. Nempe Burdigala.

13 *Sensus si manibus ullus*] In hanc sententiam verbis aliis Ausonius aliquoties in Parentalibus lusit. Vide Ciceronem pro Archia circa finem, Brissonium de formulis, et Savaronem ad lib. II. Epistol. VIII. Sidon. Apollinaris.

No. 214 *Attilio Glabrioni*] Non dubito legere *Acilio*. Ut ex veteribus monimentis patet. In gente enim Acilia Glabriones fuerunt, ut notissimum est. In veteri codice hoc lemma ita conceptum fuit: *Attilio Glabrioni Grammatico* IVN. hoc est, Juniori. Ex auctoritate veteris scripturæ illa etiam ita legenda sunt: *Tu quon-*

[redacted]

dam puero compar mihi discipulo : mox Me dehinc facto Rhetore Grammaticus. Scaliger.

4 *Dardana*] Trojana progenies. Glabrio nomen est Romanum et Latinum. Ceterum undecunque hæc gens Burdigalam venisset, scribit Herodianus libro secundo, quod ille Glabrio (hoc tantum ei nomen etiam in Chronico Cassiodori) quem in suo Consulatu quincto collegam habuit Commodus tyrannus, et cui Pertinax Imperio Romano libenter cedebat, Patriciorum nobilissimus erat, et quod genus referebat ad Æneam Trojanum, Veneris et Anchisæ filium. *Vinetus.*

5 *Compar mihi discipulo*] *Discipulos* erat in vetusto codice. Unde suspicio suboritur, scripsisse Poëtam, *compar mihì discipulus. U* enim et *O* ut plurimum confunduntur. Sic in Luciolo : 'Rhetora Luciolum, condiscipulum atque magistrum, Collegamque dehinc nænia mœsta refer.' Æquipollere enim videntur 'condiscipulus,' et 'compar discipulus.' Versu sequente legebat vetus codex *meque dehinc :* paullo ante, 'Glabrio nomen deductum,' &c. sic dictum est, ut alibi, 'Ausonius Nomen Italum.'

No. 215. 1 *Coronis*] Manuel Moschopulus *περὶ σχεδῶν* scribit Coronida, *ἄκρον* esse, et signum quoddam, per quod Homeri Rhapsodiæ quondam dividebantur. A cujusmodi figuris in fine poni solitis, Græci *μέχρι κορωνίδος* vulgo dicebant, id est, usque ad Coronidem, quum extremum finem rei cujuspiam significare volebant : quemadmodum scripsit Erasmus. Martialis liber decimus, sic ordiens, lectorem alloquitur. 'Si nimius videor, seraque coronide longus.' Hinc et Coronidem inscripsit Carmen hoc Ausonius, quo finiit, et quasi obsignavit librum suum de Professoribus Burdigalensibus. Ceterum coronidis figura in calce librorum quæcunque olim fuerit, ea quæ esset in mediis Carminibus, disce ex extremo Hephæstionis enchiridio, vetustisque Aristophanis interpretibus. *Vinetus.*

1 *Menide libri*] Veteres ut in calce librorum coronidem appingebant, ita, ut suspicor, in fronte lunulam ad ornatum designabant. Menis autem lunula est, quæ cum corniculata sit, idcirco et cornua Latini ea ornamenta librorum vocavere. *Turneb.*

5 *Viventum inlecebra*] Liber optimus, *Viventium ;* uti Veteres olim etiam in Carmine scribebant. Sed ut hic 'inlecebram,' ita et in Epicedio Patris laudationem 'oblectationem viventium' vocat.

10 *Dum decor' egregiæ*] Decor, antique, ut corpor, iocinor, et similia. *Scaliger.*

Dum decora egregiæ] In exemplari erat *decoregregiæ,* hoc est *decor' egregiæ,* pro *decora egregiæ :* sicut in decimo Carmine : 'Nati operobtinuit,' pro 'Nati opera obtinuit :' et in sextodecimo, 'mortoppetis,' pro 'mortem oppetis :' ac in vicesimo, 'curelegis,' *pro 'cura elegis :'* et in ludo Sapientum, 'noxa quia præstest,' pro 'noxa quia præsto est,' per eas, quas Grammatici synalœphas et ecthlipses appellant. Latini namque, non aliter ac Græci, vocalem, quæ dictionem finiret, elidebant pronunciando, quum sequentem vocalis inciperet. *ἣ μυρία* 'Αχαιοῖς ἄλγεα ἔθηκεν. *ἣ μυρί'* 'Αχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν. 'Conticuer' omnes, intentiqu' ora tenebant.' Et cum consonans, *m,* vocabulum finiebat : 'grat' opus agricolis.' 'Quanquam te Marce fil' annum i' audientem Cratipp', idque Athenis, abundar' oportet præceptis.' *Vinetus.*

No. 216. 4 *Forumque fecit nobiles*] Lege : *Forumve.* Grævius.

5 *Medicæ vel artis dogma*] Siquis inter vos medicinæ se dedidit, vel Philosophiæ : unde clarus extitit. *Vinetus.*

[redacted]

Medicæ vel artis] Videtur hic *artis* esse pluralis numeri. Sed aliter distinguit vetus liber, in quo *Medicæ vel artis dogma, vel Platonicum.* Ut ad dogmaticam, seu logicam medicinæ partem referri possit. De qua plura ad Griphum Ternarium.

11 *Sedem sepulchris*] Reposueram antea ex optimo libro *Sedem sepulchri.* Sic in Carm. VIII. de Gram. Gr. Burdigal. 'Vos levis cespes tegat, et sepulchri Tecta defendant cineres opertos.' Pro vulgata tamen, Prudentius in Passione Hippolyti: *Servet ad æterni spem judicis ossa sepulcro.* Pro 'servare sedem sepulcris,' Carm. XI. dixit: *Esto placidus, et quietis manibus sedem fove.*

EPITAPHIA HEROUM.

No. 217 *Qui bello Trojano interfuerunt*] *Qui bello Troico interfuerunt,* ex veteri libro reposui. Græca derivatione, qui *τρωïκοὺς πολέμους* dicunt. Sic et Propertius lib. IV. Eleg. I. 'Dicam, Troja cades, et Troïca Roma resurges.' Et alii sexcenties.

Inservirent ordinis persequendi] Quæ in exemplari erant primæ personæ singulares *inservirem, cohærerem, aberrarem,* miror cur in tertias plurales mutarunt Lugdunenses, *inservirent, cohærerent, aberrarent.* Sic enim mihi nihilo res clarior evadit. Pro isto autem *ordinis,* si *ordini* scriberetur, ut verbum 'servire' constitui solet, hoc existimarem Ausonium dicere voluisse, se neglexisse ordinem persequendi, id est, non esse persecutum ista epitaphia, quo ordine fuerant in suo libro exposita, sed cavisse tamen interea, ut in vertendo liberior cohæreret conveniretque cum illis, et non recederet ab eorum sententia. *Vinetus.* Errat Vinetus: loquitur enim Poëta de ordine trium librorum Parentalium: ut nempe hic tertius liber cohæreret cum præcedentibus, quamvis nihil haberet quidquam cum iis commune, præter materiam congruentem.

No. 218. 1 *Rex regum*] Qui multis regibus imperabat. Cicero ad Dolabellam libro nono: 'Agamemnoni regum regi fuit honestum habere aliquem in consiliis capiendis Nestorem.' *Vinetus.*

2 *Oppetiit*] Agamemnonem hæc de se loquentem inducebat exemplar in quo erat *oppetii,* et *meæ,* non *suæ.* *Idem.*

4 *Quum Clytemnestra necet*] Secundam quod corripiat Ausonius natura longam, et sic productam Homero Iliados primo, non tam mirum est ob consonantes *mn,* quæ liquidæ sunt, quam propter diphthongum. Cujus altera vocalium rejicienda fuerit, ut legas aut *Clytamnestra,* aut *Clytemnestra:* quæ in veteribus membranis erat per *e* et sine *n, Clitemestra.* Quæ vero Græcorum heroum epitaphia in extrema Anthologia edidit Henricus Stephanus, nullo auctore, sed quæ Aristoteli ex Peplo asserere conatus est Guilielmus Canterus, in iis hæc sunt disticha duo de Agamemnone: 'Επὶ 'Αγαμέμνονος κειμένου ἐν Μυκήναις. Λεύσσεις 'Ατρείδεω 'Αγαμέμνονος, ὦ ξένε, τύμβον· Ὃς θάν' ὑπὸ 'Αἰγίσθου, κ' οὐλομένης ἀλόχου. Ἕτερον. Μνῆμα τόδ' 'Ατρείδεω 'Αγαμέμνονος. ὅν ῥα κατέκτα Δῖα Κλυταιμνήστρη Τύνδαρις οὐχ ὁσίως. *Idem.*

Quum Clytemnestra] Mutarunt viri docti in *Clytemestra.* Quod uti non improbo, ita nec pristinam lectionem rejicio. Est enim Poëtis tam Latinis quam Græcis perquam familiaris illa longæ alias syllabæ correptio respectu liquidæ et mutæ concurren-

[redacted]

tium. Sic et 'Polymneia' apud Virgil. 'Polymnestor' apud Propertium, imo et 'Smaragdus' apud Martialem contra prosodiæ vulgares regulas secundam syllabam corripit. In diphthongis autem Noster ut plurimum alteram præterit vocalem, ubi syllaba corripienda est.

No. 220. 1 *Ajaci*] Ἐπὶ Αἴαντος τοῦ Τελαμωνίου κειμένου ἐν Τροίῃ. Ἅδ' ἐγὼ ἁ τλάμων ἀρετὰ παρὰ τῷδε κάθημαι Αἴαντος τύμβῳ, κειραμένα πλοκάμους, Θυμὸν ἄχει μεγάλῳ βεβολημένα, ὡς παρ' Ἀχαιοῖς Ἁ δολόφρων ἀπάτα κρέσσον ἐμεῦ κέκριται. Istud tamen, ὡς παρ' Ἀχαιοῖς, si hoc monitu dignum est, οὕνεκ' Ἀχαιοῖς libro tertio Anthologiæ, capite εἰς ἥρωας, sicut et in commentariis Eustachii, ac in Epigrammate Mnasalcæ Sicyonii in eodem commentatore, et apud Athenæum libro quarto. *Vinetus.*

1 *Pariter tegor*] Loquitur virtus, et fortitudo. *Idem.*

3 *Inconstans*] *Incomtas lacerata comas*, scripsit Canterus. *Idem.*

Pravus Atrides] Atrei filius Agamemnon. Mortui funeratique Achillis arma Thetis mater (ut Homerus fabulatur undecimo Odysseæ, et Quinctus Calaber quincto paralipomenon) illi Græcorum offerebat, qui omnium fortissime Trojanis restitisset, quo minus Achillis corpore potirentur. De quo decore quum Ajax et Ulixes contenderent, remque judicio Græcorum suorum permitterent; censuit Nestor, ut ne inter amicos judices essent, et alterum offenderent, eam controversiam Trojani potius dirimerent: quos multos haberent captivos, communes omnium Græcorum hostes. Consilio sapientissimi senis principibus Græcis probato, Trojani captivi arma Achillis Ulixi adjudicarunt. Alii scripserunt, ut meminit Eustathius in undecimum Odysseæ, Agamemnonem, qui plus Ulixi faveret, Trojanos illos interrogavisse, non quis præ ceteris Græcis ab Achillis corpore hostes repulisset, sed uter illorum plus damni toto bello Trojanis dedisset: eos Ulixem respondisse: ac ita judicatum, Ulixem pulcherrimo viri fortissimi clipeo digniorem. Quod judicium tam indigne passus est Ajax, ut atra bile tandem percitus se gladiô jugularit, quo ab Hectore donatus fuerat. *Idem.*

5 *Jam dabo*] Hæc præter Græca Ausonius: quæ Ajaci potius, quam ejus virtuti conveniant. De Ajacis autem sanguine in florem mutato purpureum, ac de isto gemitu monuimus in Edyllium de Cupidine cruci affixo. *Idem.*

6 *Crimina judicii*] Falsum de me et Ulixe judicium. Pindarus Carmine octavo Nemeorum, Sophocles in Ajace Mastigophoro, et Ovidius tertiodecimo Metamorphoseon. Scribit autem Strabo libro tertio decimo, et Pomponius Mela primo, Ajacis cremati cineres fuisse sepultos in littore Rhœteo. Quinctus Calaber in extremo libro quincto, non procul a littore Rhœteo. Plinius quincto Naturalis historiæ in *Sigeo: sed Rhœteum* et Sigeum agri Trojani oppida, ambo maritima, et exiguo spatio dissita. Αἰάντειον autem Græcis vocitatum fuit Ajacis monumentum. *Idem.*

No. 221 *Achilli*] Achillis epitaphium quattuor versuum fuerat: sed deletum fere posterius distichon. *Vinetus.*

2 *Littore Sigeo*] Cujus modo mentionem fecimus, Ἀκτῇ ἐπὶ προυχούσῃ ἐπὶ πλατεῖ Ἑλλησπόντῳ. Ut Homerus vicesimo quarto Odysseæ, Calaber tertio paralipomenon, Plutarchus, Arrianus de Alexandro Magno, et Quinctus Curtius memoriæ prodiderunt. Ἀχίλλειον, id est, Achilleum, oppidum juxta tumulum Achillis conditum memorant Plinius, et Stephanus. *Idem.*

Crinem Larissa cremavit] De coma Achillis hæc tantum legere memini libro vicesimo tertio Iliados: quod

[redacted]

quam pater Peleus Sperchio fluvio patrio nutrire jusserat, eam Achilles, qui se videret in patriam numquam rediturum, Patroclo sodali carissimo, ab Hectore occiso, consecrarit, totonderit, et in mortui manibus una cremandam, sepeliendamque posuerit: Quam rem imitatum refert festo suo Bassianum Herodianus libro quarto. Græca autem epitaphia non admodum habent, quod ad hoc restituendum, intelligendumque juvet: Ἐπὶ Ἀχιλλέως κειμένου ἐν Τροίῃ, τιμωμένου δὲ καὶ ἐν Λεύκῃ τῇ νήσῳ. Παῖδα θεᾶς Θέτιδος Πηληϊάδην Ἀχιλῆα Ἥδ' ἱερὰ Προποντὶς ἀμφὶς ἔχει πεδίῳ. Ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ἕτερον. Θεσσαλὸς οὗτος ἀνὴρ Ἀχιλεὺς ἐν τῷδε τέθαπται Τύμβῳ. ἐθρήνησαν δ' ἐννέα Πιερίδες. *Vinetus.*

No. 222 *Ulixi*] Inter Heroica illa epitaphia exstant hæc duo de Ulixe, quæ Ausonius non videtur attigisse hoc loco: Ἐπὶ Ὀδυσσέως κειμένου ἐν Τυῤῥηνίᾳ. Ἀνέρα τὸν πολύμητιν ἐπὶ χθονὶ τῇδε θανόντα, Κλεινότατον θνητῶν, τύμβος ἐπεσκίασε. Ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ἕτερον. Οὗτος Ὀδυσσῆος κείνου τάφος, ὃν διὰ πολλὰ Ἕλληνες πολέμῳ Τρωικῷ εὐτύχεσαν. Dicitur autem Græcis Τυῤῥηνία, et Τυρσηνία, ea Italiæ provincia, quam Latini Tusciam et Etruriam vocitant. In qua Ulixem exulasse, a procorum, quos occiderat, necessariis patria pulsum scribit Plutarchus in Græcis quæstionibus. De morte tamen Ulixis, vide Tzetzen in versum octingentesimum et quinctum Alexandræ Lycophronis, et Hyginum. *Vinetus.*

No. 223. 1 *Genitore bono*] Patre Tydeo. Sic Diomedes libro quartodecimo Iliados gloriatur sibi genus esse πατρὸς ἐξ ἀγαθοῦ, id est, ex forti et strenuo patre. Patrem habuit Tydeus Œneum Ætolum: matrem Periboeam. qui quum in agro Lycopeum et Alcathoum, patrueles, unaque cum illis patruum Melanem, patri Œneo insidiantes, interfecisset, Argos fugit ad Adrastum regem. Ejus filiam Deipylam duxit uxorem: ex qua Diomedem genuit. Ad bellum tandem Thebanum profectus, multa ibi præclare gessit, et periit. Diodorus Siculus, Apollodorus Atheniensis, Hyginus, Statius Papinius, Lycophron, hæc et plura de Tydeo. Cujus filius Diomedes, secundus nominatur septimo Iliados, inter eos, qui cum Hectore congrediantur. Ejus præclaris facinoribus referta est Ilias, qui ipsos etiam Deos Martem et Venerem in pugna vulneravit. *Vinetus.*

Genitore bono melior Diomedes] Horat. lib. I. Od. XV. 'Ecce furit te reperire atrox Tydides melior patre:' mox lege, *Dotalibus Argis*, pro *agris*.

2 *Crimen ob uxoris*] Diomedes Uxorem habuit nomine Αἰγιάλειαν, id est, Ægialeam, quam quum, a bello Trojano in Græciam reversus, omnibus se probris et adulteriis conspurcasse comperisset, in Italiam secessit, ubi Argyripam, et alias urbes condidit, insulasque tenuit, in mari Ionio, ubi sepultus fuit, quæ ab eo Diomedeæ sunt appellatæ. Lycophron, Strabo, Virgilius, Ovidius, Antonius Liberalis, et alii. *Vinetus.*

3 *Argyripam*] *Lampe* dicebatur Dauniæ, Apuliæve, in Italia, ad mare Ionium, locus, quem Diomedes muris quum cinxisset, munivissetque, Ἄργος Ἵππιον, nomine civitatis Peloponnesiacæ, cujus rex erat, appellavit. Quod vocabulum 'Argos Hippion' postea vetustate corruptum fuit, et in 'Argyripam' mutatum. Sic Stephanus, et Servius tradunt. Istud ergo suum Ἵππιον videntur Græci in Italicæ urbis vocabulo agnovisse, qui in eo π π geminarunt, tertiamque syllabam produxerunt, ut Lycophron versu DXCII. Alexandræ: Οἳδ' Ἀργυρίππαν Δαυνίων παγκληρίαν; quam ante Ausonium corripuerat Virgilius undecimo Æneidos: 'Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis.' Sed cur in secunda syllaba υ potius, quam

[redacted]

i scripserint, non video: nisi forte id ab aliis factum sit, qui aliud ejus urbis nomen, aliudque etymon, prius fuisse existimarunt. Strabo namque scribit libro sexto, si quid non mendosum in ejus exemplaribus offendimus, non Ἄργος Ἵππιον sed Ἀργυροΐππιον dictum fuisse initio istud oppidum Italicum, quasi ἄργυρος, id est, argentum, prior sit compositi nominis pars: unde *Argyripa* esse scribenda videatur. Ceterum undeunde factum sit hoc vocabulum, id in 'Arpos' etiam postea fuisse contractum, idem Strabo et Servius sunt auctores: ut idem prorsus sit *Argyripa*, et *Arpi*. Græcum autem epitaphium est: Ἐπὶ Διομήδους κειμένου ἐν τῇ ὁμωνύμῳ νήσῳ: Αἰνητὸν πάντεσσιν ἐπιχθονίοις Διομήδην Ἦ δ' ἱερὰ κατέχει νῆσος ὁμωνυμίη. *Idem.*

No. 224. 2 *Carus et Atridis*] Plurali numero pro singulari usus esse potest Ausonius, et solos Agamemnonem et Achillem intellexisse, tamen bello Trojano interfuerunt duo Atridæ, id est Atrei, ut putabantur, filii, Agamemnon et Menelaus: Æacidæ vero, hoc est, Æaci nepotes, quinque, nimirum Achilles, Pyrrhus, qui et Neoptolemus, Achillis filius, Ajax cum Teucro fratre, et Patroclus; sed Pyrrhus ad bellum non venit, nisi mortuo jam patre, post Antilochum. *Vinetus.*

4 *Servato Antilochus*] Ita Pindarus in Carmine sexto Pythiorum, et ipsum Græcum epitaphium: Ἐπὶ Ἀντιλόχου κειμένου ἐν Τροίῃ. Μνῆμ' ἀρετῆς υἱοῦ τοῦ Νέστορος Ἀντιλόχοιο, Ὃς θάνεν ἐν Τροίῃ ῥυσάμενος πατέρα. Antilochum autem occidisse Memnon dicitur Odysseæ quarto. *Idem.*

6 *Perfida Troja*] Laomedon rex Trojæ Priami pater, Deos de muris suæ urbis, homines de Hesione filia, fefellit. Paris, filius Priami, Helenam, violato hospitii jure, rapuit. Virgilius in extremo primo Georgicon: 'Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.' At Horatius Carmine quincto-decimo libri primi: 'Pastor quum traheret per freta navibus Idæis Helenen perfidus hospitam.' *Idem.*

No. 225. 1 *Hoc tegor in tumulo*] Græcum epitaphium sic habet: Ἐπὶ Νέστορος κειμένου ἐν Πύλῳ. Τὸν βαθύνουν ψυχήν τε νόημά τε θεῖον ἔχοντα Ἄνδρ' ἀγαθὸν κατέχω Νέστορα τὸν Πύλιον. Ἕτερον. Νέστορα τῶν Πυλίων ἡγήτορα ἠδὲ θανόντα Γῆ κατέχει, βουλῇ φέρτατον ἡμιθέων. *Vinetus.*

2 *Consilio clarus*] Nestor apud Homerum lib. IV. Iliad. Ἀλλὰ καὶ ὣς ἱππεῦσι μετέσσομαι, ἠδὲ κελεύσω Βουλῇ καὶ μύθοισι. τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ γερόντων. Et apud Cointum Smyrn. l. v. Ἔχω δὲ ἐπὶ γήραϊ πολλῷ Καὶ νόον, οὕνεκεν ἐσθλὰ καὶ ἄλγεα πολλὰ μόγησα. Αἰεὶ δ' ἐν βουλῇσι γέρων πολύϊδρις ἀμείνων Ὁπλοτέρου πέλει ἀνδρὸς, ἐπεὶ μάλα μυρία οἶδε. Hinc et Sophocles in Thyeste: Τῷ γήρᾳ φιλεῖ χ' ὁ νοῦς ὁμαρτεῖν, καὶ τὸ βουλεύειν, ἃ δεῖ. Et in Phœnissis Euripides, Οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακὰ Ἐτεόκλεες πρόσεστιν, ἀλλ' ἡ 'μπειρία Ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον. Nec non Pan apud Apuleium lib. v. Miles. 'Sum quidem rusticanus et opilio, sed senectutis prolixæ beneficio multis experimentis instructus.' Ea quoque de caussa dæmones futura melius et certius quam homines prævidere censet D. Augustinus lib. de Vaticin. Dæmonum, quod tot sæculorum usu instructi sint, quum hominum vita brevis tam exactam de futuris conjecturam non admittat. Ad rem porro Lucianus in Hercule Gallico: Μόνος ὁ λόγος ἐν γήρᾳ φιλεῖ ἐντελῆ ἐπιδείκνυσθαι τὴν ἀκμὴν, εἴγε ἀληθῆ ὑμῶν οἱ ποιηταὶ λέγουσιν, Ὅττι μὲν αἱ τῶν ὁπλοτέρων φρένες ἠερέθονται, τὸ δὲ γῆρας ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον. Οὕτω γέ τοι καὶ τοῦ Νέστορος ὑμῖν ἀποῤῥεῖ ἐκ τῆς γλώττης τὸ μέλι, καὶ οἱ ἀγορηταὶ τῶν Τρώων τὴν ὄπα τὴν λειριόεσσαν ἀφιᾶσιν εὐανθῆ τινα. Phurnutus, interprete Velareo; 'Nec temere tradiderunt, Heben in uxorem habere Herculem, pleniore mente præditum. Ut enim

[redacted]

ad juvenile quid faciendum intensiores sint manus, sic seniorum mentes multo sunt meliores.' Clemens Alex. lib. III. Pædag. c. 3. Φρόνησις δὲ καὶ ἀκριβεῖς λογισμοὶ πολιοὶ συνίσει, συνακμάζουσι τῷ χρόνῳ· καὶ τὸ γῆρας ἐνισχύουσιν τῷ τόνῳ τῆς πολυπειρίας ἄνθος ἀξιέραστον φρονήσεως σεμνῆς, εἰς πίστιν εὔλογον προτείνοντες πολιάν: respiciatur porro Plutarchus περὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς, haud procul a fine, Æschines in Timarchum p. 4. edit. Steph. et Isocrates Epistola ad Jasonem tyrannum.

No. 226. 1 *Orbe tegor medio*] Phocis, una ex Græciæ provinciis. In Phocide, Delphi, et Πυθὼ civitas clarissima propter templum Apollinis, et oraculum. Hunc autem locum, qui in medio fere universæ Græciæ esset, orbis terrarum quoque totius medium et umbilicum dixerunt: quasi in globi extremitate locus omnis non æque pro medio umbilicoque haberi possit: Fabulamque, cujus auctorem citat Pindarum Strabo libro nono, de hac re sunt commenti, Duas scilicet Aquilas, (cygnos alii dixerunt, ut est apud Plutarchum De Defectu oraculorum, alii corvos, ut meminit Strabo,) unam ab Ortu, alteram ab Occasu emissas ab Jove, hoc loco concurrisse. Antiquus poëta apud Varronem sexto de Lingua Latina, et Ciceronem secundo de Divinatione: 'O sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obsides, Unde superstitiosa primum, sæva evasit vox fera.' Fabulam attigit etiam Placidus Lactantius, quum quæsiit, cur Statius Parnassum cæli medium dixisset versu centesimo, et undevicesimo primi Thebaidos. Hermionem Menelai ex Helena filiam, sponsam suam, quum audivit Pyrrhus Oresti in conjugium datam, a Menelao ipsam petiit. Menelaus ab Oreste abduxit, et Pyrrho reddidit. Qua injuria accepta, Orestes a fratribus adjutus, ut scribit Lycophronis interpres, Pyrrhum Delphis in templo Apollinis sacrificantem occidit. Sic Hermionem recuperavit: Delphis ergo sepultum fuisse Pyrrhum Achillis filium, dicit epitaphiographus: sed ejus ossa Hyginus, et Ovidius in Ibin, per fines Ambraciæ sparsa. *Vinetus.* Haud inepte adeo, ut postea ex Erasmo didici, qui ex Pausaniæ Messeniacis adagium refert, Νεοπτολέμειος τίσις, in eos dictum, qui ea patiuntur, cujusmodi in alios patrarunt.

3 *Impius ante aras*] Forte allusum ad illa Virgilii lib. III. Æneid. v. 330. 'At illum ereptæ magno inflammatus amore Conjugis, et scelerum furiis agitatus Orestes, Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.'

4 *Quid mirum*] Nemo debet mirari, inquit, si tam impius fuit Orestes, ut me in templo Apollinis sacrificantem interimere non timuerit. Matrem enim suam Clytæmnestram jam occiderat, et ejus furiis exagitabatur. *Vinetus.*

No. 227 *Euryalo*] Græcum est Epitaphium in Anthologia Henrici Stephani: Ἐπὶ Σθενέλου καὶ Εὐρυάλου κειμένων ἐν Ἄργει. Ἀργεῖος Σθένελος Καπανήϊος ὧδε τέθαπται Τύμβῳ· καὶ τούτου πλήσιον Εὐρύαλος. Diomedem secuti sunt ad bellum Trojanum Sthenelus et Euryalus: ut refert Homerus in Bœotia: quos tres agnoscit in equo Trojano Quinctus Calaber libro duodecimo: sed solum ex iis Sthenelum Virgilius secundo Æneidos. Fuit autem Diomedes, per matrem Deipylam Adrasti Argivorum regis filiam, Argivorum rex. Euryalus patrem habuit Mecisteum, Sthenelus Capaneum, ut ibidem scribit idem Homerus: qui fuerunt, Mecisteus, frater ejusdem Adrasti: Capaneus Hipponoi, et Astynomes sororis Adrasti ejusdem, filius. Ita Argivi omnes hi, genusque regium, apud Apollodorum et Hyginum. *Vinetus.*

1 *Pleuronia*] Ætolia apud Strabonem, Plinium, Ptolemæum, et alios, est Græciæ provincia, a Peloponne-

[redacted]

so, sinu Corinthiaco dirempta. In ea est urbs Πλευρὼν: a qua partem Ætoliæ appellat ‘Pleuroniam’ Strabo l. x. sed olim quendam Peloponnesi regem fuisse Pleuronem, Ledæ, quæ Castoris, Pollucis, et Helenes mater fuit, proavum, auctorem habeo Pausaniam: qui memorat ejus nobile monumentum, in Laconicis: et Isaacus Tzetzes urbem fuisse Pleuronem scribit: unde Lycophron Helenam vocet ‘Pleuroniam,’ quam Homerus Ἀργείαν, hoc est, Argivam appellarat. *Idem.*

No. 228. 1 *Gunea*] Græcum hoc extat epitaphium in Anthologia Henrici Stephani: Ἐπὶ Γουνέως. Σῆμα τὸ μὲν Γουνῆος ὁρᾷς· Ψυχὴ δὲ θανόντος Ἀέρ' ἐς ὑγρὸν ἔβη· σῶμα δὲ πόντος ἔχει. Guneum ad Trojam ex Cypho civitate Thessaliæ viginti duas naves duxisse, scribit Homerus in Bœotia: et in Africam post captum Ilium venisse Lycophron, versu octingentesimo nonagesimo septimo Alexandræ. *Vinetus.*

No. 229. 1 *Fatale*] Achivis fuit responsum, inquit Hyginus, qui primus littora Trojanorum attigisset, periturum. Quum Achivi classes applicuissent, ceteris cunctantibus, Iolaus Iphicli et Diomedeæ (Astyoches apud Eustathium) filius, primus e navi prosilivit: qui ab Hectore confestim est interfectus, quem cuncti appellarunt Πρωτεσίλαον: quoniam primus ex omnibus perierat. Sic Hyginus post mortem, Ausonius ante mortem, ab incunabulis scilicet, nomen Protesilai huic impositum fuisse scribit. *Vinetus.*

3 *Audaci saltu*] Is ritus fuit appellentibus ad terram peregrinam, præsertim hostilem, ut saltu se e navi in eam demitterent: Ovidius I. Fastor. vs. 507. Justinus de Alexandro M. Suetonius de Julio Cæsare, cap. 59.

4 *Pellacis*] Per blanditias decipientis, inquit Servius in secundi Æneidos versum nonagesimum. ‘Pellicere’ enim est blandiendo elicere. *Idem.*

Lærtiadæ] Pro Laërtiadæ, Ulixis Laërtæ filii. *Idem.*

No. 230 *Deiphobo*] Deiphobus unus ex quinquagenis, pluribusque Priami regis Trojani liberis, Helenam, Paride mortuo, uxorem duxerat. Hæc, qua nocte fuit captum Ilium, Menelao fores aperuit, qui dormientem Deiphobum in lecto occidit. Sic Virgilius sexto Æneidos, et Hyginus. At Quinctus Calaber libro tertiodecimo, Menelao effractis foribus in Deiphobi thalamum ingresso, Helenam celeriter e thoro, ubi cum viro dormiebat, desiluisse, fugisse in intimas ædes, ac ibi se occultasse: quam, occiso Deiphobo, quæsitam inventamque Menelaus etiam jugulasset, nisi obstitisset frater rex Agamemnon. *Vinetus.*

1 *Sceleratæ fraude Lacænæ*] Deiphobus apud Virgilium, ex quo ipsius epitaphium effinxit Ausonius: ‘Sed me fata mea, et scelus exitiale Lacænæ, His mersere malis.’ *Idem.*

2 *Et deformato corpore*] Virgilius Maro de Ænea apud *inferos, sexto* Æneidos: ‘Atque hic Priamiden laniatum corpore toto Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora, Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares.’ *Idem.*

3 *Non habeo tumulum*] Æneas ad eundem Deiphobum: ‘Mihi fama suprema Nocte tulit fessum vasta te cæde Pelasgum Procubuisse super confusæ stragis acervum. Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem Constitui: et magna Manes ter voce vocavi. Nomen et arma locum servant.’ Scribit autem Eustathius in duodecimum Iliados, fabulatos esse veteres, ex abjecto Deiphobi corpore insepulto enatam fuisse herbam nomine ἀκέφαλον: quæ ad lucernam lecta, et cum aqua data, spleniticis prosit. *Idem.*

No. 231. 1 *Hectoris hic tumulus*] Hujus super vitæ meritorum testi-

[redacted]

monio, cum sæpe doctis tralationum, argutisque figurarum modulis ab Ausoniana phrasi non abhorreat, contingit tamen, ut vix quandoque dignum ejus ingenio anxiaque eruditione facile appareat, præsertim his, qui ei sæculo immitia plerunque aut duriuscula condonandum non putent. Neque fieri non potuit, ut exscribentium dormitatione quædam fuerint inversa, quodque est detestabilius, addita. Nam præter ea, quæ nos emendavimus, multa etiam concretis dictionibus, perverseque nexilibus confusa, ægre oculis perlegas: ut et imperitum antiquariom, aut quemvis denique amanuensem præ se ferant. *Accursius.*

Hectoris hic tumulus] Hoc Hectoris epitaphium in antiquis quoque codicibus invenerat Accursius Mariangelus in Italia. Egregiam autem continet Hectoris viri fortissimi laudem, quum eo stante, stetisse Trojam patriam, et tali cive intereunte, illam simul interiisse dicit. Eadem repetit Priamus in suis epitaphiis. Occisum autem ab Achille Hectorem, a suis redemptum, et in patria sepultum, canit Homerus, in extrema Iliade. Unde postea ejus ossa Græci Thebas in Bœotiam transtulerunt: ut apud Pausaniam legimus, et Lycophronis interpretem, ac in Anthologia Græcorum ab Henrico Stephano nuper edita. *Vinetus.*

Cum quo sua] Severus in Ætna: ‘ Miramur Trojæ cineres, et flebile victis Pergamon: exstinctosque suo Phrygas Hectore. Parvum Conspicimus magni tumulum ducis.’ Pentadius in tumulo Hectoris: ‘ Occubuit telo violenti victus Achillei. Occubuere simul spesque salusque Phrygum.’ Libanius Oratione IX. in necem Juliani: *Τὸν μὲν οὖν Ἕκτορα τῆς Τροίας ἤδη τις ἐκάλεσεν ἀστραβῆ κίονα, ὀρθῶς προσειπών. Πεσόντος γὰρ, ἐπὶ σαθροῦ τὸ Ἴλιον εἱστήκει, καὶ αὐτίκα ἔμελλε κείσεσθαι μετὰ τοῦ Ἕκτορος.* Est vero ille, quem Libanius citat, Poëtarum Lyricorum Princeps Pindarus in Olympiis. Ita quoque Hectora Lycophron *κίονα καὶ ἔρεισμα πάτρας* appellavit.

No. 232 *Astyanacti*] Astyanax. Hectoris ex Andromacha conjuge filius. *Vinetus.*

1 *Flos Asiæ*] Quo non erat pulchrior in tota Asia. *Idem.*

2 *De patre*] Hectore. Timere potuerunt Græci, ne illos patri similis, aliquando male multaret: patrem, avum, patruos, gentem universam olim ulcisceretur. *Idem.*

3 *Scæis dejectus ab altis*] ‘ Quum Achivi,’ inquit Hyginus, ‘ Troja capta, prolem Priami exstirpare vellent, Astyanacta Hectoris et Andromachæ filium de muro dejecerunt.’ *Idem.*

4 *Iliaci Neptunia*] Muros oppidi Ilii, a Diis Neptuno et Apolline ædificatos, fabulati sunt Antiqui. *Idem.*

No. 233. 1 *Sarpedon*] Sarpedon non unus fuit. Memorat Apollodorus, et Scholiastes Argonauticorum Apollonii, Sarpedonem Neptuni filium, Thraciæ regem, ab Hercule interfectum: abs quo Sarpedon Thraciæ urbs apud Stephanum, *Σαρπηδονίη πέτρη* apud Apollonium primo. Alii fuerunt duo Sarpedones, autore etiam Eustathio in secundum Iliados, quos unum solum fuisse putat Apollodorus tertio de Deorum origine: Sarpedon Jovis et Europæ filius, qui Creta pulsus a fratre Minoë, in Lycia regnavit: et Sarpedon Jovis et Laodamiæ Bellorophontis filiæ filius, ut idem Homerus scribit Iliados sexto, qui Trojanis contra Græcos auxilium tulit, et a Patroclo fuit occisus. Incertum autem uter horum Lyciæ regum sit accipiendus, cujus regnum promontorio Sarpedone aliquando finitum esse, scribit Pomponius Mela libro primo. *Vinetus.*

3 *Sanguineis fletus lachrymis*] Juppiter Iliados sextodecimo, quum se vidit Sarpedonem filium carissimum ser-

[redacted]

vare non posse (tantam esse vim fati et soror et conjux Juno docuerat) *αἱματόεσσας ψιάδας κατέχευεν ἔραζε*: id est, sanguineas guttas effundebat humi. *Idem.*

4 *Et patitur luctum*] Languent hæc: scripsit Ausonius: *En patitur luctum.* Græviue.

No. 234. 1 *Nastes*] Ad verbum, eodemque verborum ordine, est illud Homeri: Νάστης Ἀμφίμαχός τε Νομίονος ἀγλαὰ τέκνα. Fratres hi erant, et Cares ad Trojam pro Trojanis duxerunt: quorum alterum, Amphimachum, scribit Poëta ab Achille fuisse occisum. *Vinetus.*

No. 235. 3 *Raptatus bigis*] De Hectore Virgilius lib. II. Æneid. 'Raptatus bigis ut quondam, aterque cruento Pulvere, perque pedes trajectus lora tumenteis.' Cicero in Tusculanis Qu. Propertius lib. III. Eleg. I. &c. Noster in Periocha XXII. Iliad. 'Hector interfectus, et religatus ad currum, ter circum mœnia Trojana raptatur.' Patrio id Achillem more fecisse refert Scholiastes ad Homeri Iliad. X, ex Callimacho: Simonem namque, Thessalum genere, Eurydamanta Midiæ filium ita raptasse, qui Simonis fratrem Thrasunum interfecerat. Hunc autem primum ejus moris auctorem fuisse, et religatum ad currum interfectorem circum fratris occisi tumulum traxisse. Hæc ille. Æmulatus est Achillem Magnus Alexander, eodem Batim supplicio afficiens. Curtius lib. IV. cap. 6. extremo: 'Per talos enim spirantis lora trajecta sunt; religatumque ad currum traxere circa urbem equi: gloriante Rege, Achillem, a quo genus ipse deduceret, imitatum se esse pœna in hostem capienda.'

No. 236. 1 *Cede procul*] Effinxit Ausonius hoc epitaphium ex iis, quæ de Polydoro fabulatur Virgilius in principio tertii Æneidos, ex iisque ipsis est intelligendum. *Vinetus.*

2 *Telorum seges*] Hæc cornea, inquit Polydorus, virgulta, et 'densis hastilibus horrida myrtus,' tela ipsa sunt, quibus me confodit crudelis tyrannus Thraciæ: quæ vita ex sanguine et corpusculo meo sumpta, in hanc sylvam adoleverunt. *Idem.*

4 *Condor ... bis*] In tumulo litori imminente, telis et terra fui primum obrutus a tyranno, et conditus. Deinde Æneas, quum hac transiret, et me forte reperisset, instauravit mihi funus, sepulchrum exstruxit, et cetera quæ sunt apud Virgilium. *Idem.*

5 *Et tu, rex impie*] Scil. ἀποστροφὴ ad Polymnestorem, ut hic Thraciæ rex appellatur in Hecuba Euripidis, et tertio Metamorphoseon Ovidii. Cujus hæc insignis impietas, quod quum ei Priamus Trojæ rex, ut amico, Polydorum filium auri cum pondere magno furtim mandasset alendum, 'Quum jam diffideret armis Dardaniæ, cingique urbem obsidione videret, Ille ut opes fractæ Teucrum, et fortuna recessit, Res Agamemnonias, victriciaque arma secutus, Fas omne abrupit, Polydorum obtruncat, et auro Vi potitur.' *Idem.*

6 *Trojaque cura tegit*] Crediderim Ausonium sine conjungendi particula scripsisse, *Troia cura tegit.* Ut est in Didonis Epitaphio: 'Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.' *Troia* enim hoc loco trisyllabum fit, ut libro primo Æneidos: 'Arma virum, tabulæque, et Troia gaza per undas.' Et in Epitaphio insequenti: 'Troia tellus.' *Idem.*

Troiaque cura tegit] Lege: *Troia cura tegit.* epitaph. sequen. 'Troia tellus.' Trojani Polydoro justa solverunt. *Græviue.*

No. 237. 1 *Euphemum Ciconum*] Ciconum gentis Thraciæ regem Euphemum Trojanis contra Græcos auxilium tulisse scribit Homerus in extremo libro secundo Iliados. *Vinetus.*

No. 238. 1 *Hippothoum*] Hippothoum et Pylæum facit fratres Homerus in eodem extremo secundo

[redacted]

Iliados: qui Pelasgos Larissæos in Trojanorum auxilium adduxerint: Hippothoumque ab Ajace Telamonio fuisse occisum, scribit libro septimodecimo. *Vinetus.*

Hippothoum, Pyleumque] Metrum flagitat, ut scribatur: *Pyleum Hippothoumque.* Grævius. Nihil mutandum: non advertit vir Celeberrimus id esse moris Ausonio, ut Diphthongos extrita altera vocali corripiat. Ea de re nos alibi.

No. 239 *Ennomo, et Chromio*] Hi sunt Ἔννομος et Χρόμις in eodem extremo secundo Iliados. Sed Chromis etiam Χρόμιος, id est, Chromius, tribus syllabis, vel auctore Eustathio. *Vinetus.*

No. 242. 1 *Nata Dymante*] Hecubæ, quæ Græcis Ἑκάβη dicitur, pater est Dymas Iliados sextodecimo, Cisseus in Hecuba Euripidis, Sangarius libro tertio Bibliotheces Apollodori. *Vinetus.*

5 *Fidite ne regnis*] Quin Senecam Noster in animo habuerit, cum hæc scriberet, nullus dubito. Apud illum enim eadem Hecuba initio Troadum: 'Quicunque regno fidit, et magna potens Dominatur aula, nec leves metuit Deos, Animumque rebus credulum lætis dedit, Me videat.'

6 Σῆμα κυνὸς] Sepulchrum canis. Strabo tertiodecimo: *καθ' ὃ ἐν Χεῤῥονήσῳ τὸ κυνὸς σῆμά ἐστιν. ὅ φασιν Ἑκάβης εἶναι τάφον.* Pomponius Mela secundo, de eadem Thraciæ Cherrhoneso: 'Est Cynos-sema, tumulus Hecubæ, sive ex figura canis, in quam conversa traditur, sive ex fortuna, in quam deciderat, humili nomine accepto.' *Vinet.* Ad quem locum vide quæ vir illustris Is. Vossius.

No. 244 *Niobæ*] In Græcorum Epigrammatum Anthologia, varia invenies Epigrammata in casum, formam, imaginem Niobes filiæ Tantali regis Phrygiæ, et uxoris Amphionis regis Thebarum. *Vinetus.*

1 *Thebarum regina fui*] Ita vetus liber. Est enim quasi quædam conjectio caussæ, quam exponit Niobe. *Scaliger.*

Sipyleia cautes] Σίπυλος, urbs fuit, et mons Phrygiæ. Unde 'Sipyleium marmor' dixit Ausonius: 'Sipyleia genitrix' ipsa etiam appellata Statio versu tricesimo tertio libri quincti Sylvarum. *Vinetus.*

3 *Bis septem*] Septem maribus, et feminis totidem. Idem numerus quatuordecim apud Hyginum et Ovidium sexto Metamorphoseon, sed duodecim apud Homerum Iliados ultimo: quos duodeviginti numeravit Sappho: Bacchylides, Pindarus, et Hesiodus viginti: Herodotus tantum quinque. Vide Apollodorum libro tertio, et Aulum Gellium ultimo, et Ælianum duodecimo Variæ Historiæ. *Idem.*

8 *Perpetuasque rigat*] D. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani: 'Unde et Nioben, quia multum fleverit, in lapidem, et diversas in bestias commutatas finxit antiquitas.' Ita lego: nam in Frobeniana Erasmi editione male impressum, *et diversas bestias commutatam.* Hyginus: 'At genetrix liberis orba flendo lapidea facta esse dicitur in monte Sipylo. Ejusque hodie lacrymæ manere dicuntur.' Ubi malim, *manare.* Callimachus hymno in Apollinem: Καὶ μὲν ὁ δακρυόεις ἀναβάλλεται ἄλγεα πέτρος, Ὅστις ἐνὶ Φρυγίῃ διερὸς λίθος ἐστήρικται, Μάρμαρον ἀντὶ γυναικὸς ὀϊζυρόν τι χανούσης.

9 *Tantæne animis cælestibus iræ*] Ex quinctodecimo primi Æneidos. *Vinetus.*

No. 246. 1 *Habet sepulchrum*] Hoc Trimetrum iambicum in signum Niobes ex Agathia est. In quo non illud tantum e re fuerat cognoscere, quo pacto iisdem fere verbis Noster omnia reddiderit, sed inspectione quoque dignum, quod mortuum vocarit ipsum, Nioben significans. Ita enim cum nihil immutarit, pleniori quoque Latinorum eruditioni inservit. Siquidem ὁ νεκρὸς, id est, 'mortuus,'

[redacted]

scribitur. Ut importune eos fecisse putemus, qui interpretationem retrectare ausi, cadaver, verterunt. *Accursius.*

Habet sepulchrum] Huic simile est illud libro tertio Anthologiæ: 'Ο τύμβος οὗτος ἔνδον οὐκ ἔχει νεκρόν. 'Ο νεκρὸς οὗτος ἐκτὸς οὐκ ἔχει τάφον. 'Αλλ' αὐτὸς αὑτοῦ νεκρός ἐστι καὶ τάφος. Quorum Græcorum auctor non nominatur in eo Epigrammatum libro: sed Agathiæ Scholastico attribuit interpres Electræ Sophoclis Græcus. Qui si non fallit, et Agathias ille Scholasticus est, quem Paulo Silentiario et Triboniano æqualem facit Suidas, qui Justiniano principe vixerunt, certe is plus centum annis posterior fuerit Ausonio, qui se dicit, Gratiano Cæsare Consulem fuisse jam senem: et sic Agathias Ausonii, non contra Ausonius Agathiæ interpres esse poterit. Quod de Pallada quoque probavimus in Epigramma octogesimum quintum. *Vinetus.*

No. 247. 2 *Hoc pereunte*] Sichæo. Didoni namque maritus fuit Sicharbas, sive, ut Virgilius appellat, Sichæus 'ditissimus agri Phœnicum.' Frater Pygmalion, Tyri rex, 'scelere ante alios immanior omnes,' qui cum Sichæum 'impius ante aras, atque auri cæcus amore,' clam incautum occidisset, et sibi ab eo Dido timeret, navibus opes suas clam imposuit, et cum amicis in Africam fugit. Virgilius primo Æneidos, Justinus, Servius, et alii. *Vinetus.*

Hoc fugiente] Ænea. Sed hoc esse commentum Virgilii, ipsa dixit Dido centesimo decimo octavo Epigrammatum. *Idem.*

No. 248. 1 *Dic canis*] Scribit Diogenes Laërtius Diogenem philosophum Cynicum juxta Corinthi portam sepultum fuisse, quæ in Isthmum ferebat. Cippum super eum statutum, et super ipsum canem ex Pario marmore. Hunc ergo canem interrogat hospes quispiam. *Vinetus.*

2 *Sed abiit*] Legendum *abit*, dissyllabum; vel conjunctio ipsa *sed* amolienda, quam interposuerint fortasse inscii T literam Veteribus communem exstitisse. Quorum etiam opinio fuit, viros quocunque meritorum genere insignes non quidem mori, sed in alia loca transferri, sæculaque commutare. Considerandum præterea, Epigramma ipsum e Græco sumptum tetrasticho, quibusdam vel additis vel immutatis. Salse pariter ac lepide, neque minus erudite, quam graviter: Εἰπὲ κύον, τίνος ἀνδρὸς ἐφεστὼς σῆμα φυλάσσεις; Τοῦ Κυνός. 'Αλλὰ τίς ἦν οὗτος ἀνὴρ ὁ Κύων; Διογένης. Γένος εἰπέ. Σινωπεύς. Ὃς πίθον ᾤκει; Καὶ μάλα. νῦν δὲ θανὼν ἀστέρας οἶκον ἔχει. *Accursius.*

Non obiit, sed abiit] Ignorantia sciolorum hunc locum corrupit, qui nescierunt ultimas in 'obiit,' 'rediit,' 'subiit,' et similibus produci, licet vocalis sequatur. De quibus vide quæ notavit vir elegantissimi ingenii et eruditionis summæ Nicolaus Heinsius ad Ovid. Heroid. Epist. VI. vs. XXXI. Hinc interserunt τὸ *sed*: quod eo, unde *malum pedem retulit*, rejiciendum, et scribendum: *Non obiit, abiit.* Grævius.

Sed abit] Cum 'abire' sæpe simpliciter ponatur, sæpe 'vita abire' scribatur, pro 'obire mortem,' factum est, ut Velleium hactenus grave mendum obsederit, quod jam tollere in animum induxi: libro II. dicit: 'At Catilina non segnius vota obiit, quam sceleris conandi consilia inierat.' Lego: *non segnius vita abiit.* Liquet ex seqq. 'quippe fortissime dimicans,' &c. Hæc ubi scripseram, ex additis Velleio in Lipsiana editione variantibus lectionibus Aldum ejusdem mecum sententiæ fuisse comperio: quam cur improbaverint viri docti, non video. Ammian. Marcellinus lib. XXI. de Constantio: 'Diuque cum anima colluctatus jam discessura, abiit e vita III. Non. Octobr.' Tertullianus de Testim. Animæ, c. IV. 'Nam si de aliquo jam-

[redacted]

pridem defuncto tamquam vivo quis requirat, præ manu occurrit dicere, Abiit. Jam et reverti debet.' Ita hæc verba distinguenda certum est, nam illa, 'Jam et reverti debet,' sunt ab argumentatione Tertulliani, quam perspicue cognosces, si τὸ *ergo*, quod subintelligitur, de tuo addas.

Obiit] Alvo nimis soluta, cum Polypum crudum vorasset; Athenæus l. VIII. Deipnos. Laërtius in ejus Vita, qui et diversas de ejus morte opiniones refert.

6 *Justa*] Quinimo ipsa justitia credita est. *Vinetus.*

5 *Erigonæ*] Fabulam fuse narrant Dydymus ad Homeri Iliad. X, Tzetzes Chil. IV. 128; Hyginus Fab. CXXX. et de signis cælest. in Arctophylace; item Ampelius in libello memoriali, e quo pauca, quæ corrupta sunt, adscribere visum est, ut restituantur: 'Tum Liber a Jove petit, quod suo imperio deficerent, ut inter siderum cursus poneretur Virgo. Icarius autem Arcturus est.' Lege, *ponerentur. Erigone Virgo, Icarius autem Arcturus nom. est.*

No. 249. 1 *Sedecennis matronæ*] Scribendum e membrana veteri: *In tumulum sedecennis matronæ:* Item: *Quis mortem accuset? quis non accuset in isto Ætatis? meritis anus est, ætate puella.* Quis neget vulgatam lectionem ineptissimam esse? Non dissimulabo, quid secutus sim in illo vetere exemplari. In eo scriptum erat, *quis non accusat insta.* Nos fecimus, *in isto.* ἀρχαϊκὰ sunt, 'istud ætatis,' 'id ætatis.' Et ita pristinæ venustati suæ restitutum est Epigramma. Quis, inquit, accuset mortem, cum meritis anus sit? quis non eandem accuset in illa tenera ætate, cum adolescens moriatur? Sic Martialis: 'Dum numerat palmas, credidit esse senem.' *Scaliger.*

3 *Infans lactavit*] Hic certe pervertere non licuit. Aliis enim locis plerisque *lactans* in *lactens* contra libri veteris auctoritatem, et quod majus, Auctoris consuetudinem mutatum fuerat. Sic et Ennio necnon Prudentio sua vox adserenda est in hymno Romani, quam alii non recte rejiciunt. Livius Tereo apud Nonium: 'Ego puerum interea ancillæ subdam lactantem meæ, ne fame perbitat.' Serenus Sammonicus de præcordiis sanandis: 'Quin etiam catulum lactantem adponere membris Convenit.' Ita vulgatæ editiones et optimæ notæ scriptus, quem consului. Lampridius in Severo: 'Sed jussit, ne quis suminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam, ne quis damalionem.' Ubi *damalio* et *lactans* porcellus sibi opponuntur, ut *vacca* et *suminata* scropha. Apud Nonium in Calvitur: 'Num me lactans calvitur ætas?' Petrus de Natalibus in Catalogo SS. l. III. c. 82. de S. Perpetua: 'Parvulum quoque ipsius lactantem ad collum ejus jactassent.'

6 *Ætatis meritis*] Albinovanus ad Liviam: 'Quid numeras annos? vixi maturior annis. Acta senem faciunt: hæc numeranda tibi.' Noster Epigr. XIX. 'Scire ævi meritum, non numerare decet.' Sophocles Antigone, vs. 744. Οὐ τὸν χρόνον χρὴ μᾶλλον ἢ τἄργα σκοπεῖν. Alexander moriens apud Curtium l. IX. c. VI. 'Verum ego, qui non annos meos, sed victorias numero, si munera fortunæ bene computo, diu vixi.' Et paullo ante: 'Ego me metior non ætatis spatio, sed gloriæ.' Libanius Orat. X. in necem Juliani: Δεύτερον ἕτερον λογιζόμεθα πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς, ὡσεὶ καὶ νέος ἀπῆλθεν, ἀλλὰ τῶν γῆρας βασιλέων νικήσας ταῖς πράξεσι. Mamertinus in Panegyrico eidem Juliano dicto: 'Dicet aliquis, quomodo tam multa tam brevi tempore? et recte. Sed Imperator noster addit ad tempus, quod otio suo detrahit: nihil somno, nihil epulis, nihil otio tribuit. Ipsa se naturalium necessariarumque rerum usurpa-

[redacted]

tione defraudat, totus commodis publicis vacat. Itaque grandævum jam imperium videbitur his, qui non ratione dierum et mensium, sed operum multitudine, et effectarum rerum modo, Juliani tempora metientur.' In qua periodo quiddam mihi deesse videtur, ac legendum, *sed Imperator noster addit ad tempus* imperii, *quod otio suo detrahit.*

No. 250. 1 *Læta bis octono .. sub Consule*] Statius librum Silvar. quartum fuerat orsus: 'Læta bis octonis accedit purpura fastis.' *Vinetus.*

7 *Cinyreius*] Cinyræ filius Adonis. Habuit amatrices duas Deas, Venerem apud superos, et dum viveret: Περσεφόνην, id est, Proserpinam, apud inferos, et mortuus. Orpheus in hymnis, et Ausonius ipse in Idyllio de Cupidine cruci affixo, et in Epistola ad Theonem. *Idem.*

8 *Jovis Elysii*] Plutonis inferni regis catamitus eris, sicut est Superi Jovis catamitus Ganimedes. *Idem.*

No. 251. 1 *Callicrateæ*] Epitaphium Callicrateæ, quo plerique admirari non desinunt, cur res ea, par miraculo, nec indigna, quam inter Macrobios Lucianus, vel inter fæminarum virtutes Plutarchus referrent, ab historicorum nemine apud nos litteris mandata fuerit, e Græcis sumptum Epigrammatis invenies. Sed an duos ultimos in eo versus consulto Noster prætermiserit, ut non negare ausim, ita ne id ipsum quidem affirmare. Est autem incerti authoris: Εἴκοσι Καλλικράτεια καὶ ἐννέα τέκνα τεκοῦσα, Οὐδενὸς, οὐδεμιῆς ἔδρακόμην θάνατον, Ἀλλ' ἑκατὸν καὶ πέντε διηνυσάμην ἐνιαυτοὺς, Σκήπωνι τρομερὰν οὐκ ἐπιθεῖσα χέρα, Ἥδ' ἐγὼ ἡ περίβωτος, ὑπὸ πλακὶ τῆδε τέθαμμαι, Μούνῳ ἐνὶ ζώναν ἀνέρι λυσαμένη. Nec dissimulandum in nonnullis, atque adeo excussis voluminibus, tanquam Epigramma alterum, duo ipsa Carmina sejuncta circumferri, nulla prorsus ope rationis. Exstat enim aliud, quo Callicratea eadem cunctis admirabilem mortalibus se jactat, ac præterea novam Alcestin, quippe subeuntem fata Zenonis, quem solum maritum habuerit, et quidem luce filiisque cariorem: Ἀλκηστὶς νέη εἰμί. θάνον δ' ὑπὲρ ἀνέρος ἐσθλοῦ Ζήνωνος. τὸν μοῦνον ἐνὶ στέρνοις ἐδεδέγμην, Ὃν φωτὸς, γλυκερῶν τε τέκνων, προὔκριν' ἐμὸν ἦτορ. Οὔνομα Καλλικράτεια, βροτοῖς πάντεσσιν ἀγαστή. *Accursius.*

No. 252. 1 *Spatiosa per æquora*] [Vid. Var. Lect.] Emendo *pannosa*: intelligoque pannosa Circi æquora, et pannosum ipsum Circum, a pannis diversorum colorum, quibus utebantur factiones in istis Circensibus ludis: qui colores sunt Prasinus, Roseus, Albus, Venetus apud Cassiodorum tertio Variarum; et Sidonium Apollinarem in hendecasyllabo ad Consentium: 'Albus, vel Venetus, rubeus, virensque.' Sueton. de Domit. 'Duas Circensibus gregum factiones aurati purpureique panni ad quattuor pristinas addidit.' *Vinetus.*

2 *Septenas solitus*] Quum certamen septeno metarum *perageretur* circumitu: unde et Circus dictus. Iidem Sidonius et Cassiodorus. *Idem.*

10 *Funis et ad quartum*] Præcipui honoris ac meriti in quadrijugis curribus, et Circo destinatis, fuisse funales sinistros equos, ex hoc Epigrammate clarum est. Ei apud inferos, si quadriga jungatur ex equis Heroum olim celeberrimis, honoratissimum locum deberi asserit, qui sinister est funi gerendo. Ita vulgo editur. quidam ita distinguunt, leguntque: *Pegasus,* &c. *Funis est: quartum,* &c. Et sic interpretantur, in ea quadriga Phosphorum et Cillarum jugales esse; funales autem dexteriorem quidem Pegasum, sinisteriorem vero Arionem: quod non potest obtineri. Jugales, ut dixi, minoris dignationis, quam funarii. At palam est, id velle Ausonium, primum in illa equorum quadriga locum deberi

[redacted]

Phosphoro, et merito suo, et Augusti commendatione, a quo amatus est. Honoratissimus autem quadrigæ locus, ut docui, ex Circi instituto sinisterior jugalis. Quare Epigrammatis illius versus sic sunt concipiendi et interpungendi: *Pegasus hinc dexter currant ibi Lævus Arion, Funi sed quartum det tibi Castor equum.* Perge inquit ad Elysias sedes, et cum equis, qui ibi præstantissimi habentur, quadrigam componas. In ea quadriga, ibi currant dexter Pegasus et lævus Arion ad jugum scilicet. Sed funi, id est, ad funem Castor tibi det quartum suum equum. Vult igitur Castoris equum et Phosphorum funales esse, tanquam quadrigæ optimos. Quartus equus in quadriga, vel est dexter funalis, si a sinistra numerare incipias, vel sinister, si a dextra primum computes. Sed ut dictum est, sinister funalis honoratior, ideo primus numerandus. Sic quartus erit funalis dexter. Itaque si Castor quartum equum ad funem dat Phosphoro, primus est quadrigæ Phosphorus, idemque sinister funalis. Sic dexter in jugo Pegasus, sinister Arion. Hæc sunt indubitatissima. Scriptum erat *Funis et quartum* (imo *funis ead*) pro *Funi sed quartum.* Inde qui versui consulere voluere, de suo addiderunt, *Funis et ad quartum.* Hinc certum est, Phosphorum et Cillarum funales facere Ausonium. Ergo Pegasus, et Arion jugales. Quod ipsum expressisse Poëtam putaret aliquis, legendo: *Pegasus hinc dexter, currant juga, lævus Arion.* Pegasus dexter et lævus Arion jugales currant. 'Juga' pro jugalibus: loquutio ipsa tralatitia. *Salmas. ad Solinum.*

Funis et ad quartum] Quidquid repugnet ὁ πάνυ ad Solinum pag. 899. vera lectio est: *Lævus Arion Funis eat. Quartum det tibi Castor equum.* Est ibi legere, honoratissimum in quadrigis locum ex instituto Circi fuisse jugalis sinistri. Ego certe id verum censeo: etsi contra sententiam ejus sit, et aut ipsius calamus, aut operarius erraverit. Multis enim contendit jugales minoris dignationis quam funarios fuisse. Sed non desunt, quæ omnibus ejus argumentis opponam. Hic, si mihi credis (nam exsequi disputationem istam nunc non vacat) Ausonius Phosphorum ponit in jugo ad lævam, qui locus mea sententia præcipuus est, quem plerumque tenebat speratus auctor victoriæ: ei dextrum in eodem jugo locat Pegasum: funales autem statuit sinistrum Ariona, dextrum Cyllarum. *Gronovius.*

No. 253. 1 *Sparge mero cineres*] 'Relliquias vino, et bibulam lavere favillam.' libro VI. Æneidos. *Vinetus.*

Et odoro perlue nardo] Lege, *beneolentis et ung. nardi.* Vox rarior 'unguen' interpretationi locum dedit. Vindicianus: 'Succis, unguinibus, tedis, pice, sulphure, cera.' Valerius Flaccus l. VI. Argonaut. 'Pingui fluit unguine tellus.'

No. 254. 3 *Sitque ista querela*] Vetus liber: *Sit questa querella Longior.* Non video, cur Scaliger sibi mutandum duxerit in *Longius:* quod nihilominus, si nobis Eruditiss. Heinsius emendationem suam probaverit in Virgilio, Ecl. IV. 'O mihi tam longe maneat pars ultima vitæ Spiritus et quantum sat erit tua dicere fata!' procul dubio retinendum erit. Est sane τὸ 'longe' in Mediceo, aliisque vett. codd. Sed ἐπέχω, quia in illis *æ* et *e* nimis quam sæpe confunduntur. Quæ Servius notat, nihil certi afferunt. Est itidem incertus ille versus, qui legitur in tertio Æneidos: 'Accipe et hæc, manuum tibi quæ monumenta mearum Sint, puer, et longum Andromedes testentur amorem.' Ad quem Servius: 'Et de præterito, et de futuro: ut agnoscas quantum te vel amaverim, vel amatura sim. Potest et pro diu accipi.'

[redacted]

Ego vero ita acceperim, ut sit τὸ 'longum' adverbium, pro diu, quemadmodum lib. x. 'Nec longum lætabere,' id est, diu, longum tempus: et ita hic 'Longior querela,' id est, magis diuturna, quæ diutius permaneat, ac perseveret.

No. 255 *Latinæ viæ*] Latina via fuit Romæ, Appia, et aliæ: secundum quas sepeliebantur homines. Juvenalis libro primo: 'Experiar, quid concedatur in illos, Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.' *Vinetus.*

3 *Non sum*] Confinxit hoc Ausonius ex vulgatis monimentorum inscriptionibus. In quibus talia sæpe proponebantur. Ut est illud Lactorate in Novempopulonia: D. I. M. NON FVI. FVI. MEMINI. NON. SVM. NON CVRO. DONNIA. ITALIA. ANNORVM XX. HIC. QVIESCO. C. MVNATIVS C. DONNIA. CALISTE. LIBERTE. PIISSIME. *Scaliger.*

DE XII. CÆSARIBUS.

No. 256 *Hesperio*] De Hesperio, ad quem mittitur hoc Poëma, vide, quæ scripta sunt in Carmen nonum Parentalium. *Vinetus.*

No. 257. 2 *Nomen transcripsit et arcem*] In familiam et imperium adoptavit. 'Arcem' enim hoc denotare pervulgatum est.

4 *Caius, cognomen*] Malui scriptorum duorum lectione uti, præsertim quum in Tetrasticho de Caligula prior versus idem præferat, quem adscribam: 'Post hunc castrensis caligæ cognomine Cæsar.' Nec aliter hæc inscriptio in veteri libro: mox, 'Expetiit pœnas de Cæsare Chærea mollis.'

No. 258. 1 *Trieteride*] Triennio. *Vinetus.*

2 *Post lustra decem*] Post quinquaginta annos. Lustrum hic quinque sunt anni: 'Et ter septenis geminos.' Hoc significat, Claudium Tiberium Neronem viginti tres annos regnasse. *Idem.*

5 *Hebdomadem duplicem*] Scilicet annorum, id est, quatuordecim annos. *Idem.*

12 *Quindecies sævis*] Ordo et sensus hujus loci est, Nova laurea cingit ter Janum, dum dominatur Titus Vesp. et nova laurea cingit quindecies eundem Janum, dum frater Titi Domitianus crudelis tyrannus imperat. Hic quindecim anni significantur, illic tres. *Idem.*

No. 259. 1 *Grassante senatu*] Conspirarunt in eum quidam ex Senatoribus, et interfecerunt: in quibus Brutus et Cassius. *Vinetus.*

4 *Expetiit pœnas*] Cicero in Miloniana cap. 21. 'In quos *incensos ira*, vitamque *Domini* desperanteis quum incidisset, hæsit in iis pœnis, quas ab eo servi fideles pro Domini vita expetiverunt.' Idem pro lege Manilia: 'Ut mihi quidem videantur Dii immortales, etiamsi pœnas a popul. Rom. ob aliquod delictum expetiverint,' &c.

No. 262. 1 *Dehinc Octavius, idem*] Lego: *Dehinc Octavius idem Cæsaris, Augusti nomine nobilior.* Nisi et placeat *Augusto.* Idem enim Octavius ultor et successor Cæsaris Julii, et Augusti vel Augusto nomine nobilior, quam Octavii. *Gronovius.*

2 *Et Augusti nomine*] L. *At Augusti n. n.* id est, Octavius, ita dictus a familia; idem et Cæsar appellatus, per adoptionem a Julio Cæsare in familiam Juliam cooptatus, sed notior tamen nomine Augusti, quod Senatus dedit censente Planco.

4 *In terris positum*] Horatius Epist. I. lib. II. ad Augustum: ‘ Præsenti tibi maturos largimur honores, Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.’ Sueton. in Augusto cap. 59. et 60. Aurel. Victor de Cæs. in Augusto, Dio lib. LI.

No. 264. 4 *Qui superavit avum*] Tiberium Augustum. Caius enim Caligula patrem habuit naturalem Cæsarem Germanicum, ad quem scribit Ovidius libros Fastorum. Qui Cæsar Germanicus filius fuit Tiberii Augusti ex adoptione, patrui sui. *Vinetus.*

No. 265. 1 *Claudius irrisus privatæ in tempore vitæ*] Legitur et, *Claudius irrisæ privato in tempore vitæ.* Ut ‘ privato in tempore’ habet tertius versus de Vespasiano. *Vinetus.*

3 *Non faciendo nocens*] Dio de Galba, qui in hoc vitio Claudium adæquavit: Οἱ δὲ ἐξελεύθεροι αὐτοῦ πάμπολλα ἐπλημμέλουν, ὥστε καὶ εἰς ἐκεῖνον αὐτὰ ἀναφέρεσθαι. Τοῖς μὲν γὰρ ἰδιώταις ἀπόχρη μηδὲν ἀδικεῖν· τοῖς δὲ δὴ τὰς ἡγεμονίας ἔχουσιν ἀνάγκη προνοεῖν, ὅπως μηδ᾽ ἄλλος κακουργῇ. Οὐδὲ γὰρ διαφέρει τι τοῖς κακῶς πάσχουσιν, ὑφ᾽ ὅτου ἂν καὶ κακῶνται.

No. 266. *Me meminisse piget*] Aurel. Victor de Nerone: ‘ Namque eo dedecore reliquum vitæ egit, uti pigeat pudeatque memorare hujuscemodi quemquam, nedum rectorem gentium fuisse.’ Tertullianus de Spectac. cap. 19. ‘Sed ethnicis respondi. Ceterum absit, ut de istius spectaculi aversione diutius discat Christianus: quamquam nemo hæc omnia plenius exprimere potest, nisi qui adhuc spectat. Malo non implere, quam meminisse.’

No. 268. 1 *Hoc solum fecit*] Justinus lib. I. cap. 3. de Sardanapallo: ‘ Victus in regiam se recipit, et se et divitias suas in incendium mittit: hoc solo imitatus virum.’ Tacitus de Othone: ‘ Pueritia ac juventa, qualem monstravimus, duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantumdem apud posteros meruit bonæ famæ, quantum malæ.’ Dio apud Xiphilinum: Κάκιστά γε μὴν ἀνθρώπων ζήσας, κάλλιστα ἀπέθανε. καὶ κακουργότατα τὴν ἀρχὴν ἁρπάσας, ἄριστα αὐτῆς ἀπηλλάγη. Plutarchus: Ἀπέθανε δὲ Ὄθων, ἀπολιπὼν μὴ χείρωνας μηδ᾽ ἐλάττους τῶν τὸν βίον αὐτοῦ ψεγόντων τοὺς ἐπαινοῦντας τὸν θάνατον. βιώσας γὰρ οὐδὲν ἐπιεικέστερον Νέρωνος, ἀπέθανεν εὐγενέστερον.

No. 270. 4 *Rarum aliis*] Egregiam hanc magni viri emendationem [vid. Var. Lect.] illa Flori adserunt, lib. I. cap. 3. ‘ Sic (rarum alias decus) unius manu parta victoria est.’ Eadem ferme, quæ hic Noster de Patre, Victor de Tito filio refert: ‘ Quæ eo,’ inquit, ‘ amplius grata fuere, quod ex nonnullis a privato adhuc patratis asperior, luxuriæque et avaritiæ amans credebatur fore. Sed hæc in melius conversa adeo ei immortalem gloriam contulere, ut deliciæ atque amor humani generis appellaretur.’

No. 273. *Nerva*] Mirum est, quod in lemmate Nervæ scriptum est in veteri libro: *Nerva Tetrarcha.* Quare Tetrarcha vocatur? Id ego plane ignoro. Est tamen ratio, qua id probetur, si eruditiores quærere velint. Suspicor, quatuor optimos principes, qui inter duo sævissima ac dirissima monstra Imperii Romani, Domitianum ac Commodum, interjecti sunt, Tetrarchas vocatos. Hoc enim commune habent: quod boni, et quod extrinsecus ad Imperium vocati. Nam et Nerva non ex successione, aut posteritate superiorum Cæsarum: et reliqui tres ex adoptione adsciti. *Scaliger.*

1 *Proximus extincto*] Titulus tetrastichi hujus fuit in vetusto codice, NERVA TETRARCHA. Sed quæ ista Nervæ principis Tetrarchia? Tetrasticha hæc sunt, id est, quaternum versuum Carmina: esseque natam

istam Tetrarchiam credo ex notato ad hunc modum, TETRA, tetrastichi vocabulo. *Vinetus.*

2 *Mente parens*] Plinius in Panegyr. ad Trajanum de Nerva: 'Imperator et parens generis humani obsessus, captus, inclusus.' Idem postpaullo: 'Eodemque animo Nerva pater tuus factus est, quo erat omnium.'

No. 275. 4 *Adsciti quantum*] Statius lib. II. Sylvar. l. I. 'Natos genuisse necesse est: At legisse juvat.' Galba apud Tacit. lib. I. Hist. c. 16. 'Nam generari et nasci a principibus fortuitum, nec ultra æstimatur: adoptandi judicium integrum; et si velis eligere, consensu monstratur.' Plinius in Panegyr. ad Trajan. 'Sed et tu pater Trajane cum eo, qui adoptavit, amicissime contendis, pulchrius fueritne genuisse talem, an elegisse?' Vide quæ in eum sensum Hadrianus ipse apud Dionem. Laudat et in Anthemio Sidonius, quod imperium potius merendo, quam nascendi sorte acceperit, Carm. II. 'Soli tibi contulit uni Hoc fortuna decus, quamquam te posceret ordo, Ut lectus Princeps mage, quam videare relictus.' Incertus Auctor Paneg. ad Maximianum et Constantinum, de Constantino: 'Siquidem ipsum imperium hoc fore pulcrius judicabas, si id non hæreditarium ex successione crevisses, sed virtutibus tuis debitum a summo imperatore meruisses.'

No. 276. 1 *Vocatu Consultuque*] Nomine, et consilio, seu re, pius. 'Consultus' autem substantivum quartæ inflexionis, hic notandum, nisi forte *Consultis* legas, ut in antiquo fuit codice scriptum. *Vinetus.*

2 *Nomen habens meriti*] Vide quæ Xiphilinus in Anton. Pio.

No. 277. 1 *Qui scita Platonis Fecit ad imperium*] Barthius *Jecit* XX. Adv. c. XVIII. Ego *Vexit*, id est, extulit, evexit. Frequens enim, isti præsertim ætati, 'vehere' ponere pro ferre aut portare. Diximus in Observationibus et ad Senecam. Cicero XV. Famil. Epist. IV. 'Philosophiam illam veram et antiquam, quæ quibusdam otii esse ac desidiæ videtur, in forum, atque rempublicam, atque in ipsam aciem pæne deduximus.' Et in tertio de Legibus: 'Demetrius mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum otioque non modo in Solem atque pulverem, sed in ipsum discrimen aciemque perduxit. Qui Philosophiam in augusto throno collocavit.' *Gronovius.*

2 *Flexit ad imperium*] Ita membrana vetus: et rectius quam libri vulgati, qui *Fecit*. *Flexit*: id est, 'transtulit,' ut ait Boëthius l. I. Consolation. Philosoph. 'Atque tu hanc sententiam Platonis ore sanxisti, beatas fore resp. si eas vel studiosi sapientiæ regerent, vel earum rectores studere sapientiæ contigisset, &c. Hanc igitur auctoritatem secutus, quod a te inter secreta otia didiceram, transferre in actum publicæ administrationis optavi.'

No. 278. 2 *Threcidico princeps bella, &c.*] Sit fortasse corrigendum, *Threicio*. Eum siquidem Imperatorem longe pessimum notat, quod non in martiis pulveribus, sed in productæ Martiæ, ex concubinis præcipuæ, pulvinaribus: neque e devictis hostibus triumphi famam quæsierit, verum sordidam immundamque vitam in spectaculis arenaque gladiator transierit: pugnasque gesserit gladio non militari, sed threicio, hoc est, gladiatorio. Notum est enim Thraces olim nuncupatos retiarios fuisse gladiatores, qui mirmillonibus opponerentur. Scribit Lampridius, Commodum in arenam descendisse, gladiatorumque certamen subiisse, et nomina eorum recepisse eo gaudio, quasi accepisset triumphalia. Ludum semper ingressum esse, et quoties ingrederetur, publicis monumen-

[redacted]

tis indi jussisse. Pugnasse autem septingenties tricies quinquies: tantumque palmarum gladiatoriarum confecisse, vel victis retiariis, vel occisis, ut mille contingeret. Ferarum autem diversarum manu sua occidisse multa millia, ita ut elephantos comprimeret. Et hæc spectante sæpe populo Romano. Gladiatoris quoque nobilissimi vita functi nomen adoptavit: ut est ab Herodiano traditum. Solisque colosso demolitus caput, ac suo superimposito, subscribi jussit 'Mille Gladiatorum Victorem.' Neque minus commode threicium hunc Commodi gladium pro amazonico licet accipias. Amazonico namque habitu in arenam descendisse ipsum etiam, Lampridius idem testatur, causamque reddit his verbis: 'Pro Decembri mense Amazonium, ex signo ipsius, adulatores vocabant. Amazonius autem vocatus est, ex amore concubinæ suæ Martiæ, quam pictam in Amazone diligebat. Propter quam et ipse Amazonico habitu in arenam Romanam descendere voluit.' Nos præterea Romæ marmoreum Commodi simulacrum vidimus, in pectore thorace munito galeatam atque exerta mamma imagunculam præferens ostentansque: ut eam non facile alterius quam concubinæ Martiæ imaginem interpreteris, neque alium quam gladiatoris in Imperatore habitum. Porro, sunt et qui apud Ciceronem VII. Philippica, *Theciditis*, corrigendum putent *Threcidicis*, quod arma threcidica, gladiatoria significari putentur. *Accursius.*

1 *Threicio*] Thracio, gladiatorio. Vetus autem codex *Threcidico* habebat pro illo *Threicio*. Vinetus.

No. 279. 3 *Quod doluit malefida cohors errore probato*] Reponatur levior distinctio post 'probato.' Illud enim vult Noster, errorem hunc militum probatum nec irritum fuisse, quod senatus viribus inferior esset militibus prætorianis, adeoque ipsis imperio cessisset.

No. 281. *Severus Pertinax*] Id verum esse, et hoc cognomen Severum assumsisse testes sunt veteres nummi ejus Imperatoris, item et saxa, et alia monumenta. *Scaliger.*

4 *Non obstare locum*] De Masinissa ejusdem originis principe, Valer. Maxim. lib. I. cap. II. 'Factum Masinissæ animo, quam Punico sanguini convenientius: quamquam quid attinet mores natione expendi? in media barbaria ortus sacrilegium alienum rescidit.' Apuleius in Apologia: 'Non ubi prognatus, sed uti moratus quisque sit, spectandum: nec qua regione, sed qua ratione vitam vivere inierit, considerandum est.' Dio de Nerva Trajanum adoptante: Τὴν γὰρ ἀρετήν, ἀλλ' οὐ τὴν πατρίδα τινὸς ἐξετάζειν δεῖν ἔφερο.

No. 282. 2 *Cujus adoptivo nomine tu*] Scribo, *te:* dissimilis, inquit, es Severo patri, sed Antonino dissimilior, in cujus nomen adoptatus fuisti. Fuit Antoninorum nuncupatio venerabilis ac sancta, et gentibus usque adeo amabilis, ut illa filios Bassianum ac Getam, quem Bassianus frater vel interfecit, vel jussit interfici, Severus pater honorandos putaverit. Sed illi (ut compertum est, magnis viris aut nullos fere, aut improbos gigni filios) et nomini gratiam, et imperio dignitatem derogarunt, et a tanto simul patre degenerarunt. *Accursius.*

4 *Inrisu populi tu Caracalla magis*] Historiæ testimonium hæc non habent. Ideoque in sententiam venio, ita scriptum ab Ausonio: *Irrisus populi tu Caracalla magis.* Hoc est, delusus Magorum vanitatibus. Nam Herodianus tradit, Bassianum, insidiarum metu, curiosiorem impendio fuisse Deorum, oraculorum, dæmonumque arcana inquirendi, accitis undique Magis, astrologis, haruspicibus, nemineque prætermisso, qui hujusmodi fallacias profiterentur. Romam

[redacted]

quoque, dum in Mesopotamia ageret, scripsisse ad amicum sibi intimum Maternianum, ut optimos quosque Magos de ejus vitæ termino consuleret. Quod si quis etiam sonum quandoque hunc in versu ferat, quoniam ita quoque ea ætas tulerit, neque quicquam adverbio 'magis' offendatur, referendum forte putet illud, 'In risu populi,' ad ea quæ sunt dicta, 'punitus fine cruento.' Quod populus non sine risu ejus necem acceperit, interfecti dum cacat. *Accursius.*

Inrisu populi] *Inrisu*, pro *irrisu*, ut supra, 'Claudius inrisæ privato in tempore vitæ.' Ita enim et illic vetus codex scribebat, pro *irrisæ*, *irrisu*, id est, scommatibus, seu convitio populi acceptum cognomen Caracallæ melius tuis moribus convenit, quam pulcrum illud ac venerabile Antonini.

Tu Caracalla magis] Spartianus in Caracalla cap. IX. 'Ipse Caracalli nomen accepit a vestimento, quod populo dederat, demisso usque ad talos, quod ante non fuerat: unde hodieque Antoninianæ dicuntur caracallæ hujusmodi, in usu maxime Romanæ plebis frequentatæ.' Qui locus utrum depravatus sit, an vero depravatum nactus fuerit Ausonius exemplar, qui Spartianum legisse potuit, haud liquido dixerim. Prona saltem et facilis mutatio fuit τοῦ *in usu*, in *Inrisu:* quæ tamen, si accuratius examinetur, haud absurda videbitur. Vulgata namque lectio, aut si hanc spernas, ea prout a Casaubono emendata est, ταυτολογίαν quandam præ se fert. Nam 'in usu esse' et 'frequentari' ejusdem significationis sunt: quamquam et ita explicari potest: 'in usu frequentatæ,' id est, in usu frequenti fuere. Pro *maxime R. plebis* censet Casaubonus scribendum, *maximo R. plebi;* sed male: *maxime* etenim hic potissimum, vel plurimum significat. 'In usu plebis frequentatæ vestes' sunt, quibus plebs frequenter utitur. Sed, ut dixi, non absurda mihi lectio videtur, *Inrisu maxime plebis Romanæ frequentatæ.* Is enim vulgi mos, atque ea natura est, ut quæ nova, si non extra omnem quoque fuerint culpam, irrisu et sannis excipiat: quod in inviso simul imperatore factitatum, si non aliis, mihi certe probabile est. Illa præterea verba, 'quod ante non fuerat,' non facile crediderim esse Spartiani, sed hominis alicujus inepti, qui ea adinstar glossematis margini illeverat. Pro vulgata facit Victor, qui Caracallam coëgisse plebem refert, ut ad se salutandum 'caracallis talaribus' induti introirent. Diversus abit Dio, lib. LXXVIII. aitque Bassianum τοὺς στρατιώτας μάλιστα ἀμφιέννυσθαι jussisse. De hac veste plura Salmas. ad Spartianum.

Caracalla] Genus vestimenti fuit Caracalla, unde risus est hic tyrannus. *Vinetus.*

No. 283. 1 *Principis hic custos*] Rectius fortasse, *Principis hinc custos*, hoc est Bassiani *principis sui Præf.* Præt. qua Præfectura dum fungitur, Cæsarem ipsum insidiis peremit, ad requisita naturæ divertentem, dum adversus Parthos iterum moliretur. *Accursius.*

3 *Gravibus pulsare*] Seneca Herc. Furente, vs. 735. 'Auctorem scelus Repetit, suoque premitur exemplo nocens.' Poëta Græcus, apud Aristotelem lib. V. Ethic. Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο. ita hic versus apud Aristotelem legitur. Phædrus de Vulpe et Ciconia: 'sua quisque exempla debet æquo animo pati.' Joh. Biclarensis in Chronico: 'Andeca vero regno privatus tondetur, et honore presbyterii post regnum honoratur. Non dubium, quod in Eborico Regis filio, Rege suo, fecerat, patitur.'

No. 284. 1 *Tune etiam Augustæ sedis*] Præponitur his inscriptio *Anto-*

nini Alagabali, Latinis autem scriptoribus præterquam Heliogabalus appellatus non traditur, neque ulli nomen suum, quam Heliogabali magis cognitum. Nos tamen protinus immutandum non putavimus, quod in vetustis marmoribus bis eodem modo scriptum invenerimus. Romæ siquidem, in hortis Mattheæ domus, de Balbillo quodam sacerdote Solis Alagabali, altero lapide ita legitur. TI. IVLIO. BALBILLO. S. SOLIS. ALAGABALI EVDEMON. LIB. PATRONO. OPTIMO. Item in altero, ad hunc modum: AQVILÆ. SOLI. ALAGABALO. IVLIVS. BALBILLVS. Sed et Herodianus 'Heleagabalum' vocat, quaque lapidis forma Sol ipse coleretur, ostendit. Etiam si Lampridius dubitandum reliquerit, Sol ne an Jupiter id Assyriorum numen putaretur. Servius quadam ratione sacrorum, *Hel* apud Assyrios et Solem et Saturnum dictos, tradit. Sed quod scribit etiam, Gabalus Imperator Romanus Solem se dici voluit, nam Heliogabalus dictus est, absurdum videtur. Constat enim, potito imperio, ejus Dei, cujus dudum Sacerdotium gesserat, sibi nomen adoptasse, cum fuisset antea non Gabalus, sed Varius. Quo sane, velut et Tractitii et Tiberini cognomento, digniorem sese gessit, quam ut Antoninus vel Heliogabalus appellaretur pestis illa tyrannidis non Romanæ, sed Barbaræ, flagitiosissimus, probris omnibus pollutus, immanis, totius orbis religioni adversus, Heliogabali unius superstitiosus cultor, inter Rom. Imperatores indignus veluti prodigium connumerari. Qui ea propalam egit, quæ referri, quæque cogitari etiam sit impurissimum. Et qui demum (veluti fatis manum injectantibus, ut quod in omni vita turpiter sitierat biberet) in latrina peremptus est, cadaverque ad plebis ludibrium sordidissime per cloacas tractum: finem scilicet vitæ sortitus egregium. *Accursius.*

ORDO NOBILIUM URBIUM.

No. 285. 1 *Ordo nobilium*] Libelli de claris urbibus titulus in vetere libro est, ORDO NOBILIVM VRBIVM. *Scaliger.*

1 *Prima urbes inter*] Scribe: *Roma.* I. *Prima urbes inter, divum domus, aurea Roma. Constantinopolis et Carthago.* II. et sic porro numeri varientur. Liquet ex epilogo, quum dicit: 'Utque caput numeri Roma inclyta, sic capite isto Burdigala ancipiti confirmet vertice sedem.'

No. 286. 5 *Hanc fortuna recens*] Constantinopolim extulit Romani pars imperii eo translata sub Ausonii tempora: ubi hodie quoque Turcorum Principis regia. *Vinetus.*

Fuit hæc] Ut: 'Fuit Ilium, et ingens Gloria Dardanidum.' *Idem.*

6 *Veterem perstringit honorem*] Vetus liber, *præstringit.* Quod malim: quamvis alias viris eruditis assentiar, qui verbum hactenus eliminatum *præstinguo* restitui cupiunt. Vide quæ de eo Lambinus ad Horat. Plaut. et Lucretium. Succurrit hujus verbi occasione locus in Statio parum sanus, quamvis prima fronte talis haud appareat. Is lib. I. Achilleidos: 'Quemve alium Stygios tulerit secreta per amnes Nereis, et pulcros ferro perstrinxerit artus?' Corrige, *præstruxerit*, ut in v. c. scriptum repperi: *præstruxerit ferro*, id est, muniverit, ne ferrum posset nocere. Sic Ammianus lib. XIV. 'den-

[redacted]

vitiorum vulgus, non video. Malebam: *Vitioso turbida vulgo*. Aut distinguendum est: *Et has furor ambitionis In certamen agit vitiorum. Turbida vulgo*, &c. Quæ mihi sententia potior videtur. Cur enim Noster 'furorem ambitionis' appellet, nisi quod etiam circa vitia sibi fuerint æmulæ duæ hæ civitates, ratio alia non est: quum de principatu contendere gloriosum sit intra decori et modestiæ terminos se continentibus.

5 *Et amentis populi male sana tumultu*] De Antiochensium pravis moribus multa Herodianus libro secundo, et Julianus in Misopogone. Ammianus Marcellinus libro vicesimo secundo de Alexandria, 'quæ civitas suopte motu,' inquit, 'et ubi causæ non suppetunt, seditionibus crebris agitatur, et turbulentis.' *Vinetus.*

Et amentis populi] Ammianus lib. XXII. de Juliano Imp. 'Quocirca in eos (Antiochenos) deinceps sæviens, ut obtrectatores, et contumaces, volumen composuit invectivum, quod Antiochense, vel Misopogonem appellavit, probra civitatis infensa mente dinumerans.' Numerat Libanius Orat. XII. ad Theodosium, inter maxima Antiochiæ infortunia θυμὸν κατ' ἀρχόντων ἄδικον. cujus historia notissima. Eapropter, quod ad seditionem ea civitas nimis quam proclivis esset, Johannem Chrysostomum clam ac per dolum ab Præfecto Constantinopolin esse missum ad Imperatorem refert Nicephorus in Histor. Ecclesiast. quum ab Antiochena sede ad Imperatoriæ urbis cathedram evocaretur. De Alexandria vero Hadrianus Imp. In Saturnino Vopisci: 'Et utinam melius morata esset civitas, digna profecto, quæ pro sui profunditate totius Ægypti teneat principatum.' Ammianus: 'Sed Alexandria ipsa, non sensim, ut aliæ urbes, sed inter initia prima aucta per spatiosos ambitus, internisque seditionibus diu aspere fatigata, ad ultimum multis post annis, Aureliano imperium agente, civilibus jurgiis ad certamina interneciva prolapsis, dirutisque mœnibus, amisit regionum maximam partem, quæ Bruchion appellabatur, diuturnum præstantium hominum domiciiium.' Trebellius in Æmiliano: 'Et hoc familiare est populo Ægyptiorum, ut velut furiosi [ita lege, non *vel*] ac dementes, de levibus quibusque ad summa reip. pericula perducantur. Sæpe illi ob neglectas salutationes, locum in balneis non concessum, carnem et olera sequestrata, calceamenta servilia, et cætera talia ad summum reip. periculum seditionibus, ita ut armarentur contra eos exercitus, pervenerunt.' Exempla complura ex Ecclesiastica Historia colligere potuissem, nisi fuisset præter instituti operis rationem.

6 *Hæc Nilo*] Alexandria ad unum ex ostiis Nili sita est. De qua lege Strabonem libro septimo decimo, Curtium quarto, Arrianum tertio, Plinium quincto, et Ammianum vicesimo secundo. *Vinetus.*

Penitusque repostis] Dixerat Virgilius sexto Æneidos: 'Penitusque repostas Massylum gentes.' *Idem.*

8 *Illa*] Antiochiæ Romani tenebant præsidia contra Persarum incursiones. *Idem.*

9 *Et vos ite pares*] Tertio loco ambæ, sicut Carthago et Constantinopolis secundo, pares ire jussæ. Istarum ergo urbium hæc fuerit dignitas, Valentiniano, Theodosio, et filiis principibus, circiter annum Christi quadringentesimum: quo tempore hæc de claris Urbibus jam senior canebat Ausonius. Flavius Josephus, qui sub Vespasianis sua fere scripsit, ad annum Christi octogesimum, Ægypti Alexandriæ secundum inter Romani imperii urbes, et Antiochiæ urbium Syriacarum matri tertium locum deputat in principio libri ter-

[redacted]

tii, et fine quarti Captivitatis Judaicæ. *Idem.*

Macedumque] Vetus ille nunquam satis laudatus liber aliam lectionem præfert: *Macetumque attollite nomen.* Quæ vera est. Nam Macetia, Macedonia, et Macetæ, Macedones. Gellius lib. IX. cap. III. ex veteri scriptura: 'Philippus Amyntæ terræ Macetiæ Rex, cujus virtute industriaque Macetæ, locupletissimo imperio aucti, gentium nationumque multarum potiri cœperant.' Hesychius: Μακετία, ἡ Μακεδονία. In Epigrammate Græco: ἁ Μακέτις σε κέκευθε κόνις τάφου. *Scaliger.*

11 *Ingenuum*] Hic versus ab istis carnificibus, et tortoribus librorum varie cruciatus fuit. Sed ex prisci libri auctoritate ita legendus est: *Ingenuum cujus fuit anchora signum.* 'Ingenuum signum' vocat αὐτοφυές. Vel potius, ut ex Aristotelis poëticis interpretemur, σημεῖον σύμφυτον. Id enim valet, 'ingenuum.' Ut alibi: 'Usque sub ingenuis agitatæ fontibus undæ.' 'Ingenuos fontes' τοὺς μὴ χειροποιήτους. Nam 'ingenium' est natura ipsa. Nævius in Lycurgo: 'Ite actu in frondiferos lucos, ubi Ingenio arbusta nata sunt, non obsita.' Id est, ubi sunt ingenua arbusta, non manu, aut arte sata. Quod ait: 'Qualis inusta solet generis nota certa,' intelligit de notis pecudum. Virgil. 'Continuoque notas, et nomina gentis inurunt.' Vide quæ olim in Conjectaneis notavimus. *Idem.*

Ingenitus avus fuit anchora signum] Præterquam quod nullus intellectus, syllabarum quoque numerus conqueritur. Fuit ergo quando varie pro captu ingenii corrigendum suspicaremur. E quibus tamen omnibus hoc unum tantum judicium afferre non piguit, nihil immutantes, ac vix utique admonentes. Ut dum alii fortasse ex Mss. Codd. certiora dederint, historia (licet fabulæ propior) non ignoretur, et si non verborum, rei saltem ratio constet. Videndum igitur, an legi possit, *in genitis cujus fuit anchora signum.* Una tantum fere littera, et in affinem suam commutata. *I* videlicet pro *U* in voce *genitus.* Nam dictio *cujus*, in dictionem *avus*, facile transferri potuit, neque additis, neque demtis litteris, sed plus justo coëuntibus. Denique Justinus lib. XV. in hunc modum scribit: 'Seleuci et virtus clara, et origo admirabilis fuit. Siquidem mater ejus Laodice cum nupta esset Antiocho, claro inter Philippi duces viro, visa est sibi per quietem ex concubitu Apollinis concepisse, gravidamque factam munus concubitus annulum a Deo accepisse, in cujus gemma anchora sculpta esset. Jussamque id donum filio, quem peperisset dare. Admirabilem fecit hunc visum et annulus, qui postera die ejusdem scalpturæ in lecto inventus est, et figura anchoræ, quæ in femore Seleuci nata cum ipso parvulo fuit. Quamobrem Laodice annulum Seleuco eunti cum Alexandro Magno ad Persicam militiam, edocto de origine sua, dedit. Ubi post mortem Alexandri occupato regno Orientis urbem condidit. Ibique geminæ originis memoriam consecravit. Nam et urbem ex Antiochi patris nomine, Antiochiam vocavit, et campos vicinos urbi Apollini dedicavit. Originis ejus argumentum etiam posteris mansit. Siquidem filii, nepotesque ejus anchoram in femore, veluti notam generis naturalem habuere.' Hactenus ille. Quæ eo libentius huc transtulimus, quod his præcipue, quæ novissima sunt, emendatio nostra continetur. *Accursius.*

Ingenuum cujus] Baptista Pius legit, *Ingenitus nævus.* Mariangelus Accursius, *in genitis cujus.* Alii: *ingenitum cujus.* Salmasius ad Solinum cum Scaligero facit. Solinus: 'Mons ingenuo igne per æternum fervidus.'

[redacted]

'Ingenuus ignis,' inquit ille, πῦρ ἔμφυτον. Nam 'ingeno' vetus verbum, τὸ ἐμφύω. Inde 'ingenuus' ἔμφυτος, et 'dividuus' a 'divido.' Sic Solinus inferius: 'Lacus salubris ingenuo æstu.' Et Noster: 'ingenui fontes.'

12 *Qualis inusta solet*] Virgilius lib. III. Georg. vs. 158. 'Continuoque notas, et nomina gentis inurunt.' Plura de Seleuco Justinus. Quem eadem de caussa anulo isto, cui anchora insculpta fuit, signasse testatur Clemens Alex. Pædagog. lib. III. cap. 10. Sic et Carcini 'ingenua nota' stellæ, Spartorum sive Γηγενῶν λόγχη, id est, hasta, referente Aristotele de Arte Poëtica, Plutarcho de sera numinis vindicta, et Scholiaste Lycophronis; qui Pelopidis quoque ἐλεφάντινον ὀστοῦν γνώρισμα fuisse notat; diversus in eo ab Cedreno, cujus in Historia Orestem fratrem non ante voluisse agnoscere refertur Iphigenia, ἕως τὸ Πελόπειον τοῦ γένους σήμαντρον, τὴν ἐλαίαν εἶδεν ἔχοντα ἐν τῷ ὤμῳ τῷ δεξιῷ. Ambigua sunt illa Themistii in Oratione de fraterno amore: ἢ τοῖς Πελοπίδαις μὲν ἐξήρκει καὶ μόριόν τι περὶ τὸν ὦμον ἐξεικασμένον πρὸς ἀπόδειξιν τῆς συγγενείας. Antigonus Carystius cap. 121. Γίνεσθαι δέ τινας καὶ ἐκ χωλῶν, καὶ ἐκ τυφλῶν, ὁμοίως τυφλοὺς, καὶ χωλούς· ἤδη δέ τινας καὶ στίγματα ἐνηνοχέναι. Tradit quoque M. Paul. Venetus lib. I. cap. 14. famam fuisse, 'Georgianorum reges cum signo aquilæ supra humerum antiquitus nasci.'

No. 288 *Treveri*] Carmen hoc de Treveris non solum mendosum, verum etiam mancum et mutilum videtur. *Vinetus.*

2 *Trevericæque urbis*] Sunt Treviri populus Galliæ Belgicæ. Quo nomine urbs quoque eorum appellatur apud auctores quosdam ex antiquis, et *Treuer* apud Salvianum Massiliensem, nunc *Trier*, et *Treves:* quam Pomponius et Ptolemæus 'Augustam' nominant. De Treviris multa in commentariis Cæsaris, et apud Cornelium Tacitum. De quibus etiam Beatus Rhenanus quærit libro tertio rerum Germanicarum. Ceterum non multo post hæc tempora, urbs Galliæ excellentissima opulentissimaque quater expugnata ac prostrata fuit, ut mœret Salvianus. *Idem.*

Trevericæque urbis solium] Ita Treveros appellat, quia sedes Imperatorum fuit. Vide de hac urbe Freherum in Mosellam. Auctor Exegesios totius mundi, de Gallia: πόλιν δὲ μεγίστην φασὶ ἔχειν, ἣ καλεῖται Τρίβηρις, ὅπου καὶ οἰκεῖν ὁ Κύριος λέγεται.

No. 289. 1 *Et Mediolani*] Nunc *Milan*, et *Milano*, in Gallia Cisalpina, a Transalpinis Gallis conditum. Qui per Taurinos saltusque Juliæ Alpis quum transcendissent, 'fusisque acie Tuscis, haud procul Ticino flumine, quum in quo consederant, agrum Insubrium appellari audissent cognominem Insubribus pago Æduorum, ibi omen sequentes loci, condidere urbem. Mediolanum appellarunt.' Titus Livius libro quincto. Idem, puto, volunt Strabo, Plinius, Justinus. Factum hoc tradunt Chronici ad annum ante Christum natum trecentesimum et octogesimum. Nomen autem Mediolani, quod Gallicum prorsus fuit, quoniam ad 'medium' et 'lanam' videretur alludere, finxerunt veteres Latini quidam satis inepte, ita appellatam urbem, quod molientibus sedem Gallis illis, in fundamentis sus repertus esset: cujus corporis dimidium lana, ut ovis, tegeretur. Claudianus in nuptiis Honorii et Mariæ: 'Jam Ligurum terris spumantia pectora Triton Appulerat, lassosque fretis extenderat orbes. Continuo sublime volans ad mœnia Gallis Condita, lanigeri suis ostentantia pellem, Pervenit.' Sic enim legendum pro: *mœnia Gallis Condita, lanigeris ovis ostentan-*

[redacted]

tia pellem. Et Apollinaris Sidonius libro septimo Epistolarum: 'Rura paludicolæ temnis populosa Ravennæ, Et quæ lanigero de sue nomen habet.' Sed Cato tamen in Originibus, a Medo quodam Insubrium principe dictum Mediolanum tradidit. *Vinetus.*

3 *Antiqui mores*] Reddidi Poëtæ suam lectionem, prout in primo Vossiano conspicitur. Nec sane 'facunda virorum Ingenia' (sive quis *facunda* legat).aliud nisi excultos ac lætos mores promittunt. Credo allusum ad illud Ovidianum: 'Didicisse fideliter artes Emollit mores, nec sinit esse feros.' Sic in Mosella: 'Quin etiam mores et lætum fronte severa Ingenium natura tuis concessit alumnis.' Manilius lib. IV. 'Dabit studia, et doctas producet ad artes; Nec triste ingenium, sed dulci tincta lepore Corda creat.'

5 *Circus*] Qualis Romæ fuit, et Theatrum, et Capitolium, et Palatium, et Moneta, et Thermæ Herculeæ. *Vinetus.*

Moles cuneata theatri] 'Cuneata theatri immanitas,' in ludo Sapientum: et 'cuneatum theatrum,' in Edyllio. Est et non cuneos habens. De quibus Vitruvius libro quincto. *Idem.*

6 *Opulensque Moneta*] 'Non opulens nec egens,' in Epicedio. Moneta autem Dea, templum Deæ, ut in Carmine Sulpiciæ, et locus, ubi nummi percutiebantur. Turnebus secundo capite quarti Adversariorum. *Idem.*

7 *Et regio Herculei*] Regionem Mediolani indicat fuisse, quæ diceretur, 'Herculeum lavacrum,' aut 'Herculea balnea.' Sane Herculem tutelam Mediolanensium fuisse patet ex istis inscriptionibus Mediolanensibus: HERCVLI Q. EVPHEMVS Q. F. O V F LVCVLLIVS AED. VLVIR V. S. L. M. HERCVLI L. VALERIVS TERENTIVS V. S. L. M. *Scaliger.*

Celebris sub honore lavacri] Forte: *celebris ab h. lav.* ut propter cæsuram brevis syllaba producatur. Sed τὸ *sub* ea significatione sæpius mihi lectum, ut apud Virgilium: 'Talis erat juvenis patrio sub nomine clarus.'

8 *Peristyla*] Περίστυλον, sive περιστύλιον, locus columnis circumdatus, et clausus: cujusmodi est Burdigalæ, quod 'Palatium tutelæ' vulgo appellatur. *Vinetus.*

9 *Circumdata labro*] Ita legendum est; non, ut interpolatores reconcinnarunt, *circumdata limbo.* A parte totum intelligit, quæ posterioribus temporibus in castris vocabatur fossatum. 'Labra' enim 'fossæ' dicuntur a Columella, et aliis imitatione Græcanica. Nam Græcis χείλη τῆς τάφρου. Neque dubitandum est de hac interpretatione. *Scaliger.*

No. 290 *Capua*] Capuam Campaniæ urbem, regionis Italiæ clarissimam, a Capye duce, vel a Campestri agro potius appellatam esse, placet Tito Livio libro quarto. *Vinetus.*

1 *Nec Capuam pelago, cultu, penuque potentem*] *Quæ* conjunctione subeunte, captus pede versus sustentandus forte fuerit, in hunc modum, *cultuque penuque potentem.* *Penu* enim primam corripit. *Accursius.*

Penuque potentem] Campaniam, cujus Capua caput fuit, κελλάριον τῇ βασιλευούσῃ Ῥώμῃ fuisse dicit Auctor Exegesios totius mundi a Gothofredo editus.

2 *Priore*] Antiqua: sicut 'sæculum prius' dixit Terentius in Eunucho. *Vinetus.*

10 *Togatis*] Italis, Campanis, civibus suis, sed externis, ut Annibale Afro. *Idem.*

14 *Corruerent Pœni*] Melius: *Corruerunt Pœni luxu, Campania fastu.* Hoc sane ait, postquam communibus infecti vitiis Campani et Pœni perierunt; Pœni quidem luxu, Campani fastu: tunc illa potens Capua sic cecidit, ut nunc vix octava. Hacte-

[redacted]

nus enim sententia continens et uno ductu legenda. 'Campana superbia' proverbio innotuit. *Lipsius.*

Corruerent Pœni, luxu Campania fasto] Præclare Lipsius: *Pœni luxu, Campania fastu.* Nihil certius: sed infeliciter idem, *Corruerunt.* Respuit enim id continens oratio. Campanos ait Romam petivisse bello, et Hannibalis specie pacis servitutem subisse. Quo eventu? nempe hoc, ut brevi post, *in occasum vitiis communibus acti Corruerent Pœni luxu, Campania fastu:* τὸ *ut* non sinit mutari τὸ *corruerent.* Gronovius.

Corruerent Pœni] Lege: *Corruerunt Pœni.* Postquam Pœnorum vis fracta est et soluta luxu. *Corruerunt,* ut 'steterunt,' Virgil. 'Obstupui, steteruntque comæ.' Multa alia congessit Nicol. Heinsius ad Heroid. Epist. VII. vs. 166. *Grævius.*

Corruerunt Pœni] Intricata distinctio fecerat sensum obscuriorem: quo nodo sublato, solutove, nihil superfuturum spero, quod lectorem morari possit: τελείᾳ igitur ὑποστιγμῇ post *fastu* sublata, conjunge cum sequentibus non interrupta constructione, nisi quod ille versus: 'Heu numquam stabili,' &c. parenthesi includendus est. De luxu vero Pœnorum in Campania vid. Silium Italicum lib. x.

17 *Comere quæ*] Quæ potuit Romæ par esse, et eodem gradu consistere. Lucius Annæus Seneca libro primo breviarii rerum Romanarum scribit, Capuam quondam inter tres maximas urbes, Romam, Carthaginemque fuisse numeratam. *Vinetus.*

18 *Pone*] Post Romam primam, vix octavo loco digna Capua. *Idem.*

No. 291. 1 *Non erat iste locus*] Nonam te non celebrassem, nisi accessisset meritum ex ultione cædis Gratiani Augusti, discipuli mei. AQUILEIAM Plinius libro tertio Venetiæ attribuit, decimæ regioni Italiæ, a mari Adriatico duodecim millia passuum distantem. Strabo vero libro quincto extra Venetiæ fines ponit: ad quam adverso flumine navibus onerariis per fluvium Natisonem ab Adriatico mari navigetur. *Vinetus.*

Non erat iste locus] Mirari se dicit Jacob. Gothofredus in Not. ad Auctorem Exegesios, quod cum Mediolano septimum locum adsignaverit Ausonius, nonum Aquileiæ tribuat; et quasi ex merito recenti: utpote quæ jam fuerit Italiæ sic proprie dictæ metropolis, et apud Exegeten hunc, nec non Vopiscum in Floriano ante Mediolanum commemorata.

3 *Itala ad Illyricos*] Supra hanc Venetiæ et Adriatici maris partem, sunt Illyrii populus. Deducta autem fuit Aquileia colonia Latina ad annum ab Urbe condita quingentesimum et septuagesimum tertium, ut ex Tito Livio libro tricesimo nono, et quadragesimo, cognosces, et ex Paterculo Velleio. *Vinetus.*

6 *Solverit exacti*] Rectius, *Solveret.* Maximus enim (quem Ausonius, desiderio peremti Gratiani, Britannicum latronem vocat, atque exsecratur) vir fuit, ut in historiis relatum est, strenuus et probus, atque Augusto dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset. In Britannia ab exercitu Imperator creatus in Galliam transiit. Ubi Gratianum subita emersione perterritum, atque in Italiam transire meditantem, dolis circumventum interfecit. Fratremque Valentinianum Aug. Italia expulit. Qui in Orientem confugiens, a Theodosio susceptus, imperio mox restitutus est. Aquileiæ tum Maximus victoriæ suæ spectator insederat, cum Theodosius Alpes transgressus, atque Aquileiam improvisus adveniens, hostem illum jam immanissimis etiam formidatum, clausit, cepit, occidit. Hujus facti memoriam longa etiam elocutione tractavit Latinus Pacatus Drepanius in Panegyrico ad Theodosium. Cujus

[redacted]

etiam illa sunt, quæ Ausonii locum hunc aperiant: 'An sustinere,' inquit, 'te coram et solum oculorum tuorum ferre conjectum ille quondam domus tuæ negligentissimus vernula mensularumque servilium statarius lixa potuisset?' Factum præterea eventu memorabili, ut Imperatores duos reip. Rom. hostes pariter judicatos, ac fere cognomines, Maximum videlicet hunc, et Maximinum Maximini patrem, clara urbs Aquileia, publica omnium lætitia, punierit. Cujus illa etiam in Maximini senioris cædem fides celebratur, quod cum ad intendendos arcus nervi defecissent, e mulierum crinibus confecti funes sint. Cui simile facinus olim urbe a Gallis occupata, obsessisque in Capitolio civibus, matronarum decus auxit. Unde etiam Calvæ Veneris simulacrum. *Accursius.*

Cui justa piacula bello] Alii: *cui sera p. lustro.* Tyrannidis suæ anno quincto Maximus, auctore Prospero, pœnas sui sceleris luit, tertio ab Aquileia lapide captus, indumentis regiis spoliatus, et capite damnatus. *Vinetus.*

Solveret exacto cui justa] Malim cum veterrimo Vossiano, *cui sera piacula.* Illane *sera*, inquies, quæ exacto tantum quinquennio? imo sane: nam mox punitum tantum scelus esse oportuerat, nec in totum lustrum pœnam fuisse dilatam. De morte Gratiani consulendi sunt illius et seqq. ætatum scriptores, Latinus Pacatus, Hieronymus, Augustinus de Civ. Dei, Nicephorus, Cedrenus, &c.

7 *Maximus*] Clemens Maximus in Sulpicii Severi Aquitani chronicis. *Vinet.*

9 *Rutupinum*] Britannum: ut 'Rutupina littora,' Britannica, libro sexto Pharsaliæ Lucani, et 'tellus Rutupina' in septimo Carmine Parentalium, ac 'Rutupinus ager' in duodevicesimo, a Rutupiis Cantiorum Britanniæ insulæ gentis civitate: cujus meminit Ptolemæus, libro secundo Geographiæ et Ammianus Marcellinus aliquot locis. *Idem.*

Latronem] Maximum. Hic quum in Britannia tyrannidem arripuisset, et in Galliam cum ingentibus transiisset copiis, Gratianum Imperatorem, Ausonii discipulum, Merobaudis magistri militum proditione, apud Parisios superavit: et in Italiam fugientem, Lugduni cepit, anno Christi trecentesimo octogesimo septimo. Postea quum se Aquileiam recepisset, a Valentiniano et Theodosio Imperatoribus illic exstinctus est, anno Christi trecentesimo et nonagesimo primo. Aurelius Victor, Sulpitius Severus in Vita Martini Turonensis Episcopi, Prosper, Beda, Paulus Diaconus, Drepanius Pacatus Panegyrico, quem Theodosio Augusto Romæ post sumptas de latrone pœnas dixit. Annos autem vix sexaginta postea stetit Aquileia, quam hæc de illa cecinisset Ausonius. Munitissimum enim oppidum tres annos obsedit, cepit, delevitque Attila ille immanis Hunnus, anno Christi quadringentesimo et quinquagesimo quarto: nec ex eo est a quoquam reparatum. *Idem.*

No. 292 *Arelas*] Quæ fuerat Inscriptio *De Arelatensi urbe*, alia mox facta est, quæ circumfertur, *De Vienna.* Magno errore, et qui vicinis inter se duabus urbibus Galliarum florentissimis dissidii bellorumque causa impia esse possit. Dum laudis sibi altera præconium vendicare, altera tueri studebit. Quod si de Vienna intellectum hic existimaverint, cum opulentissimam fuisse eam Mela quoque scripserit, quodque constet, hodie flumen Rhodanum non mediam intercidere Arelatem, sed prope fluere; meminerint, tantundem fere a Vienna procul delabi, et Strabonem tradere, oppidum emporiumque non parvum Arelatem. Ea enim est apud Ausonium 'Arelas,'

[redacted]

quæ a vernaculis *Arles* dicitur; 'Arelate' a Pomponio, Strabone, Plinio, Tranquillo, Marcellino; 'Arelatum' a Ptolemæo. Ab Antonino utrumque, nisi mendum sit in codd. Aut igitur emendari convenit, *De Arelatensi urbe:* nam ab Arelate 'Arelatensis' fit etiam Symmacho, ac Sidonio, sed et Plinio: vel (quod placet magis) simpliciter, *De Arelate.* Quo tenore cæteras Catalogi ejus omnes inscripsit. Et ut probationis tota semel ambiguitas tollatur, in Epistola ad Paulinum idem prorsus de Arelate invenient, qui diligentiores corrigendis ejus locis esse velint: 'Utque duplex Arelas Alpinæ tecta Viennæ Narbonemque pari spatio sibi conserit.' Ut ne quis non posthac reformidet authori manum injicere. Pensitandum vero nonnihil et illud, quod nuper in parte codicis non aspernandæ vetustatis hæc ipsa ita legimus: *Pande duplex Arelate tuos blanda hospita portus, Gallula Roma Arelas. Quam Narbo Martius, et quam Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis.* Quibus omnis series, nutans alioqui et subagrestis antea, regitur ac mitescit. Proximeque accedit Claudii Rutilii æmulatio, Urbem Romam alloquentis: 'Pande precor gemino placatum Castore portum, Temperet æquoream dux Cytherea viam.' Ita enim ex vetusto codice legimus. Portum autem Ostiensem intelligimus, cujus immania vestigia adhuc videntur. *Accursius.*

Arelas] Theodorici regis Italiæ litteræ sunt apud Cassiodorum libro tertio, de reparatione murorum et turrium vetustarum hujus urbis. Cæsar in Commentariis belli Civilis, Ammianus, et alii Historici, Arelatem celebrarunt: quam et a propriis colonis conditam esse scribit Isidorus. *Arles* Galli hodie appellamus plurali voce. *Vinetus.*

1 *Pande, duplex Arelate*] Arelatem, Sextanorum olim, hodie Galliæ Narbonensis splendidissimum oppidum Rhodano impositum, Mamiliariam dictam fuisse, primus, quod sciam, Scaliger observavit: inde sublegerunt Ortelius, et Merula; et credidere adseveranti, quia lapidis inscripti testimonio niteretur. At hodie, cum ipsum lapidem in Grutero mihi contigisset inspicere, Scaliger, quod monstro simile est, ἐφωράθη μέγα λίαν ἀτυχήσας. Syllabam enim MA initialem vocabuli, cujus reliqua obliterata sunt in saxo, cum sequenti integra et significante vocula impertinenter connexuit, unde chimæra illa MAMILIARIA exivit. Ecce autem ipsum marmor: ... VIR. INL ... AVXILIARIS. PRÆ. PRÆTO. GALLIA .... DE ARELATE. MA .... MILIARIA. PONI S. .... M. P. I. Cujus sensus, si suppleantur lacunæ, uti supplendas esse remur, talis est: XV. Consulatu THEODOSII, qui cum a. Chr. 435. coincidit, VIR ILLVSTRIS AVXILIARIS (prænomen enim, quod detritum est, divinare nondum potui) *Præf. Præt. Galliarum* DE ARELATE MARITIMAM *usque* MILIARIA *poni sua pecunia curavit.* C. Gracchus lata lege Sempronia de viis sternendis, muniendis, reficiendis instituerat, ut lapidibus certa mensura positis notarentur milia passuum, et signa spaciorum columellis, quæ singulis miliariis statuebantur, inciderentur. Ei rei Curator viarum, cujus mentio apud Gruterum: tum quatuorviri viarum curandarum sub Impp. et in municipiis ædiles creati sunt. Ipsi Impp. magistratus, et viri illustres viis eversis et corruptis resarciendis, dimetiendis, et signandis per provincias incubuerunt. Idem studium Præfecti Prætor. Galliarum fuit, commoditatibus Provincialium miliaria ab Arelate usque ad Maritimam, quæ colonia fuit et urbs Avaticorum, Ptolem. lib. II. stagno seu fossis Marianis, opera C. Marii bello cum Cimbris et Teutonibus e Rhodano ductis, et mari

distrahatur. Neque enim ulla Provincia fructus sui facultate lætatur, ut non nisi hæc propria Arelatensis soli credatur esse fœcunditas. Quicquid enim dives Oriens, quicquid odoratus Arabs, quicquid delicatus Assyrius, quod Africa fertilis, quod speciosa Hispania, quod fecunda Gallia potest habere præclarum, ita illi exhibetur affatim, quasi sibi nascantur omnia, quæ ubique constat esse magnifica. Jam vero decursu Rodani, et Turoni recursu, necesse est, ut vicinum faciant, et pene conterminum, vel quod iste præterfluit, vel ille quod circuit. Cum ergo huic serviat civitati quicquid habet terra præcipuum: ad hanc vel navi, vel vehiculo, terra, mari, flumine deferatur quicquid singulis nascitur: quomodo non multum Galliæ nostræ præstitum credant, cum in eadem civitate præcipiamus esse conventum, in qua divino quodam munere commoditatum, et commerciorum opportunitas tanta præstatur? Siquidem hoc rationabili plane, probatoque consilio jam et vir illustris Petronius observari debere præceperit. Quod interpolatum vel injuria temporum, vel desidia Tyrannorum, reparari solita prudentiæ nostræ auctoritate decernimus, Agricola parens charissime atque amantissime. Unde et illustris magnificentia tua et hanc præceptionem nostram, et priorem sedis suæ dispositionem per septem Provincias in perpetuo faciet custodiri: Ut ab Idib. Augusti quibuscunque mediis diebus in Idus Septemb. in Arelatensi urbe noverint Honorati, vel Possessores judices singularum Provinciarum annis singulis concilium esse servandum, ita ut de Novempopulonia, et de secunda Aquitania, quæ Provinciæ longius constitutæ sunt, si eorum Judices occupatio certa detinuerit, sciant legatos juxta consuetudinem esse mittendos. Qua provisione plurimum et provincialibus nostris * nos intelligimus, utilitatisque præstare: et Arelatensis urbis, cujus fidei secundum testimonia atque suffragia Patricii parentisque nostri multa debemus, non parvum adjicere nos constat ornatum. Sciat autem magnificentia tua, quinis auri libris Judicem mulctandum esse: ternis Honoratos, vel Curiales, qui ad constitutum locum intra definitum tempus venire distulerint.' Ex hac constitutione non obscure possumus colligere, quæ Ausonius de opportunitate hujus Emporii canit his versibus: 'Per quem Romani commercia suscipis orbis, Nec cohibes, populosque alios, et mœnia ditas. Gallia queis fruitur, gremioque Aquitania lato.' De hoc Constantino, ut coactus a militibus in Britanniis susceperit imperium, et filium suum Julianum Nobilissimum declaraverit, ut missu Honorii Junioris Constantius et Gerontius eum Arelate obsederint, deque ejus exitu miserabili non pauca Olympiodorus Græcus historicus, cujus supra memini, conscripsit. Sed ea nihil ad rem. *Scaliger.*

Gallula Roma Arelas] Colonia Romana in Gallia a Tiberio Nerone patre Tiberii Augusti deducta, ut Suetonius memoriæ prodidit, Arelas, parva quædam Roma videbatur. Lepidum autem diminutivum 'Gallula:' ab eo, quod est Gallus. *Vinetus.*

Gallula Roma Arelas] In libello ab Episcopis provinciæ Viennensis Leoni Papæ anno CCCCL. oblato, 'mater omnium Galliarum' vocatur. Huc translata item sedes Præfecti Prætorio Galliarum, quæ antea Treveris fuit. Si quæ porro in provinciis præcipuæ urbes, ac Romæ magnitudine vel auctoritate similes forent, eas suæ provinciæ Romas appellabant, quum nullo alio pacto ac modo insignitius possent laudare. Sic Noster paulo ante de Capua, 'Roma altera quondam:' quo nomine illam

[redacted]

quoque Cicero ornat Philipp. XII. c. 8. uti et Cysicum Florus. De Constantinopoli pervulgatum est, eam 'Novam Romam' a Constantino dictam; et ita indigitatur in Canone III. Concil. Constantinopolitani secundi, item apud Cassiodorum de Orthographia ex Prisciano. Plura Savaro ad lib. I. Epist. XI. Sidon. Apollinaris.

3 *Alpinis opulenta Vienna colonis*] 'Quaque potentes Ædues, Alpino quaque Vienna jugo,' dixit in Carmine quarto Parentalium, qui et in Epist. vicesima quarta Alpinam appellavit Viennam. Hæc est Allobrogum metropolis, Pomponio, Plinio, Straboni, super Rodanum sita, 'juris quondam Italici,' inquit Paulus libro quinquagesimo digestorum, titulo de Censibus. Vetus nomen adhuc retinuit. *Vinetus.*

4 *Intercisa fluentis*] Inde dicta est Arelas 'duplex' etiam eidem Ausonio in extremo Mosella, et in versu octogesimo primo vicesimæ quartæ Epistolarum. Ita quondam Arelas: nunc simplex est, et longe alia facie, tota in ripa Rodani, quæ Italiam respicit, posita. Alteram partem facile crediderim a Gothis fuisse excisam. Lege Epistolam duodecimam libri septimi Epistolarum Sidonii Apollinaris. *Idem.*

6 *Per quem Romani*] Auctor Exegesios de Gallia: 'Ομοίως δ' ἔχει ἄλλην πόλιν ἐν πᾶσι αὐτῇ βοηθοῦσαν, ἥ ἐστιν ἐπὶ τῆς θαλάττης, ἣν λέγουσιν 'Αρέλατον, ἣ ἀπὸ παντὸς κόσμου ἐμπορίας λαμβάνουσα τῇ προειρημένῃ πόλει ἐκπέμπει.

No. 293 *Emerita*] Melius sequemur vulgatam lectionem, quam veterem, quæ habet *Hispalis.* Nam, Hispalim non præterfluit æquoreus amnis, sed ipsam Emeritam. Ana enim fluvius eam alluit. Hoc disertissime a Prudentio explicatur in Eulalia Virgine Martyre, his verbis: 'Nunc locus Emerita est tumulo Clara colonia Vectoniæ: Quam memorabilis amnis Ana Præterit, et viridante rapax Gurgite mœnia pulchra lavat.' Nam 'æquorei' amnes dicuntur, quorum ostia, quia in Oceanum exonerantur, æstum Oceani patiuntur. Æstuaria λιμνοθαλάττας vocat Strabo. Sic Ausonius Garumnam vocat: 'Æquoream liqui te propter, amice, Garumnam.' Itaque inde scimus quare 'æquoreum' Anam vocet: qui fluvius, ut et pueri sciunt, hodie *Guadiana* vocatur: hoc est, Flumen Ana. Nam lingua Arabica et Mauritanica flumen vocatur *Guad*, per literam *Gau*, ut pronunciant, quam alii Muhamedistæ *wau* pronunciant. Sic Bætis fluvius hodie dicitur *Guadal Kebir*: hoc est, flumen præstans, flumen magnum: quod nos certo scimus ex idiomate Arabico. Nam Mauros, qui Grammaticam linguam Arabicam colunt, cum ibi rerum potirentur, multis locis nomina de sua lingua imposuisse, nemo paulo historiæ peritior ignorat. Sic *Giballar* vocatur fretum Tartessiacum. Nam *Gibaltar* ad verbum est, Mons Tartessi. *Gibal enim Arabice*, Mons. *Tarts* Hebraice, Syriace, Arabice, Tartessus. Pœni in sacris literis ita vocantur, hoc est, Tarsis. deinde ipsi Carthaginenses: nec mirum. Pœnorum enim colonia fuit. Gades autem, et Tartessus sane omnium veterum Græcorum consilio, Tyriorum, vel Phœnicum coloniæ sunt: ubi regnavit vivax ille Regulus Argantonius, cujus meminit Ausonius noster ad Paulinum in Epistola de Philone epitropo. Et ab eo 'campi Arganthonini' dicti a Sidonio, Tartessiacus tractus. Porro Emerita dicebatur 'Augusta Emerita Vectonicæ,' ut videmus apud Prudentium. Ubi intelligendum 'Vectonicæ,' id est, civitatis. Sic ipse Ausonius in Professoribus videtur dixisse 'Augustoritum Pictonicæ.' Ubi, ut supra, intelligemus, civitatis. Nam Vectones sunt populi Lusitaniæ: in

[redacted]

quibus Emerita fuit princeps, ac matrix totius provinciæ Lusitaniæ. Coloniæ enim præter populos suos, et conditores, etiam alia nomina habent. Ut Arelate dicta est Mamiliaria. Quare, nescio. Hoc sane patet ex inscriptione pulcherrima, quæ in columna legitur Arelate, in ædibus honestissimæ Matronæ Vallensis. SALVIS. DD. NN. THEODOSIO. ET. VALENTINIANO. P. F. V. AC. TRIVM. SEMPER. AVG. XV. CONS. VIR. INL. AVXILIARIS. PRÆ. PRÆTO. GALLIA. DE ARELATE. MAMILIARIA. PONI. S. M. P. I. *Scaliger*.

Emerita] Urbs prius amplissima Emerita, oppidulum est hodie *Merida*, ad fluvium Anam qui Lusitaniam Hispaniæ partem a Bætica Hispania disterminat. Aurelius Prudentius, homo Hispanus, Ausonio non multo junior, in dactylico de Virgine Eulalia Christi Martyre: 'Nunc locus Emerita,' &c. Dio scribit libro quinquagesimo tertio, et Isidorus quinctodecimo Etymologiarum, Augustum Cæsarem, Cantabris, Asturibus, Lusitanisque subactis, veteranos in Hispania dimisisse: qui hanc urbem in Lusitania condiderint: quæ ab Augusti principis, Emeritorumque illorum nominibus, 'Augusta Emerita' sit nuncupata. Hispalis vero est, quæ nunc *Sevilia* vocitatur, una ex opulentissimis amplissimisque Hispaniæ urbibus, ad fluvium Bætim sita: quæ quos habuerit conditores, et quibus temporibus, nescio: sed Julii Cæsaris esse negant Hispalensi illi Isidoro, quæ de illa leguntur in ejusdem Cæsaris civilibus Commentariis. Coloniam ille fortasse deduxerit ex suis veteranis. Hispalim namque claram Romanorum coloniam fuisse dicit Strabo libro tertio: eamque Plinius 'coloniam Romulensem' cognominat. *Vinetus*.

1 *Jure*] Veteres membranæ *Cara* pro *Jure* scribebant, fortasse quod Ausonius in ea se Hispaniæ civitate aliquando oblectasset, et ex eo semper habuisset caram, ac dilexisset. *Idem*.

Nomen Iberum] *Hiberum* aspirabat vetus liber, ut præcipit Vibius. Ἴβηρες autem dicuntur Græcis, hoc est, Iberes, sed Latinis Hiberi, Hispani, a fluvio, cui Ἴβηρ et Hiberus nomen, qui apud Cantabros ortus, in mare exit mediterraneum. 'Nomen' autem si propria sua significatione hic accipias, Hispali Carmen conveniet magis, quam Emeritæ. Est enim non Hispanum sed Latinum vocabulum Emerita: et Hispalim, quam a palis in solo palustri suffixis cognominatam suus divinat Isidorus, purum credo Hiberum Hispanumque nomen, quod legitur apud Silium tertio, 'Hispal,' sive 'Ispal.' 'Et celebre oceano, atque alternis æstibus Hispal.' Sed exemplar idem vetus u pro o scribebat, *numen* pro *nomen*: ut conveniat cum eo, quod sequitur: 'Summittit cui tota suos Hispania fasces.' Quam urbem, cunctarum Hispaniæ civitatum principem, pro numine habeat universa Hispania, colat, observet, et ipsi cedat. *Idem*.

Nomen Hiberum] Nihil mutandum. Credebam in initio scribendum, *Numen Hiberum*: inductus in errorem vetustissimi codicis scriptura, utpote in quo *numen* pro *nomen* et vice versa *nomina* pro *numina* sexcenties inveniatur: nec non illis Ausonianæ Mosellæ versiculis: 'Insanumque ruens per saxa rotantia late In mare purpureum, dominæ tamen ante Mosellæ Numine adorato, Tarbellicus ibit Aturrus.' Sed tamen in Tolosa: 'Inter Aquitanas gentes et nomen Iberum.' Ubi liquet 'nomen' et 'gentes' idem denotare. Sic ut et hic *Emerita nomen Iberum*, id est, Hispana civitas, dicatur. Quod cum non animadvertissent librarii, pro *Emerita*, *Hispalim*, quod ipsis Hispanum nomen videbatur, cum Latinum esset Emerita, subjecerunt. Sic mox:

[redacted]

'Tectosagos paganica nomina Volcas,' id est, pagum. Item: 'Ioniæ populos et nomen Achæum,' id est, Achæos. In Epistola ad Theonem: 'Et villica nomina lini,' id est, linum. Ad Syagrium; 'Sed quo nostrates Aquitanica nomina,' id est, Aquitanos. Paullinus in citatis ab Ausonio versibus: 'Pellæa dedit qui nomina regum,' id est, Pellæos reges.

2 *Æquoreus quam præterlabitur amnis*] Et hoc de Hispali verius, quam de Emerita. Namque Bætis et Anas tametsi magni sunt, et in æquor uterque exeunt, in Oceanum nimirum Gaditanum, et quum ob alia, tum ob æstum, æquorei recte dici possunt, sicut Garumnam suam dixit Ausonius æquoream in extremo Mosella, appellatione tamen æquorei magis est dignus Bætis ad Hispalim, quam Anas ad Emeritam. Stadia namque minus quingenta, quæ sunt millia passuum sexaginta duo, et leucæ Hispanicæ quindecim, a mari per fluvium abest Hispalis, auctore Strabone libro tertio: quo spatio magna tolerat navigia Bætis. At Emerita duplo triplove abest: nec in suo amne præter mœnia sua videt æstum, sicut Hispalis in suo. *Vinetus.*

Æquoreus quam præterlabitur] Nisi prima in *Anas* corriperetur, scriberem: *æq. quam præterlabitur Anas.* Et vix mihi persuaserim, non hoc sibi permisisse Ausonium; utpote in quo idem nomen eodem modo corruptum fuerit, in Epist. ad Paulinum, ubi vetus liber: *Emeritensis Anæ, latæque fluenta Garumnæ:* pro vulgato: *Emeritæque amnes.* Quod recte observavit Heinsius in suis ad Prudentium Notis.

Æquoreus...amnis] Anas nempe, qui nunc Hispanis *Guadiana* dicitur, id est, si resolvas, vadum Anæ. Errare quippe tum Scaligerum puto, tum quotquot lexicographi vocem *Guad*, sive *Guada*, vel *Guadi*, Arabicam credunt. Nam quod ita rivum seu flumen Arabes vocent, verum quidem est, ut ex quamplurimis Hispaniæ fluminum vocabulis etiam Arabicæ linguæ minus callentibus deprehendere est, (sic *Guadalaxára*, urbs et fluvius regni Toletani, id est, flumen lapidum: *Guadarráma*, fluvius arenosus prope Madritum: *Guadalabiár*, hodie *Rio blanco*, Urbem Valentiam transiens: *Guadaxíra*, fluvius epulorum, in Estramadura, quæ veteris Bæticæ pars, &c.) non tamen origine Arabicum esse vocabulum τὸ *Guad* existimem; verum potius corruptum e Latino Vadum. Ea enim est Hispanicæ, Italicæ, Gallicæ linguarum ratio, ut literam *V*, quæ Germanis est *W*, per *Gu* scribant. Ex. gr. Vespæ, *Wespen* nostris, *Guespes* Gall. *Guespe* et *Vespe* Italice. Væ, *Wæ*, *Guay* Hisp. *Guai* Ital. *Vagina*, Ital. *Guaina*, Gall. *Gaine*, Hispan. *Vayna*, quod ad Latinam scribendi rationem proxime accedit. Ita vocabulum *Guerra* Hispani et Itali, *Guerre* Galli, ab antiqua Teutonum lingua mutuati sunt; uti ex Anglico vocabulo *a war*, id est, bellum, pugna, *didici*. Quam quidem linguam maxima sui parte Teutonicam esse nemo dubitat. Superest nobis istius significationis vestigium in voce *wargeest:* quo nomine homines litigiosos denotamus, ab antiquo *warren*, id est, pugnare: et utimur etiam nunc eo verbo, pro lites quærere, et affectare jurgia. Sic et *Guante* Hisp. *Guanto* Ital. *Gand* Gallice ab nostro *Wante*, sive chirotheca desumtum. Item *Guardar* sive *Huardar* Hispan. *Guardar* Italice, *Garder* Gall. ab antiquo *wahren:* cujus etymologiæ index est vox Hispanica *Guardabosques*, tutela sylvarum, a Teutonico *Boschwahrer*. Nec non *Guindar* Hisp. *Guinder* Gall. a nostro *winden*, *auffwinden*, levare in altum funibus, vel quo alio instrumento. Item *Guisa* Ital. *Guise* Gall. a nostro *wiise*, Germ. *weise: Guiderdone*, Ital. *Guerdon* Gall. remunera-

[redacted]

tio, vox ibrida e Latino 'donum,' et Germanico *wieder*, id est, rursus. Item *Guilielmo*, *Guillaume* a Teutonico *Will-haym*, *Willem*. Et ne longius, quam par est, exspatiemur, si *Guad* origine Arabicum est, etiam Italorum *Guado*, et Gallorum *Gué* ab Arabica lingua defluxisse censenda sunt: quemadmodum et Germanorum, Belgarumque *Wade*, sive (ut nostri Latina plerumque in unam syllabam contrahere solent, seu per crasin, seu per apocopen) *Waey*: unde *durchwaden*, *doorwaeyen*, transire flumen vado. Illud tantum videtur obstare, quod vadum, *guado*, *gué*, *wade*, non fluvium, sed transitum fluvii significet. Verum id inter Barbaros facile accidere potuit, ut veram significationem hujusce vocis aliquantum depravaverint. Verisimilius præterea est, Arabas suum *Guad* ab Hispanis, quam Hispanos ab Arabibus accepisse. Quum enim in initio, sua, id est, vetere Hispanica lingua uterentur, quam etiam nunc Cantabri, hodie *los Bizcainos*, sive *Vizcainos*, retinere creduntur; postquam deinceps in Romana jura concesserunt, Romana ut plurimum lingua loquuti sunt: atque hinc in eorum sermone 'vadum.' Sed Romanam linguam mirum in modum cum in Hispania, tum in Gallia, et ipsa Italia Barbari Gothi corruperunt. Pulsis tandem Gothis successere Arabes, et quidquid porro incorruptum fuerat, invecta partim sua, partim vulgari Hispanorum lingua mutata, deformarunt: non ita tamen, ut non et ipsi aliqua alienigena adoptaverint. Ergo e Latina voce Vadum fecere Gothi *Guadum*, seu *Hwadum*, Arabes *Guad*. Nam τὸ *Gu* Gothorum veterumque Teutonum (quorum linguæ dialecto tantum differebant, reapse vero unius erant originis) adspiratio est, sed per *Hw* prolata: quæ scribendi consuetudo cum ex antiquæ Gothorum linguæ reliquiis, tum e permultis Suecorum vocabulis animadvertitur, ut ex. gr. *Hwilken*, *hwarfore*, *hwisa*, *hwart*, &c. Sed et ipsa pronuntiatio, ut olim, quum in Suecia peregrinarer, quotidie audivi, ex ipsis pæne faucibus deducta multas literas aspirat, quæ tamen in scribendo adspirationis nota carent. Quod Anglis item familiare: unde hisce nulli perfectius aut discunt aut pronuntiant Suecicam linguam, aut Suecis Anglicam. Quin imo quam ad adspirandas literas propensi fuerint ex annalibus antiquis patet, in quis etiam *Hlotharius*, *Hludovicus*, pro *Lotharius*, *Ludovicus* legitur. Et sunt penes me nummi argentei antiqui idem testantes. Sed ut hæc magis adhuc confirmentur, quæ dixi; ipsa varietas scribendi apud Hispanos evincit τὸ *Gu* aspirationem esse. Pro eo enim tam *Hu*, quam *F*, quod Æolicum Digamma est, indiscriminatim ponunt: adduntque Latinis etiam a vocali incipientibus. Ut *Guebo*, *huevo*, ovum: *Huero*, *Guero*, *Fuero*, foras: *Guesso*, *huesso*, os ossis: *Huerfano*, *Guerfano*, orphanus, ὀρφανός: *Guarnecimiento* Hisp. *Guarnimento* Ital. *Garniment* Gall. ornamentum. *Huerco*, orcus: *Guarismo*, arithmetica; quod itidem ad Arabismum male refertur, quum sit Græcum ἀριθμός. Atque hæc hactenus.

4 *Corduba non*] Una ex Bæticæ Hispaniæ clarissimis urbibus est Corduba Pomponio Melæ, et Ptolemæo. Cæsar 'provinciæ caput' appellat. Strabo 'Marcelli opus.' Plinius 'Patriciam coloniam.' Martialis libri primi Epigrammate undetricesimo, duorum Senecarum, et unius Lucani patriam. *Cordova* suis hodie vocatur. *Vinetus*.

5 *Quaque sinu*] O quam dudum seges est, ubi Troja fuit! Everterunt et hanc cum Emerita barbari. *Braga* hodie Portogallis nuncupatur, parva urbs, in magnæ illius Bracaræ suburbio exstructa. Ad cujus par-

[redacted]

ædicula, quam diximus, extra urbem, lapis inscriptus: cujus inscriptionis hanc solum postremam partem excerpsimus, quum totam legere nequiremus: CIVES. ROMANI. QVI. NEGOTIANTVR. BRACAR. AVGVST. *Idem.*

No. 294. 1 *Nunc et terrigenis memoremus*] Legitur et *Trojugenis.* Quæ prior lectio, sed altera, non sine quadam gratiola, remotior; sive ad Romanos, sive ad Athenienses referatur. Constat enim Romanos a Trojanis, unde genus duxerint, Trojugenas nuncupatos. Uti vel a Juvenale non semel dicitur, et Silio, qui etiam nunc 'Dardanios,' nunc 'Laomedontiadas,' et 'Teucros,' et 'Trojanos' appellat. Sed quod ad 'Terrigenas' attinet, Livius libro primo sic ait: 'Ne vana urbis magnitudo esset, adjiciendæ multitudinis causa (veteri consilio condentium urbes, qui obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem, natam e terra sibi prolem mentiebantur) locum, qui nunc septus densis sentibus, inter duos lucos est, asylum aperit. Eo ex finitimis populis turba omnis, sine discrimine liber an servus esset, avida novarum rerum perfugit. Idque primum ad cœptam magnitudinem roboris fuit.' Hinc et a Floro dictum videtur in primo bello Punico: 'Ille rudis, ille pastorius populus, vereque terrester.' Neque etiam sum nescius, terræ filios haberi solitos ignobiles; et quorum origo nesciretur. In quam tamen sententiam dictum ab Ovidio non putaverim, quod alii tradidere, 'Juppiter e terra genitam mentitur, ut author Desinat inquiri.' Neque enim par erat, Jovem ipsum ignorare, quibus Iö parentibus orta foret. Quin eam terræ prorsus genuinam credi a morosa, importuna, atque incommoda Junone voluit; ut omnem, si fieri posset, ulterius garriendi obtundendique materiam perscrutaturæ, præ zelotypia muliebrique ingenio, etiam quæ Mundus ipse non capiat, præcideret. Si quis autem, 'Terrigenis patribus,' in Atheniensium gratiam, interpretandum putet, (quod minus satis facit,) præsto sunt Plato in Menexeno, Lucianus in Philopseude, Just. lib. II. Censorinus de Natali Die, Apulei. in Metamor. Josephus de Antiq. terram enim Atticam hominem primo genuisse commenti sunt, neque ex adventitia passimque collecta populi colluvie, sed terrigenas Athenienses esse, eosque Autochthonas vocitari: in cujus originis argumentum, patria consuetudine, cicadas in seriem aureas capite gestabant. Quod et Thucydid. tetigit inter operis initia et Virg. quoque in Ciri: 'Ritu Mopsopio tereti nectebat dente cicadæ.' Id autem insectorum genus quomodo e terra proveniat, præter Aristotelem Plato transeunter breviterque in Symposio indicat. 'In terram,' inquit, 'spargentes semina, cicadarum instar, concipiebant atque generabant.' *Accursius.*

Terrigenis patribus] Conditoribus terræ filiis. Cecrops enim Vulcani et Terræ filius, auctore Hygino, oppidum Cecropiam condidit: quæ Athenarum tandem arx tantum fuit, ut scribit Plinius libro septimo. Hic tamen adeo variant auctores, ut affirmare non dubitem, eos prorsus ignorasse, quinam primi Athenarum conditores fuerunt. *Vinetus.*

Nunc et terrigenis] Mallet Turnebus, *Nunc e terrigenis.* Sed mutare non opus est. Quin potius Corn. Nepos glossa liberetur in Attici Vita: 'Pomponius Atticus ab origine ultima stirpis Romanæ generatus:' dele cum Lambino, τὸ *generatus,* quod doctiss. viros tam frustra exercuit. Erat Atticus stirpis Romanæ ab origine ultima, id est, ab ipso gentis primordio e Romanis oriundus erat. Eadem, elliptica nempe, constructio est, de qua caput est singulare Gellii, octavum libri V.

[redacted]

Terrigenis] Clemens Alexandrinus l. II. Pædagog. c. x. Ἀθηναίων δ' ἔμπαλιν οἱ ἄρχοντες, οἱ τὸ ἀστικὸν πολίτευμα ἐζηλωκότες, ἐκλαθόμενοι τῆς ἀνδρονίτιδος ἐχρυσοφόρουν, ποδήρεις χιτῶνας ἐνδυόμενοι, καὶ ποδήρεις ἠμπίσχοντο. καὶ κρώβυλον, ὃ ἐμπλοκῆς ἐστιν εἶδος, ἀνεδοῦντο χρυσοῦν, ἐνέρσει τεττίγων κοσμούμενοι. τὸ Γηγενὲς ὡς ἀληθῶς ἀπειροκαλίᾳ τῆς κιναιδίας ἐκδεικνύμενοι. Quem locum idcirco adduxi, quod mihi vestis nomen post ἠμπίσχοντο excidisse, et interpres non satis perspicue τὸ Γηγενὲς expressisse videbatur. πέπλους, unde Ionas ab Homero ἑλκεσιπέπλους appellatos ait, aut simile quid reponi poterit. Quare vero Γηγενεῖς dicti sint, nemo ferme ignorat; et si quis nesciat, Scholiastes inter cæteros Lycophronis docebit, qui varias hujus cognominis rationes adfert. Inde et Δῆμος Ἀθηναίων παλαίχθων dicitur in Epigrammate, quod honori Thrasybuli ab Atheniensibus inscriptum Æschines citat Orat. in Ctesiphontem. Et Praxithea apud Euripidem libenter sese filiam pro salute Urbis immolandam exhibere dicit, ὅτι πρῶτα μὲν πόλιν Οὐκ ἄν τιν' ἄλλην τῆσδε βελτίω λαβεῖν· Ἡι πρῶτα μὲν λεὼς οὐκ ἐπακτὸς ἄλλοθεν, Αὐτόχθονες δ' ἔφυμεν.

2 *Pallados et Cossi*] Nonnulli Codices, insigniori mendæ indole, habent, *Cossi*. Scribo *Consi:* hoc est, Neptuni. Nota est Neptuni ac Minervæ contentio, uter eorum Athenis imponendi nominis author fieret. Tum Consum, cujus sint solennes ludi Hippocratia, nostris vero Consualia vocati, consiliorum exstitisse Deum, Pompeius Serviusque asserunt: et eundem esse cum Equestri, sive Equite Neptuno, plures arbitrantur. Fuere autem et qui diversum hunc Equestrem a marino Jovis fratre suspicari non desierint. Sed Diodorus inter cætera asseverat, Neptunum primum ea, quæ ad navigandum pertinent, invenisse, a Saturno hujusmodi rebus præfectum: et primum equum domuisse, ac præcepta equestris artis præbuisse; ex eoque Hippium appellatum. Autoritatem quorum fidemque secutus Ausonius, etiam in Monosyllabis dixit: 'Tum Jovis et Consi germanus tartareus Dis.' Atque alibi: 'Cænea convertit proles Saturnia Consus.' Eum ubique Consum nominans, quem equorum domitorem, et marinum pariter agnoscebat. *Accursius.*

Pallados et Consi] Minervæ et Neptuni. Fabula autem sic habet. Conditis Athenis, quum Neptunus et Minerva, quæ Græcis Pallas, de illarum nomine contenderent, 'placuit Diis, ut ejus nomine civitas appellaretur, qui munus melius mortalibus obtulisset. Tunc Neptunus, percusso littore, equum, animal bellis aptum, produxit: Minerva, jacta hasta, olivam creavit: quæ res est melior comprobata, ut pacis insigne.' Ita Servius in librum primum Georgicon. Hyginus paulo aliter, et Aurelius Augustinus octavodecimo de Civitate Dei. A Minerva *itaque dictæ Athenæ.* Olivam autem fuisse sacram Minervæ, et primum visam ab Atthide, Herodotus, Plinius, Hyginus, ac alii multi tradunt. *Vinetus.*

4 *Attica facundæ*] Inter reliquos Græciæ populos, facundia, lepos quidam, et festivitas quasi vernacula, ac peculiaris adest Atticis. In Attica autem seu Atthide sunt Athenæ. Vide in Erasmi Chiliadibus proverbia 'Atticus lepos,' 'Attica eloquentia,' 'Attica Musa.' *Idem.*

5 *Unde per Ioniæ populos*] Ion et Achæus, a quibus Iones et Achæi populi dicti, et inde Ionia et Achaia regiones, patrem habuerunt Xuthum: matrem, unam ex filiabus Erechthei, regis Athenarum. Quo pacto autem Iones et Achæi coloniæ sint Atheniensium, quas insulas occuparint, urbesque condiderint, docebunt cum Herodotus, et Marcellinus, tum Stra-

[redacted]

bro in extremo libro octavo, Velleius Paterculus libro primo, et Pausanias in principio Achaicorum, aliisque in locis. *Idem.*

6 *Versaque*] Valde metuo, ne quid huic loco acciderit. Habent perpauca exemplaria particulam *que*; quam si deleveris, *sa* poterit etiam produci propter sequentem mutam cum liquida, sicut est, 'Libra, Scorpius' in Carmine de signis cælestibus, ubi etiam *que* adjecerunt imperiti, *Libraque, Scorpius:* et 'populea frons' in versu centesimo et sexagesimo Technopægnii: et, 'Jane nove primo,' in distichis de mensibus. *Idem.*

Versa Graia manus] Producitur ultima in 'Versa' propter sequentem mutam cum liquida. sic alibi: 'Libra Scorpius,' de signis cæl. *Pulmannus.*

No. 295. *Catina et Syracusæ*] Siciliæ insulæ urbes CATINA ET SYRACUSÆ, adhuc claræ exstant: quas Romulo regnante conditas volunt Eusebius, seu Hieronymus, et Cassiodorus. Catinam autem Græcos Catanam dicere, monuit Hermolaus in Plinium. *Vinetus.*

1 *Quis Catinam sileat*] Ex Strabone libro quinto, non *quadruplices* legendum videbatur, sed *quintuplices*, quod πεντάπολις olim fuerit. Diodorus tamen Historicus τετράπολιν fuisse eam scribit. Complexus porro Syracusas miracula Arethusæ fontis, et Alphei amnis, eique fonti apud urbem ipsam immiscere sese incorruptum subter tot maria delatum fluvium (quod Strabo fabulosum putat) Aristoteles in naturæ admirandis, et Mela Pomp. sunt authores. Ovid. vero v. Metam. et Maro in Ortygia. Loci, puto, vicinitas variare rem scriptoribus indulserit. Spectant enim Syracusæ insulam Ortygiam, vicinæque sunt adeo, ut ponte jungantur. Nobilem præterea filiorum in Parentes pietatem Catinæ perspectam cum Strabone quoque convenit. Qui ipsos filios, Amphinomum et Anapiam, hoc est, τὸν Ἀμφίνομον, καὶ τὸν Ἀναπίαν, nominat. Claudianus vero 'Onapium' alterum, non *Anapiam:* 'Cur non Amphinomo, cur non tibi, fortis Onapi, Æternum Siculus templa dicavit honos?' Nisi videatur emendandum *Anapi.* Ut sit tam *Anapius*, quam *Anapias.* Quomodo et apud Val. Max. libro v. reponendum arbitror. 'Notiora sunt,' inquit, 'fratrum paria, Cleobis et Biton, Amphinomus et Anapus.' Aristoteles fuisse quosdam senes, tradidit, eosque vel adolescentes, vel civitatem ipsam nomine explicat. Silius urbem tantum: 'Tum Catinæ nimium ardenti vicina Typhœo, Et generasse pios quondam celeberrima fratres.' Virgilius, quo opusculo Ætnam canit, hanc eandem, quantum video, historiam inseruit, sed civitatis nomen tacuit, alterumque tantum filiorum, sed Amphionem nominat: 'Amphion fraterque pari sub munere fortes.' Cum sit ut opinor legendum: *Amphinomus fraterque pari sub munere fortes.* paucis literis ob nominis similitudinem interceptis, unde multiplex interpretum hallucinatio. *Accurs.*

Quadruplices Syracusas] Cicero actione sexta in Verrem auctor est, Syracusas constitisse ex quatuor urbibus maximis: quarum una, Insula diceretur, in qua fons Arethusa: altera, Achradina: tertia, Tyche: quarta Neapolis. Florus seu Annæus Seneca libro secundo, triplicem murum Syracusis tribuit. De ea urbe Livius non pauca, ut lib. tricesimoquincto: ubi eam cepit Marcellus. *Vinetus.*

2 *Hanc*] Catinam. Scribit autem Solinus, inter Catinam et Syracusas certamen esse de horum fratrum memoria: 'Quorum,' inquit, 'nomina sibi diversæ partes adoptant. Si Catinenses audiamus, Anapis fuit, et Amphinomus: si, quod malunt

[redacted]

Syracusæ, Æmathiam putabimus, et Critonem. Catinensis tamen regio causam dedit facto: in quam se quum incendia Ætnæ protulissent, juvenes duo sublatos parentes evexerunt inter flammas illæsi ignibus. Horum memoriam ita posteritas munerata est, ut sepulchri locus nominaretur Campus piorum.' Hæc ille. Refertur miraculum hoc in eo libro, qui Aristoteli inscribitur περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, et in libro sexto Geographiæ Strabonis. Est quoque Claudiano hoc memoratum in elegia, cui titulus, 'De piis fratribus,' et Severo in Ætna, Valer. Max. lib. v. c. iv. Æliano, Martiali, Pausaniæ in Phocicis. *Idem.*

Hanc ambustorum] Narrant præterea historiam, aut meminerunt, Apuleius de Mundo, D. Augustinus lib. iii. Civ. Dei, cap. xxxi. Photius ex Procopio p. 144. et 449. Lycurgus in Orat. p. 159.

3 *Illam*] Syracusas. Hoc miraculum Geographorum nemo non retulit: notique sunt ex poëtis Arethusæ et Alphei amores. Nam in Syracusarum Insula, ut modo dictum est, fons est Arethusa: in quo visuntur jacta in Alpheum amnem Peloponnesiaco litori infusum: unde ille creditur non se consociare pelago, sed subter maria terrasque depressus, in Siciliam agere alveum, atque illic se rursus extollere: ubi Arethusæ nomen accipit. *Vinetus.*

4 *Quam maris*] An consociare urbem dici possint fons et amnis, qui prope urbem sibi miscentur junguntur que, merito ambigam.

No. 296. *Tolosam*] Tectosagorum urbem, inter Cemmenum et Pyrenæum, Galliæ Narbonensi attribuunt Cæsar, Pomponius Mela, Marcellinus, et alii. Antiquissima clarissimaque urbs, nomen priscum adhuc retinuit. Plurima de Tolosa tradiderunt Strabo libro quarto, et Justinus tricesimo secundo: quorum hodie paucissima cognoscas. *Vinetus.*

1 *Altricem nostri*] Vide, quæ scripsimus in tertium Carmen Parentalium de Æmilio Arborio. *Idem.*

2 *Coctilibus muris*] Ex cocto latere factis, quales Babylonis Ovidio libro quarto Metamorphoseon, et Diodoro Siculo, lapidum silicumque inopia. *Idem.*

Ambitus ingens] Et nunc ille ingens. Paucas enim habent nostræ Galliæ urbes Tolosa majores: attamen quoniam ipsa cum alias, tum Albigensis dogmatis tempestate, multa et gravia tulit, non est mihi dubium, quin longe major, et opulentior fuerit, quo tempore hæc scribebat Ausonius: qui et eam ipsam quintuplicem appellat in Epistola ad Paulinum, quasi quæ ex quinque urbibus constaret: qua ratione Syracusas esse quadruplices dictas, modo ostendimus. *Idem.*

5 *Ninguida Pyrenes*] 'Ninguida Pyrenæi,' in epistola vicesima tertia ad Paulinum. Nam Pyrene, unde est genitivus Græcus Pyrenes, et Pyrenæus, et *Pyrenæi, inveniuntur* pro eodem apud Titum Livium, et alios Latinos: sed ut Pyrenæus frequenter, ita Pyrenæi raro sine adjectione. Mons est, qui Hispaniam Galliamque disterminat, promuntoriis in duo diversa maria projectis, id est, Oceanum, et Mediterraneum, quod et internum Latinis appellatur. 'Pyrenes' nomen quia ab igne, qui Græcis πῦρ dicitur, factum videri potest, memoriæ prodiderunt, ut Diodorus Sicul. vi. lib. igne a pastoribus forte injecto, totam eam regionem montanam, ubi plurimæ silvæ, continuis aliquot annis deflagrasse, et inde montem Pyrenæum cognominatum. Aliis placet ἀπὸ τοῦ πυρὸς quidem nomen factum, sed alia ratione. Aut enim, quod tempestatum tempore, quæ illic frequentes, cælestibus illis ignibus totus mons diu ardere videatur: aut quod montis innumera juga in

[redacted]

flammæ formam cœlum versus altissima ferantur. Nonnulli item (ex his est Silius poëta Hisp. lib. III.) montem nominatum a Pyrene volunt, Bebrycis cujusdam filia, qui horum locorum rex fuit: ad quem divertit Hercules, quum Hispaniam peteret: et Pyrenen compressit. Quæ quum post Herculis discessum serpentem peperisset, 'patrias exhorruit iras,' et confestim sola profugit in saltum. Ubi reversus Hercules diu quæsitam, quam erat ducturus, a feris laniatam invenit, deflet, sepelit: nomenque inde monti. At hæc fabulosa Plinius judicavit III. Natural. Hist. *Idem.*

Cæbennarum] Pauca sunt montium nomina, quæ non utroque numero usurpata reperiantur. Unus enim mons, quum in multa juga assurgit, et in multa quasi membra diffunditur, multi montes esse videntur. Gebenna ergo et Gebennæ idem. Quod nomen quia C pro G habebat in vetusto Lugdunensi codice, et 'Cemmenum,' id est, Κέμμενον Strabonis, Ptolemæi, et aliorum Græca appellant, librarios nostros corrupisse facile crediderim: et *Cebennam, Cebennas, Cebennicosque* montes apud Cæsarem, Melam, Lucanum, Plinium, et alios scribi debere. Ad hæc quum in hoc spondaico versu prima 'Cebennarum' syllaba producatur, quæ in Carm. de Narbone, et apud Lucanum corripitur, hæc quoque observasse in eodem codice non tacebimus, hoc loco, ubi ea longa est, diphthongorum primam esse *æ*, sequenti vero Carmine, ubi brevis est, solam subjunctivam *e* vocalem. *Idem.*

6 *Quæ modo quadruplices*] Quæ sint hæ quattuor Tolosatium coloniæ, nemini nunc compertum esse arbitror. Sed nec satis video, quæ sit 'quintuplex Tolosa,' in versu 83. Epist. Ausonii XXIV. Hæc enim urbs, quæ nostris temporibus una est ex maximis Galliæ civitatibus, multo amplior quondam fuit. Et ut in unis Syracusis quattuor quondam fuerunt magnæ urbes, ut modo ostendimus, unde Ausonius 'quadruplices Syracusas' appellavit, sic una Tolosa quinque urbes potest esse complexa: quare Ausonius quincuplicem appellarit. Tolosam vero appellat coloniam Ptolemæus. Sed quando et abs quo deducta, et qui coloni fuerint, id non memini legisse. *Idem.*

No. 297. 1 *Nec tu Martie Narbo*] Ita quædam urbium nomina terminata apud Latinos, et in *ων* apud Græcos, genere masculino usurpata inveniuntur. Polybius libro tertio: μεταξὺ τοῦ τε Ταναΐδος ποταμοῦ, καὶ τοῦ Νάρβωνος. Dio tricesimo octavo: τὸν δὲ δὴ Οὐισοντίωνα τὴν τῶν Σηκουανῶν πόλιν. Sic Ovidio patria sua Sulmo 'gelidis uberrimus undis' dicitur. Sic Ἱππὼν βασιλικὸς et Ἱππὼν διάῤῥυτος Ptolemæi et aliorum Græcorum, sunt 'Hippo regius,' et 'Hippo diarrhytus,' Tito Livio, Pomponio Melæ, et aliis Latinis. Martialis tamen in Epigrammate septuagesimo primo libri octavi, Narbonem quoque etiam feminino genere protulit. Dictus est autem hic Narbo, Narbona quoque quondam, inflexione prima, et genere feminino, uti apud Suetonium, Eutropium, Marcellinum, legimus. Dictus et Νάρβων, Ναρβωνησία quoque Græcis, vel Stephano auctore. Quem dicit Isidorus libro quinctodecimo etymologiarum a propriis colonis conditum fuisse. Narbonem autem non semel coloniam a Romanis deductam fuisse comperimus. Deduxit primus post domitos a Longinis, Domitiis, et Fabiis Gallos Transalpinos Lucius Licinius Crassus orator, quum adhuc esset adolescens, ut meminit Cicero in libro de Claris oratoribus, Lucio Porcio Catone, Quincto Marcio Rege Consulibus: quemadmodum Paterculus et Eutropius scribunt: quem putamus annum

[redacted]

sexcentesimum et tricesimum sextum ab Roma condita, et centesimum et quinctumdecimum ante Christum natum. Abs qua prima deductione, non dubito, quin Narbo sit Martius cognominatus: quamvis id cognomentum unde invenerit, compertum non habeam. Cicero pro Fonteio: 'Est in eadem provincia Narbo Martius, colonia nostrorum civium, specula populi Romani, ac propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum et objectum.' Mela libro secundo: 'Sed antestat omnes Atacinorum, Decumanorumque colonia: unde olim iis terris auxilium, nunc et nomen et decus est, Martius Narbo.' A Martia legione 'Martium Narbonem' appellatum potius existimaverim. Sic ut quæ decima numerabatur inter Romanas legiones, Martia etiam fortasse cognominata quondam fuerit: ex cujus veteranis, et Narbonensibus civibus composita colonia, Narbo Martius sit dictus. Deductam vero iterum Narbonem coloniam Caio Julio Cæsare Dictatore, Suetonius Tranquillus in rebus Tiberii Augusti scribit: deduxisseque patrem ipsius Tiberii Tiberium Claudium Neronem. Quod fuit ante Christum natum non plus quadraginta tribus annis. Post quæ tempora invenio non tantum Martium, verum etiam coloniam Juliam Paternam, Narbonem esse nuncupatum. Anno namque a Christo nato millesimo quingentesimo et sexagesimo sexto in eodem ipso Narbone effossum est marmor: in quo hæc insculpta erant. Quæ simul atque in manus Narbonensium antiquitatis studiosorum pervenerunt, ad me Tolosa Burdigalam misit scite descripta vir amicissimus Franciscus Roaldes, idemque juris Professor doctissimus. 'Tito Statilio Tauro, Lucio Cassio Longino Consulibus, decimo Calendas Octobres, numini Augusti votum susceptum a plebe Narbonensium in perpetuum. Quod bonum, faustum, felixque sit Imperatori Cæsari Divi filio, Augusto, Patri patriæ, Pontifici Maximo, Tribunicia potestate tricesimum quartum, conjugi, liberis, gentique ejus, Senatui, populoque Romano, et colonis, incolisque coloniæ Juliæ Paternæ Narbonis Marcii, qui se numini ejus in perpetuum colendo obligaverunt, plebs Narbonensium aram Narbone in foro posuit: ad quam quotannis nono Calendas Octobres, qua die eum sæculi felicitas orbi terrarum rectorem edidit, tres equites Romani a plebe, et tres libertini, hostias singulas immolent: et colonis, et incolis, ad supplicandum numini ejus, thus, et vinum de suo, ea die præstent. Et octavo Calendas Octobres, thus, vinum, colonis et incolis item præstent. Calendis quoque Januariis thus et vinum colonis et incolis præstent. Septimo quoque Idus Januarias, qua die, primum, imperium orbis terrarum auspicatus est, thure, vino supplicent. Et hostias singulas immolent. Et colonis incolisque, thus, vinum ea *die præstent. Et* pridie Calendas Junias, quod ea die Tito Statilio Tauro, Marco Æmilio Lepido Consulibus, judicia plebis decurionibus conjunxit, hostias singulas immolent: et thus et vinum ad supplicandum numini ejus colonis et incolis præstent. Exque iis tribus equitibus, Romanis ...... libertinis unu. ....' Ita hic paucula quædam verba effractum marmor amiserat: sed in ejus dextera facie hæc fuerunt. 'Plebs Narbonensis aram numinis Augusti dedicavit legibus iis, quæ infra scriptæ sunt. Numen Cæsaris Augusti patris patriæ, quando tibi hodie hanc aram dabo, dedicaboque, his legibus, hisque regionibus dabo dedicaboque, quas hic hodie palam dixero, Uti infimum solum hujusque aræ, titulorumque est, siquis tergere, ornare, reficere volet, quod beneficii causa fiat, jus fasque esto. Sive quis

[redacted]

hostia sacrum faxit, qui magmentum nec protollat, idcirco tamen probe factum esto. Si quis huic aræ donum dare, augereque volet, liceto. Eademque lex ei dono esto, quæ aræ est. Ceteræ leges huic aræ, titulisque eædem sunto, quæ sunt aræ Dianæ in Aventino. Hisce legibus, hisque regionibus sic, uti dixi, hanc tibi aram pro Imperatore Cæsare Augusto, patre patriæ, Pontifice Maximo, Tribunicia potestate tricesimum quinctum, conjuge, liberis, genteque ejus, Senatu, populoque Romano, colonis, incolisque coloniæ Juliæ Paternæ Narbonis Martii, qui se numini ejus in perpetuum colendo obligaverunt, doque, dedicoque: uti sies volens propitius.' *Vinet.*

4 *Sequanis*] 'Sequani' et 'Sequana,' apud Lucanum, Martialem, et alios producitur: Ausonius in his paullo liberior esse solet: quippe qui in 'Phidia' primam, in 'Scatinia,' et 'trigono' et 'tetragono' secundas natura longas corripuerit: at contra in 'matricida' secundam natura brevem produxit in libro de Cæsaribus, nisi forte *Matriscida* scripserit pro *Matricida.* Idem.

Allobroges] Olim partes illarum tenuerunt regionum, quas nunc Sabaudiam, et Delphinatum nominamus. *Idem.*

7 *Genitore Lemano*] Hic est, qui nunc vulgo, aliis *Genevæ*, aliis *Lozanæ lacus* appellatur. Ex Alpibus, quæ supra lacum sunt Lemanum, ortus, per medium ipsum lacum quam celerrime Lugdunum contendit. Ita Rodanum non generat Lemanus: nisi forte a lacu gigni fluvium intelligas, qui lacum egrediens, aliquantam ejus aquarum vim cum suis auferat, et sic plenior, tumidiorque exeat, quam sit ingressus. *Idem.*

8 *Interiusque premunt*] Montes Cebennæ, Galliam Narbonensem ab Aquitania disterminantes, ipsam intrant Aquitaniam. Hic autem 'Aquitaniæ' secundam syllabam corripit Ausonius, quam modo producebat. *Idem.*

9 *Usque in Teutosagos*] Ita omnia Ausoniana exemplaria scribere observavimus: quos omnes Geographi, *Tectosagos*, *C* pro *U* scribunt, aliique auctores. *Id.*

Paganaque nomina Belcas] 'Belcas' seu 'Bolcas' vocat. 'nomina pagana,' hoc est, pagos, ut, 'Nomen Aquitanum,' hoc est, Aquitanos ipsos: quod habitarent per pagos, ut Helvetii: late enim patet pagi appellatio, ut et civitatis. Sic in veteribus monimentis Christianorum martyrum semper legitur, 'Pagus Velaunus,' hoc est, tota præpositura Velaunorum: et 'pagus Gabalus:' et sic de aliis: unde Gallica lingua retinuit, sed corrumpens more suo: dicit enim *pays.* Non enim pronunciat *g*, ante vocalem: ut, 'pagare,' quod ductum est a 'pacare,' *payer:* 'plaga,' *playe*, &c. Pleraque Gallia olim non solum per civitates, sed et per pagos habitabatur. Sed apud Plinium 'pagus Gessoriacus' intelligitur non de uno vico, sed de magno modo agri, atque adeo de una gente quantumvis numerosa. Nam sine dubio totus ille tractus, qui pertinet a Normannis Belgis ad Bononiam, dicebatur Gessoriacus pagus, Bononiam vero Gessoriacum dictam fuisse charta notitiæ imperii, quam Peutingerus communicavit Beato Renano, facile declarat. In ea enim, inquit Renanus, scriptum fuit, 'Gessoriaco, quod nunc Bononia.' Ne credas unquam Bononiam Gessoriacum dictum fuisse. Semper enim eam appellationem habuit: sed esse urbem seu civitatem pagi Gessoriaci. Sic possumus dicere, Bituriges Vibisci, quod nunc Burdigala: non quod Burdigala sit Bituriges Vibisci: sed quod Biturigum Vibiscorum. Sic Bononia non est Gessoriacus, sed Gessoriaci pagi. Et non est, quod aliud nomen ei attribuamus,

[redacted]

cum vetus illud sit, patet ex Ammiano, et Olympiodoro, qui scripsit historiam Honorii senioris, et Theodosii, et Honorii junioris. Is loquens de Constantino tyranno, cujus postea constitutionem producemus, ita scribit: *τὰς Βρεττανίας ἐάσας περαιοῦται ἅμα τοῖς αὐτοῦ ἐπὶ Βονωνίαν πόλιν οὕτω καλουμένην παραθαλασσίαν, καὶ πρώτην ἐν τοῖς τῶν Γαλατῶν ὅροις κειμένην.* Ea verba protuli, quia is auctor adhuc in scriniis et armariis Bibliothecarum delitescit. Quare apud Sozomenum lib. IX. loquentem de eadem re error est, *βουβονίαν* pro *βονωνίαν*. Verba sunt hæc: *περαιωθεὶς δὲ Κωνσταντῖνος, ἀπὸ Βρεττανίας ἐπὶ Βουβονίαν πόλιν τῆς Γαλατίας παρὰ θάλασσαν κειμένην, προσηγάγετο τοὺς παρὰ Γαλάταις καὶ Ἀκουιτανοῖς στρατιώτας. Scaliger.*

Primævo nomine Belgas] Sic quædam exemplaria. Alia, *pana que nomina Belgas*: alia, *paganaque nomina Belgas*: ubi legendum censuit Beatus Rhenanus libro primo rerum Germanicarum, *Germanaque nomina Belgas*: quod Cæsar in secundo belli Gallici commentario, se a Remis edoctum fuisse scribat, plerosque Belgas a Germanis ortos esse, Renumque antiquitus traductos propter loci fertilitatem ibidem consedisse: Gallosque, qui ea loca incolerent, expulisse: sed quid hoc ad Tectosages, et Narbonensis Galliæ terminos? porro membraneus codex, pro *Belgas*, *Belcas* habebat, quos apud Cæsarem, Livium, Strabonem, Trogum, Melam, Plinium, Silium, Ptolemæum, *Οὐόλκας* et *Volcas* scriptos invenio, Galliæ Narbonensis gentem: majorum Trogi Pompeii patriam, sicut ipse ait in extremo libro quadragesimo tertio: qui nunc fere *Langodochi* appellantur, inter Rodanum et Pyrenæum. In utraque quidem Rodani ripa constituit 'Volcas' Titus Livius libro vicesimo primo, sed alii omnes, quantum equidem memini, in altera tantum, ea scilicet, quæ Pyrenæum et Hispaniam spectat. Quos in duo genera distribuunt, in Tectosagos et Arecomicos. Sic enim apud Cæsarem, Strabonem, Ptolemæum illi distinguuntur: ut inepti sint Ptolemæi interpretes, qui *Volcæ et Tectosagi*, *Volcæ et Arecomici* interjecta copula scripserunt, pro *Volcæ Tectosagi*, *Volcæ Arecomici*, sine conjunctione: ut ipsa Græca recte habent: 'Tenent,' inquit Ptolemæus, 'partes Galliæ Narbonensis ad Occidentem maxime spectantes, Volcæ Tectosages, quorum urbes mediterraneæ sunt, Iliberis, Ruscino, Tolosa colonia, Cessero, Carcaso, Bætiræ, Narbo Colonia. Post hos autem usque ad Rodanum fluvium, Volcæ Aricomii, [Sic enim sunt apud Ptolemæum Volcæ Ἀρικόμιοι, qui apud Cæsarem 'Arecomici,' et Strabonem Ἀρικόμισκοι] quorum urbes mediterraneæ, Vindomagus, Nemansus colonia.' Hæc Ptolemæus, iisque non dissimilia Strabo de Volcis utrisque. Quorum prisca nomina in ore vulgi hodie non agnosco, nisi forte Volcarum, si eosdem esse *Belcas mihi* fateâris. Ea namque pars Galliæ Narbonensis, cujus princeps est Nemausus, urbsque exigua in proxima Rodani ripa, *Belcaria* vulgo appellatur. Narbonensis itaque Galliæ fuerint hi termini Ausonio, mare internum, Alpes, lacus Lemanus, Rodanus, Sequani, Cebennæ sive Cemmenus, Belcæ, Tectosages, et Pyrenæus saltus. *Vinetus.*

Paganica nomina Volcas] Ita procul dubio scribendum: delectatus est Noster eo epitheto. Sic in Mosella: 'Fugit lascivos paganica numina Faunos.' et Epist. ad Theonem: 'Fumantesque nidum paganica lumina tædas.' Et in Præfat. ad Syagrium legendum liquet: 'Sed quo nostrates Aquitanica nomina multos Collatus, non et subditus aspicerem.'

10 *Tu Gallia prima*] Quæ in Gallia Transalpina Romanorum prima fuisti

[redacted]

provincia. Hæc et ἀντονομαστικῶς Provincia nuncupata est: quod nomen adhuc servavit ejus pars, in qua Massilia et Aquæ Sextiæ: at ubi Narbo et Bæteræ, vocatur *Languedoc:* ubi Vienna, et Gratianopolis, 'Delphinatus.' Ubi vero Centrones, et Garoceli, et Octodurus, 'Sabandia.' *Vinet.*

12 *Portusque tuos*] Habet Gallia Narbonensis multos quidem, et nobiles portus, sed Narbo ipse, nunc nullum, aut si quem habet, is tam antiquæ urbis claritudine indignus est. A mari autem per lacum, Rubresum Pomponio Melæ appellatum, et Atacem, qui in eum lacum influit, ascendunt minora navigia usque Narbonem: qui ab eodem mari non plus septem millia passuum abesse putatur. *Idem.*

14 *Pario de marm. templum*] Capitolium: nam et in provinciis urbes clariores sua habebant, ad exemplum matris Romæ, Capitolia, Palatia, Circos, Theatra, &c. Vide quæ M. Velserus in commentar. ad Conversionem S. Afræ num. 32.

16 *Tarquinius, Catulusque iterum, postremus et ille*] Ita legendum. Tarquinius Priscus quinctus Romanorum rex, Capitolium inchoavit. Tarquinius Superbus septimus absolvit. Dedicavit Marcus Horatius Pulvillus. Syllana autem Marianaque civilia bella, annis post quadringentis et viginti quattuor, Scipione et Norbano Consulibus, illud primum incenderunt. Instaurare statim Dictator Sylla aggressus est: sed eo morte intercepto, absolutum dedicavit Quinctus Catulus, Quincto Metello, et Quincto Hortensio Consulibus. Incensum fuit iterum annis post centum et triginta sex, anno a Christo nato, sicut in Eusebii chronicis putatur, septuagesimo secundo, a Vitellio tyranno. Quod restituere orsus Vespasianus, nescio, an ipse absolutum viderit: sed arsit rursus sub Titi mortem, refecitque, ac consecravit Domitianus Imperator Titi frater, ad annum Christi nonagesimum. Horum, præter Eusebium et Hieronymum, auctores mihi sunt Plutarchus in Publicola, Suetonius, Tacitus, Dio, Eutropius. Narbonensis autem illius Capitolii, et si quod unquam Narbone fuit aliud opus egregium, nullum exstat vestigium. *Vinetus.*

21 Κατάπλους] Interpretantur adnavigationem. Volunt Græci esse Κατάπλουν, τὴν εἰς τὸν λιμένα ἔλευσιν, id est, accessum seu reditum in portum. Hoc duobus locis apud Sidonium legi verbum, in Epistola octava libri sexti, et in septima septimi. Strabo autem libro quarto Narbonem sic laudat, ut eum dicat esse non solum Volcarum suorum, verum etiam aliorum Gallorum portum, et mercatum. *Id.* Vindicianus: 'Et quicquid confert medicis Lagea cataplus.'

No. 298 *Burdigala*] Sita est in Garumnæ dextra ripa ad Pyrenæum pertinente: quo fluvio et monte Aquitaniam Cæsar definit primo commentariorum Gallicorum. Gentem autem, quæ in ea Aquitania Burdigalam condidit, vocant Strabo et Ptolemæus Βιτούριγας, id est, Bituriges: sicque faciunt duplices in Gallia Bituriges. Alios enim ad Ligerim fluvium ponunt, ubi nunc *Berri*, et Βουργὲς dicimus. Distinguebanturque hæc duo genera cognominibus. Nam Ligerianos Bituriges appellant illi Κούβους, id est, Cubos, sicut et Plinius: Garumnanos Bituriges, Strabo Ἰοσκοὺς, id est, Ioscos, Plinius 'Ubiscos:' Ptolemæus Οὐϊβισκοὺς, id est, Vibiscos, sive Viviscos, *v* consonante in prima et secunda syllaba, sicut priscæ inscriptiones in ipsa media Burdigala adhuc retinuerunt. Angulorum ipsius ad Garumnam inferior Τρουπεῖτα vulgo dicitur. Ibi castellum est, et in eo marmor, in cujus una planitie hæc inscriptio est: Avgvsto. sacrvm. et. genio. civitatis

[redacted]

Heptastichо Thaletis 'amice' et 'inimice.'

15 *Et latas nomen servare plateas*] Ita lege ex vet. libro. Nam πλατεῖα, Græce. Sic ad Axium Paulum scribens, conqueritur plateas nomen perdere propter volgum, ut ipse loquitur, congregem. *Scaliger.*

17 *Per mediumque urbis fontani fluminis alveum*] In Occidentali Burdigalensis agri parte, fontes sunt non pauci: ex quibus aqua quum ad urbem confluxit, ejus pars per fossam, secundum muros, in Garumnam fertur. Pars vero ipsam influit urbem, idque duobus locis, inter Episcopi ædes castellumque cognomento *Fari*, ubi *Peuga* nominatur, et post adversam earundem Episcopi ædium partem, DIVICIÆ nomine. Exit hæc subterraneo rivo, et per Cloacam, in Garumnam, pone Petri Apostoli. Hunc igitur intelligo dici 'fontani fluminis alveum' per medium urbis: in quo tum navale fuisse, satis indicant, quæ subduntur, 'Quem pater Oceanus.' Cujus navalis etiam meminit in Eucharistico auctor anonymos, sed tamen Burdigalensis: 'Tandem autem exacto longarum fine viarum, Majorum in patriam, tectisque advectus avitis, Burdigalam veni: cujus speciosa Garumna Mœnibus Oceani refluas maris invehit undas Navigeram per portam: quæ portum spatiosum Nunc etiam muris speciosa includit in urbe.' Cujus tamen navalis nullum nunc agnoscitur vestigium: sed alterius, quo ampliata urbe Burdigalenses usi sunt in Peuga supradicto, extra ipsam Ausonii Burdigalam. Hujus clara exstant vestigia cum alia, tum duæ turres: quæ ex utraque parte ostii ejus adhuc stant, præaltæ: ex quibus catena quondam per machinas traducebatur. Nunc nullum navigii genus Burdigalam ingreditur: sed omnibus portus, et navale tutissimum, amplissimumque est totus Garumna. *Vinetus.*

21 *Euripi fervere freto*] Est Εὔριπος angustum fretum Eubœam insulam a Bœotia abscindens, rapidum mare et periculosum: quod septies spatio viginti quatuor horarum æquinoctialium cursum mutare Strabo scribit libro nono: septies die, ac septies nocte Pomponius Mela libro secundo, alterno cursu fluctibus in vicem versis, adeo immodice fluere, ut ventos etiam, ac plenis velis navigia frustretur. Titus Livius vero libro vicesimo octavo, ne septies quidem die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocare, sed temere in modum venti nunc huc, nunc illuc verso mari, velut monte præcipiti devolutum torrentem rapi. Hinc 'Euripi' propter similitudinem quandam angustiarum, fervoris, exundationisque, dictæ aquæ fontium, fluviorumve per fossas, fistulas, tubos, ductæ. Cicero in principio secundi de Legibus, 'Ductus vero aquarum, quos isti Nilos et Euripos vocant.' Plinius, Suetonius, &c. *Idem.*

22 *Quanto agmine*] Quam magna copia, sive, quam rapido impetu: quomodo Servius 'agmen' accipit, quando dicit Virgilius primo Georgicorum: 'Sæpe etiam immensum cælo venit agmen aquarum.' *Idem.*

23 *Margine contenti bis sena per ostia cursus*] *Marginis extenti*, pro *Margine contenti*: et *cursu* ablativo casu, pro *cursus*, alii legunt. 'Bis sena' autem 'ostia,' accipio duodecim loca, per quæ aquam fons ille emittebat. *Idem.* [In Tollii nota supra p. 354. pro *extent* lege *extenti*.]

25 *Rex Medo*] Xerxes rex Medorum et Persarum. Juvenalis lib. IV. 'Suppositumque rotis solidum mare credimus: altos Defecisse amnes, epotaque flumina Medo Prandente.' *Idem.*

28 *Portare Choaspem*] Χοάσπης fluvius ita dulcis est, ut Persici reges, quamdiu intra Persidis ripas fluit, solis sibi ex eo pocula vendicarint:



[redacted]

et quum eundem foret peregre, aquas ejus secum vectitarint. Solinus, Plinius, Ælianus, Athenæus, Herodotus, Tibullus, Clemens Alexandrinus. *Idem.*

29 *Salve fons ignote ortu*] Anno CHRISTI millesimo quingentesimo et quadragesimo quarto quum Burdigalenses propugnaculum ad Eulalianam portam exstructuri, jaciendis fundamentis locum foderent, repererunt ad exeuntis sinistram canalem structilem affabre factum, antiquoque artificio, quadrangula forma, qui in superiorem urbem pertinere videbatur. Hic, ni fallor, fons est, quem tantis laudibus effert Ausonius: quemque ideo ignotum ortu dicit, quod raro opere supra terram, sed subterraneo fere, præsertim a capite, ea aqua in urbem perducebatur: sicque videbat nemo, unde conciperetur. *Idem.*

31 *Medico potabilis haustu*] De fontium mira vi et ingenio, multa Plinius. Julius Frontinus de aquis urbis Romæ: 'Fontium memoria cum sanctitate adhuc exstat, et colitur. Salubritatem enim ægris corporibus afferre creduntur, sicut Caius Amaranus Apollinaris meminit.' Horatius in Epistola sextadecima de fonte in fundo suo: 'Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.' *Idem.*

32 *Divona*] Pro *Divona* veteres libri habent *Duiunam*, quod videtur magis Gallicum: non enim a *Divis* dicitur. Nam eo etiam nomine civitas Cadurcorum dicta fuit. Apud Ptolemæum legitur Δουέωνα. Et: *Civis in hac sum.* Scaliger.

Duiona] *Divona* legendum, pro isto *Duiona*. Nam a Divis suum fontem appellatum esse, videtur innuere Ausonius. Nec aliter habuit vetus codex Lugdunensis. *Vinetus.*

Celtarum lingua] Habuerunt initio Celtæ et Galli suam linguam a Latina longe diversam: sed postea a Romanis edomiti, eorum sermonem Latinum didicerunt: quo et hodie fere utuntur, Romanum appellantes. Ita non dubito, quin Celtarum linguam vocet Ausonius, qua suis temporibus, puriore, quam nostris, Celtæ utebantur, hoc est, Romanam et Latinam: ac ita DIVONAM Celtici, Gallicive fontis nomen esse derivatum a Divis et Diis Latino vocabulo. *Idem.*

Fons addite Divis] Virgilius libro octavo Æneidos, ad Herculem: 'Salve vera Jovis proles, decus addite Divis.' *Idem.*

33 *Non Aponus*] Fons est in agro Patavino, et fluvius: cujus aquæ calidæ meminit Lucanus libro septimo. Claudianus in Epigrammatibus, Aurelius Cassiodorus Aloisio architecto libro secundo Variarum, Cælius Rhodiginus libri tricesimi capite sexto decimo, et Petrus Bembus in Ætna, plura de Apono. *Idem.*

Nemausus] Νέμαυσος, Nemausus, et Nemausum Galliæ Narbonensis urbs. Ἰταλίας pro Γαλλίας scriptum habet Stephanus. *Nimes:* ubi qui vulgo fons appellatur, sed qui lacus sit potius, quam fons, dubito an sit, quem hic celebret Ausonius. Alium fuisse suspicor, qui ex proximis collibus in urbem ducebatur: sed cui acciderit, quod Burdigalensi. *Idem.*

34 *Timavus*] Fons et fluvius in mare Adriaticum exiens: de quo Strabo, Plinius, Servius in Virgilium, et Vadianus in Pomponium Melam. *Id.*

36 *Utque caput numeri*] Sic legendum: id est Carminis: quo colligitur, Burdegalam (quæ nunc utique Vasconiæ caput est) postremo loco retulisse, ut celebritate sua non minus urbe Roma censeatur. Quam cum primam constituerit in numero, Burdegalam in infimo, caput et hæc sortita loci videatur, ut primus locus, ac novissimus capita utrinque habeantur. Atque hoc pacto 'anceps vertex' dubiam etiam Poëtæ sedem, domiciliumque repræsentet, ac teste-

[redacted]







